Csatlap

Hpvmgi I/442 sorlit. a 8. lapjárol.
Ez valószínűen az 1556-ra kerülő,
amelyben a Wagner, Ds admir. Hung.
aspis-fegyverek sorsa tárgyal-
tatik. –

RERVM MOSCOVITI-carum Commentarij Sigismundi Liberi Baronis in Herberstain, Neyperg, & Guettenhag:

RVSSIAE, & quæ nunc eius metropolis est, Moscouiæ, breuissima descriptio.

Chorographia denique totius imperij Moscici, & uicinorum quorundam mentio.

De religione quoque uaria inserta sunt, & quæ nostra cum religione non conueniunt.

Quis denique modus excipiendi & tractandi Oratores, disseritur.

Itineraria quoque duo in Moscouiam, sunt adiuncta.

Ad hæc, non solum nouæ aliquot Tabulæ, sed multa etiam alia nunc demum ab ipso autore adiecta sunt: quæ, si cui cum prima editione conferre libeat, facile deprehendet.



Ex Libris Sigismundi Liberi Baronis in Herberstain, Neyperg, & Guettenhag

Cum Cæs. & Regiæ Maiest. gratia & priuilegio ad decennium.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.

CLARISS. I. V. DOCTORI, AC SINGVLARI bonarum literarum Mecœnati, D. DANIELI MAVCHIO, &c. amico Suo, Ioan. Oporinus S.

En tandem ad te, mi D. DANIEL, toties efflagitatam, tantoq; iam tempore expectatam, Generosiss. Baronis D. SIGISMVNDI ab Herberstayn, &c. Moscouiam mitto: longè quidem aliam, quàm priore editione in publicum prodierat: plurimis nempe non solum Chorographijs, atq; alijs tabulis, sed & rerũ scitu dignissimarũ descriptionibus passim de nouo insertis locupletatam: ut taceam libellos, nunc demum ad Historiæ huius calcem ab ipso autore, Coronidis uice adiectos, De admirandis Hungariæ aquis, & reliquos, ut paucis uisos hactenus, ita cognitu quidem dignissimos: quorum omnium lectionem ut alijs quoque Historiarum studiosis iucundam pariter atque utilem fore non dubito, ita tibi, tanquam oculato rerum istarum, quæ in his exponuntur, testi, non posse non gratissimam esse, facile mihi persuadeo: quippe qui (ut non semel ex te ipso suauissimè id referente audiui) ipse quoque, quum secundo legationem hanc Moscouiticam obiret Generosiss. Baro Herberstaynius, simul tum & in Moscouia fueris, & gentium illarum omnium urbes ac mores summo studio perlustraris, linguasq; perceperis: ne reliquorũ per Europam populorum, uarijs peregrinationibus tibi cognitorum, mentionem hoc loco faciam, ut quod Vlyssi suo encomion Homerus, tibi quoque nos iure opt. adscribere queamus,

πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

Accipies itaque eo iam gratiore animo oblatum à nobis μνημόσυνον, quo maiore id desiderio expectasti hactenus: quoq; idipsum & locupletius ab ipsomet eius autore iam postremò exornatum, & à nobis tui quoque nominis adiectione auctum, in lucem prodit: ac tantisper id mei erga te animi uelut arrabonem esse patiare, dum commodior aliquando nos tibi declarandi fuerit oblata occasio. Bene uale: bonarumq; literarum studiosos pro uirili, ut facis, amplectere. Basileæ, Calend. Iulij.

1556.



SERENISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, DOMINO FERDINANDO, ROMANORVM, HVNgariæ & Bohemiæ, &c. Regi, Infanti Hiſpaniarum, Archiduci Auſtriæ, Duci Burgundiæ & Vuirtenbergæ, & multarum prouinciarum Duci, Marchioni, Comiti, & Domino, Domino meo clementiſsimo.



OMANOS olim ferunt legatis, quos ad longinquas ac incognitas nationes miſerant, id etiã negotij dediſſe, ut mores, inſtituta, totamque uiuendi rationẽ eius gentis, apud quã legationis nomine uerſabantur, diligenter literis cõſignarent. quod adeò deinceps ſolenne fuit, ut renunciata legatione, cõmentarij eiuſmodi in ædem Saturni, ad inſtituendam poſteritatem reponerentur. Quod inſtitutũ ſi fuiſſet à noſtræ, uel paulo ſuperioris memoriæ hominibus obſeruatũ, fortaſſe plus lucis in hiſtoria, certè minus uanitatis haberemus. Ego uerò, qui ab ineunte ætate externorum hominum conſuetudine domi foriſq; delectabar, libenter tuli meam operam in legationibus, non ſolum ab auo Maieſtatis ueſtræ, D. MAXIMILIANO, Principe prudentiſsimo, uerùm etiam à Maieſtate ueſtra requiri: cuius iuſſu non ſemel Septentriones perluſtraui, præcipuè uerò iterum Moſco uiam, unà cum dignitatis & itineris comite, tum Cæſareo oratore, LEONARDO Comite à Nugarola acceſsi: quæ regio inter eas quæ initijs ſacroſanẽti baptiſmatis tinctæ ſunt, moribus, inſtitutis, religione, ac diſciplina militari à nobis non mediocriter differt. Licet itaque uoluntate & mandato diui MAXIMILIANI, orator, Daniam, Hungariam, Poloniamq; acceſsiſſem: poſt obitum autem ſuæ Maieſtatis, patrio nomine ad potentiſſimum & inuictiſsimum D. CAROLVM V. Rom. Imperatorem, germanũ fratrem Maieſtatis ueſtræ, per Italiam, Galliam, terra mariq; uſque Hiſpanias profectus: iuſſu deinde Maieſtatis ueſtræ, denuò Hũgariæ & Poloniæ reges, poſtremò uerò cum NICOLAO Comite à Salmis, &c. ipſum Solymanum Turcarum principem adijſſem, multaq; aliàs non ſolum obiter, ſed etiam accuratè inſpexiſſem, quæ dubio procul cõmemoratione ac luce digniſsima fuiſſent: nolui tamen in illo meo ocio, quod

à publicis consilijs succiditur, quicquã istarum rerũ in literas referre, quòd partim prius fuissent illa ab alijs luculẽtè ac diligẽter tractata, partim in oculis ac quotidiano cõspectu Europæ posita. Res uerò Moscouiticas multo interiores, ac cognitioni istius ętatis nõ ita obuias, prętuli, easq; describere aggressus sum, maximè duab. rebus fretus, perquirẽdi scilicet diligentia, ac linguę Slauonicę peritia, quę magnũ mihi adiumentũ ad hoc qualecunq; scripti genus attulerũt. Et quamuis de Moscouia plures, pleriq; tamen alieno relatu scripserũt: ex antiquioribus, Nicolaus Cusanus: nostra ætate, Paulus Iouius (quẽ summę eruditionis ac incredibilis in me studij causa nomino) eleganter sanè, & magna cum fide (usus enim est interprete locupletissimo:) Ioannes Fabri, & Antonius Bied, cùm tabulas, tum commentarios reliquerint: nõnulli etiam nõ ex professo, sed dũ proximas regiones describunt, ex quorum numero est Olaus Gothus in Suetię descriptione, Matthęus Mechouita, Albertus Campẽsis & Munsterus attigerint, me tamẽ illi quidẽ minimè à scribendi proposito deterruerunt: tum quòd earum rerũ oculatus fuerim testis, tum quòd nonnulla ex fide dignis relationib. coràm præsens hauserim, deniq; quòd diu multũq; ijs de rebus cum plurib. ex quauis occasione differuerim. quo factũ est, ut copiosiũs fusiusq; (absit uerbis inuidia) nonnunquã ea explicare necesse habuerim, quę ab alijs quasi per transennam proposita uerius quàm explicata sint. Accedit ad hoc, quòd ab alijs ne tacta quidem scribo, quæ à nullo nisi oratore cognosci potuerunt. Hanc uerò cogitationem meam ac studium, Maiestas uestra confirmauit, meque ut inchoatum opus aliquando absoluerem, cohortata est, & ultrò etiam currenti calcar (ut dicitur) addit: à quo tamen legationes, aliaq; Maiestatis uestræ negotia sæpissimè auocarũt, quo minus hactenus præstare, quod instituerã, potui. Nunc uerò, dum ad interceptum negotiũ quoquo modo interdum quotidianis Austriaci fisci negotijs respirãs redeo, Maiestatiq; uestræ pareo, minus uereor in istius emũctissimę ætatis acumine parũ ęquos lectores, qui maiorẽ dictionis florem fortasse desiderabunt. Satis enim sit, & me reipsa (uerbis enim paria facere nõ possum) uoluntatem utcunq; instruendæ posteritatis ostendere: ac Maiestatis uestrę iussis, quib. mihi æquè nihil antiquũ est, parêre uoluisse. Nuncupo itaq; Maiestati uestrę hos de Moscouia cõmentarios, à

tarios, à me ueritatis inueſtigandæ, ac in lucem proferendæ longè maiore, quàm dicendi ſtudio ſcriptos: meq; in clientelã Maieſtatis ueſtræ, in cuius iam officijs conſenui, ſuppliciter dedico ac commendo: oroq;, Maieſtas ueſtra dignetur ipſum librum ea clementia ac benignitate complecti, qua authorem ſemper complexa eſt. Viennæ Auſtriæ, prima Martij, M. D. XLIX.

Eiuſdem Maieſtatis ueſtræ
fidelis Conſiliarius Camerarius,
& Præfectus fiſci Auſtriaci,

Sigiſmundus Liber Baro
in Herberſtayn, Neyperg
& Guettenhag.

FERDINANDVS DEI GRATIA PRINCEPS & infans Hiſpaniarum, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, &c. Imperialis locum tenens generalis, &c.

NOBILI, ET FIDELIBVS NOBIS DILECTIS, LEONARDO Cõmiti de Nugarolis, Sacræ Cæſareæ & Catholicæ Maieſt. &c. ac Sigiſmundo de Herberſtain, Equiti aurato, Conſiliariis & Oratoribus noſtris ad Sereniſsimum Principem Moſcouitarum.



OBILIS, & fideles dilecti: Cum nuper apud nos ſubſtitiſſent Lubingę Moſcouitici oratores à Cęſare reuerſi, per Conſiliariũ noſtrum Doctorẽ Ioannem Fabrum ſciſcitat ſumus, de fide & religione ac ceremoniis gentis. Quæ omnia idem Conſiliarius noſter, ut ab eis acceperat, in libellũ poſtea digeſsit. Quem ea potiſsimùm ratione hiſce adiunctũ mittimus, ut lectus à uobis ſuggerat, refricetq; memoriam, ſi quid eorum uel uideritis, uel obſeruaueritis, quod protinus ueſtro oculato teſtimonio, uel obſeruatione poſsit probari. Itaque iniungimus uobis, ut diligenter tam rationem fidei, quàm ceremonias etiam, ad eum modum inquiratis, per occaſionem. quam ipſi ad induſtriam & ingenium ueſtrum aſſumetis, ut certius de omnibus ſic informati, huius gentis religionem & ritum aſſequamur, quem & in ſacris & prophanis rebus ſoleant obſeruare. Quòd ſi quodpiam exemplar Miſſale, uel ceremoniarius alius liber, unde deprehendi facilè poſsit ſacrorum eorundem operatio circa Euchariſtiam, & alia, commodè in manus ueſtras inciderint, nobis gratum erit, ut comparentur: qui cupimus ſcire ad amuſsim, ubi conueniant, uel diſcrepent, in articulis fidei, ac ceremoniis. Erit nobis hæc inquiſitio, & labor omnis ueſter, periucundus: neque uobis difficilis: quem ut omni ſtudio proſequi uelitis, noſtra eſt benegrata uoluntas. Datum Auguſtæ, die prima menſis Februarij: Anno Domini M. D. XXVI.

Ferdinandus S.

Ad mandatum ſereniſsimi Domini Principis Archiducis proprium,

Iacob. Spiegl, &c.

D. M. S.

SIGISMVNDO LIBERO BARONI IN HERBERSTAIN, NEIPERG ET GVETENHAG, VIRTVTIS AC MERITORVM ERGO IMMVNITATE DONATO, P. P.



TALA me primò tellus sub floræ iuuentæ,
Aurata patriæ donatum torque remisit.
Maximus Aemilius Cæsar, uirtute, fideq;
Fortè mea adductus, Patrum me protinus Aulæ,
Consilio adscripsit. requies hinc nulla laborum
Facta mihi: magnis de rebus iussa peregi.
Fœderibus iunxi reges, pacisq; tuendæ
Accendi studio, latè quà Rhenus inundat,
Danubiusq; pater, uagus Albis, & Istula, quaq;
Dura Borysthenides colit impiger arua colonus,
Et gelido manat Tanais de fonte niuosus,
Rha leni placidas quaq; agmine lambit arenas,
Nauigijs penetrans lustraui cæca Rubonis,
Crononisq; fluenta: & inhospita Tesqua peragrans,
Legatus mandata tuli, Regumq; superbas
Accessi sedes: gemino subiecta Trioni
Balthea tranaui freta, magni Regia nostri
Danorum domini lætata salutis honore.
Queis gestis rebus, me Cymbrica Chersonesus
Excipit, & patriæ reddit, charisq; propinquis.
Post ubi mortalis defuncto munere uitæ,
Carolus acer auo successerat, hunc quoq; dulcis
Impulsus patriæ precibus, de more salutans,
Indomitos adij populos & ditia regna,
Hesperiæ. reducem dein Ferdinandus ab Aulæ
Consilijs statuit: latè quo Regna tenente,
Arctoos iterum reges, populosq; reuisi.
Hinc mihi pro meritis, serisq; nepotibus auctum
Libertate decus, quod nulla aboleuerit ætas.
At postquam inuasit Solymanus mœnia Budæ,
Accensum furijs, uim perniciemq; minantem
Pannoniæ, Orator compressi, diraq; retro
A' nostris suasi iugulis auertere tela.
His nunc defunctus curis, post fata quiete
Sopitus placida, iusti dum buccina somnum
Iudicis excutiat, dormiscam. Viue uiator,
Exemploq; meo patriæ seruire memento.

IO. ROSINVS.



On moror hanc Christo repetenti reddere uitam.
Et uixisse mihi satis, & uidisse superq; est
Tot maria & montes, tot flumina, totq; paludes,
Tot reges, dominosq; orbis, tot regna, tot urbes.
Nam mare conscendi, suprà, quodq; alluit infrà
Italiam, remis hinc præteruectus, & illinc.
Baltheaq; emensus freta, mox Balearica soluens,
Sardiniæ ingredior, gelidiq; Borysthenis oras,
Rhaq; cauas tacito stringentem flumine ripas
Traieci: Tanaisq; supra caput osq; niuosi,
Nusquam Rhiphæos didici consistere montes.
Iamq; Albim & Rhenum, fluuiumq; binominis Istri
Nauigijs superans, Legati munus obiui:
Atq; Sigismundum moderantem iure Polonos:
Lituaniæq; ducem, mos est quem dicere Magnum,
Sæpe salutaui uerbis & nomine regis
Ferdnandi: & toto diuisos orbe Mosynos
Non semel atque iterum magnis de rebus adiui,
Moscouiaq; Ducem magnum sum affatus in urbe
Uuasilium: hinc Danis, Noruegis, atque Suedis
Imperitantem adij Christernum, non satis æquo
Dissidio sancti turbantem fœdera lecti,
Liberius monui infami desistere cœpto:
Hæc mandata ferens à Cæsare Maxmiliano,
Ipsum etiam Hungariæ regem, dominumq; Bohœmis
Luduicum accessi, Regno, & florentibus annis.
Iam uerò multis locuples Hispania regnis
Cognita, & Hispanis non cedens Belgica regnis,
Carolo ubi Austriacam regionem, nomine Quinto,
Ceu patris orbatam interitu commendo pupillam.
Præterea Decimum Romana in sede Leonem
Conspexi: Ueneti dux Lauredane Senatus
Cognite porrò mihi es, notiq; fuere Dynastæ
Imperij plures, quos hic numerare molestum est.
Ecce autem Hungaricis ubi rursus imminet oris,
Et nostros misera Solymanus clade peremit,
Nequicquam longa Budam obsidione prementes,
Ipsius horrifica subnixi sede tyranni,
Altius erectæ fixi stans oscula dextræ,
Quam prona in terra melior pars orbis adorat:
Principis inde mei gnatam deduco Polonos
Reginam in Regis thalamos: belliq; togæq;
Expertus casus uarios hæc inter, & olim

Militiæ emeritus ueterana ſtipendia, iuui
Conſilio interea innocui compendia Fiſci.
Linguarumq; potens, in iura ac fœdera fidum
Præſto miniſterium, ſtudioq; ſeneſco laborum,
Publica priuatis præponens commoda lucris:
Reſpondente tamen fidei ſorte, atque fauore
Auſtriadum regum, domui rem linquo, decusq;,
Et priſci generis ſtemma haud inglorius orno.
Vitæ igitur plenus, quam ſum mihi conſcius actam
Gnauiter in uitæ officijs, ſine labe, notaq;,
E' magno ueluti ſatur expletusq; theatro,
Cedo lubens, & noſtra do lampada geſta ſequenti.

IOANNES LVDOVICVS
Braſsicanus.

NVLLAM VIRTVS ALIAM MERCEDEM LABORVM periculorumq; deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ: qua quidem detracta, quid eſt, quod in hoc tam exiguo uitæ curriculo, tam breui, tantis nos in laboribus exerceamus? CICERO.

Tydidem ſocium coniungit Homerus Vlyxi:
Nempe manum menti, nempe animum gladio.
Aurea nobilitas nitidum tibi porrigit enſem,
Doctrina at certam monſtrat ubique uiam.

IOANNES ALEXANDER
Braſsicanus.

Quos adij populos, quæ regna potentia uidi,
Expoſui luſtranda oculis. Non iudicis æqui
Examen metuo, moueor nec bile maligni:
Robore uera ſuo ſtant inconuulſa, uigentq;.

IOANNES ROSINVS.

Siſmundum uarias mundi rapuere per oras,
Terra, rates, undæ, nix, traha, currus, equi.

GEORG. LOGVS.

Occaſus, mediusq; dies, ſeptentrio & ortus,
Perluſtrata fero, rate ſunt, rhedaq;, rotaq;,
Sigiſmunde tibi, Orator dum publica regum
Magnorum exequeris totum mandata per orbem.

IOAN. LVD. BRASSIC.

Sic uehor, ampla gerens regum mandata meorum,
Ad Danos, Moſcos, Pannonas, Heſperios.

GEORG. VERNERVS.


HENRI-

HENRICVS GLAREANVS P. L. ANNOTATIONI-
bus in Q. Curtium, ubi de duplici Scythia, Herodoto dicta,
Ptolemæo uerò Sarmatia, in hæc uerba
disserit.

De quibus regionibus nostra ætate inclytus ille uir D. Sigmundus in Herberstein, Neiperg & Guottenhag Baro, inuictissimi Cæsaris Ferdinandi Consiliarius, fisci in Austria præfectus, duo iusta uolumina edididit, plena omnis eruditionis, dignissimum opus lectu, quod omnes qui Geographicà amant, amplectantur, multum lucis accepturi, plurimorum cùm in Latinis, tum in Græcis authoribus locorum, antea à nemine rectè traditorum. Oculatus hic testis, non auritus tantum hæc scriptis prodidit, certa, non uana relatione: quippe missus Legatus à duobus Imperatoribus, diuo Maximiliano, ac Carolo quinto, ipsoq; Cæsare Ferdinando, ad magnum illum ducem Moschouiæ. Hæc ego, optime lector, haud ullo zelo motus, quàm ingenti ueritatis amore, de illo generoso uiro scribo. neque enim eum unquam uidi: sed eius opera tanto ardore, tanta animi mei admiratione legi, ut multis annis nil æquè lubenter. Et confiteor, me multũ inde fructus hausisse: quando ex ijs planè uideam, ueteres de his rebus ita cæcutisse, ut Cimmerias tenebras nobis offudisse, meritò uideri queant.

Russorum


MOSCOVIA, QVATENVS MOENIBVS
INCLVDITVR, ARX VOCATVR: EXTRA MOENIA INGENS
lignearum ædium numerus, ciuitas dicitur.



HOC FLVVIO EIVSDEM NOMINIS NAVIGATVR IN
OCCAM, RHA, ET CASPIVM MARE.

MOSCOVIA SIGISMVNDI LIBERI BARONIS IN HERBERSTAIN

Designatæ syluæ non carent suis incolis.



MOSCOVIA SIGISMVNDI LIBERI BARONIS IN HERBERSTEIN, NEIPERG, ET GVTENHAG ANNO M.D XLIX

SEPTENTRIO

OCCIDENS

ORIENS

MERIDIES

SOLOWKA INSVLA

MARE GLACIALE

FL MESEN. PECZORA

YSSA

PINEGA

CIRCO

KVLVYO

MESEN

COLMOGOR

FL CILNO

MONTES DICTI

YSSA FL

AVREA ANVS

SLATA BABA

OBEACAS

OBY FL

IVHRA

INDE VNGARORV ORIGO

FL ARTAWISCHA

FL SOSSA

FL SIBVT

CINGVLVS TERRÆ

CVMBA LICK REGIA IN KY TAY

KITH AY LACVS

TLOM

TVMEN

FL. PINEGA PECZORA FL

PERMIA PROVINCIA

FL WISCHORIA

PERMIA

FL. IVG

KLINOW

FL WIATKHA

CHOTELNICZ

FL. RECZICZA

slowoda

ORLOW

CZEREMISSA POPVLI

FL WOLGA

FL CLESMA

KASTROMA

IVRIOWIEC

DEMETRIOW

WOLODIMERIA

MVROM

OCCA

BASILOWGORD

CASAN

NOWOGARDIA INFERIOR

CASIMOW GOROD

FL SVRA

FL WIAGLA

KAM

FL WIECZNA

MORDVA POPVLI

FL DON RVTHENICE TANAIS

TANAIS FONTES

RHA GRECÆ

FL WOLGA RVTHENICE

EDEL TARTARICE

IAICK FL

SIBIER PROVINCIA

NAGAVSKI TARTARE

TARTARIA

CIRCASI PETIGORSKE

CIRCASI POPVLI

ASTRACHAN

SORAICZIK

SCHAMACHI

MARE CASPIVM

WELIKIPREWOS SEV TRAIECTVS MAGNVS

MINOR TANAIS VEL DONECZ

ASOW

CAPVT S. IOHAN

CAPHA

MANCVP

MEOTIS PALVS

PONTI EVXINI PARS

DESNA FL

STARADVB

CZERNIGO

KIOW

FL. PREPECZ

CIRCASI

CAMENECZ

OCZAKOW

TIRAS

ALIAS NESTER

MOLDAVIÆ PARS

Moncastro

BIELOGOROD

LITWANIÆ PARS

FL THVR

DWINA FL

ORSA

SMOLENCZKO

DOWROWNA

OCCA FL.

FL. SEM

FL. SCHAT

MSCE NECK

IOANIS LACVS

FL SCHOKSNA

FL SVCHANA

VSTIVG

KOINSCOOSERO

DWINA PROVINCIA

BIELOYESERO

ALBVS LACVS

WOLOCHDA FL

FL KASTROMA

MOLOGA

IAROSLAW

FL. MOLOGA

CHLOPIGOROD

ROSTOW

VGLICZ

PEREAS LAW

TERSACK

MSTA FL

ILMEN LACVS

NOWOGARDIA MAG.

WOLCHOW

FL NEVA

LADOGA LACVS

CRESCHACK

FL

POLNA

CORELA FL

COPORIA

PLVSA FL

IWANOWGORD

NERWA

WIBVRG

ROSENBVRG

FINLANDIÆ PARS

SINVS LIVONICVS SEV MOSCOVITARV FINES

RVTHENORVM SEV MOSCOVITARV FINES

CVDIN LACVS

PLESCOWIA

PLESCO LACVS

LIVONIA

OXILIA

RIGA

DVNENBVRG

POLOCZKO

FL WELICARECKA

OPOCZKA

WITEPSKO

DROGOBVSH

WOROTIN

ELVERA

ODOIOW

FL VPA

FL TVLA

TVIA

COLVGA

MOSAISKO

FL. MOSKVA

CIRPACH

CORDNA

STRVB

REZAN PRINCIPATVS

ONIEPERIS RO

FRONOW

WOLGA LA

TWERCSA

FL IAVSA

FL SNA

FL LOVA

WELIKVLVCHKI

RVSSA

TORQPEZ

BIELA

DWINA

WIESMA

PLESCOWIA

TABULA DISTANTIA PER MILIARIA

9	18	27	36	45	54	63	72	81	90

Russorum Rex & Dominus sum, iure paterni
Sanguinis: imperij titulos à nemine, quauis
Mercatus prece, uel precio: nec legibus ullis
Subditus alterius, sed Christo credulus uni,
Emendicatos alijs aspernor honores.





OSCOVIAM mihi descripturo, quæ Russiæ caput est, suamq; ditionẽ per Scythiam longè lateq; extendit, perneccessarium erit, cãdide Lector, multas in hoc opere Septentrionis parteis attingere, quæ non solum priscis, sed etiam nostræ ætatis authoribus non satis cognitæ fuerunt: quo fiet, ut nonnunquam ab eorum scriptis dissentire cogar. Ne cui tamen uel suspecta, uel arrogans uideatur mea, in hac re sententia, equidem fateor me non semel, sed iterum, dum diui MAXIMILIANI Imperatoris, ac eius nepotis Rom. Regis Domini FERDINANDI legationibus fungerer, Moscouiam, tanquam in re præsenti (ut dici solet) uidisse ac perlustrasse: maiorem tamen partem ex eius loci hominibus, tum peritis, tum fide dignis cognouisse: nec unius alterius ue relatu fuisse contentum, sed multorum cõstantibus sententijs fretum, ac etiam Slauonicæ linguæ (quæ cum Rhutenica & Moscouitica eadem est) cognitione beneficioq; adiutum, hæc non solum ut auritum, sed etiam oculatum testem, non fucato orationis genere, sed aperto & facili perscripsisse, ac posteritatis memoriæ prodidisse.

Cæterùm, quemadmodum quælibet natio suum quendã pronunciandi morem habet: ita & Rhuteni facere, literasq; suas uariè connexas, coniunctas ue, nobis inusitata quadam ratione proferre solent: adeò ut, qui eorum pronunciationem non singulari diligentia obseruauerit, is neq; scisciari quicquam commodè, neque cognoscere certi aliquid ab illis poterit. Equidem in Russiæ descriptione, cum Rhutenicis uocabulis in rerum, locorum, ac fluuiorũ appellatione non temerè usus sim, uolui iam inde ab initio literarum quarundam connexionem ac uim paucis ostendere: qua animaduersa, Lector pleraque facilius cognoscere, & aliquando plura forsasse inquirere poterit.

Basilius, etsi Rhuteni per Vu consonantem scribant & proferant, cum tamen apud nos inoleuerit per B scribi & proferri, nõ uidebatur mihi per Vu scribendum.

C aspirationi præposita, non per Ci, uel schi, ut pleræq; nationes solent, sed per Khi, Germanorum quodammodo more, est exprimenda: ut in dictione Chiovuia, Chan, Chlinovua, Chlopigrod, &c.

Præposita uerò Z duplæ, sonorius aliquanto proferenda: ut Czeremisse, Czernigo, Czilma, Czunkas, &c.

G Rhuteni, præter aliorum Slauorum morem, per h aspirationem, Bohemico propemodum more proferunt. ut cum Iugra, Vuolga scribunt: Iuhra, Vuolha pronunciant.

I litera ut plurimum uim consonantis obtinet: ut in Iausa, Iaroslavu, Iamma, Ieropolchus, &c.

Th ferè per ph proferunt: ita Theodorum ipsi Pheodorum, seu Feodorum appellant.

V quando uim consonantis habet, eiusdem loco Vu literã, quam Germani per duplex b, sc. w exprimunt, posui: ut in Vuolodimeria, Vuorothin, Vuedrasch, Vuiesma, Vuladislaus. Eadem uerò in medio uel fine dictionis posita, uim seu sonum obtinet literę Græcæ phi, quæ est nobis ph, ut Ozakovu, Rostovu, Asovu, Ovuka. Diligenter igitur obseruabit Lector huius literæ uim, ne una & eadem dictione deprauatè prolata, diuersas res interrogasse, intellexisse ue uideatur.

Præterea in Rhutenorum Annalibus, origine, rebusq; gestis uertendis, non eo, quo nos, sed quo ipsi utuntur, annorum numero usi sumus: ne, dum ab ipsorum scriptis discreparemus, correctores uerius quàm fidi interpretes uideremur.

RERVM MOSCOVITICARVM COMMENTARII, SIGISMVNDO LIBERO BARONE in Herberſtain, Neuperg & Guetenhag, autore.

A 

VSSIA unde nomen habeat, uariæ extant opiniones. Sunt enim qui eam à quodam Ruſſo, fratre ſeu nepote Lech, principe Polonorum, perinde ac ſi ipſe Rhutenorum princeps fuiſſet, nomen accepiſſe uolunt. Alij autem à quodã uetuſtiſsimo oppido, Ruſſo dicto, nõ longè à Novuogardia magna. Quidam uerò à fuſco eius gentis colore. Plericq; nomine mutato, à Roxolania Ruſsiam cognominatã eſſe putant. Verùm eorum qui haſce aſſerunt opiniones, tanquã uero haud cõſonas, Moſci refutant, aſſerentes Roſſeiam antiquitùs appellatã, quaſi gentẽ diſperſam, ſeu diſſeminatam: id quod nomen ipſum indicat. Roſſeia etenim, Rhutenorũ lingua, diſſeminatio, ſeu diſperſio interpretatur. quod uerum eſſe, uarij populi incolis etiam-
B num permixti, & diuerſæ prouinciæ Ruſsiæ paſsim intermixtæ ac interiacentes, apertè teſtantur. Notum eſt autem hiſtorias ſacras legentibus, diſſeminationis uocabulo etiam Prophetas uti, cum de diſperſione populorum loquuntur. Nec tamen deſunt, qui Ruſſorum nomen ex Græca, atq; adeo ex Chaldaica origine, non multũ diſsimili ratione trahant. à fluxu nimirum, qui Græcis eſt ῥῶς. uel à quadã quaſi guttulata diſperſione, quæ Arameis dicit Reſiſſaia, ſiue Reſſaia: quo modo Galli & Vmbri à fluctibus, imbribus & inundationibus, hoc eſt, à Gall & Gallim, item ab Vmber, Hebræis ſunt appellati, quaſi dicas fluctuãtes ſeu procelloſos populos, uel ſcaturiginum gentem. Sed undecunque tandem Ruſſia nomen acceperit, certè populi omnes qui lingua Slauonica utuntur, ritum ac fidem Chriſti Græcorum more ſequuntur, gentiliter Ruſsi, Latinè Rhuteni appellati, ad tantã multitudinẽ excreuerunt, ut omnes intermedias gẽtes aut expulerint, aut in ſuum uiuendi morẽ pertraxerint: adeò ut omnes nunc uno & communi uocabulo Rhuteni dicantur.

Slauonica porrò lingua, quæ hodierno die corrupto nõnihil uocabulo Sclauonicà appellatur, latiſsimè patet: ut qua Dalmatæ, Boſſnenſes,
C Chroati, Iſtrij, longo'q; ſecundum mare Adriaticum tractu Forumiulij uſque, Carni, quos Veneti Charſos appellant, item Carniolani, Carinthij, ad Drauum fluuium uſque: Stirij uerò infra Gretzium, ſecundum Mueram Danubium tenus, indeq; Myſij, Seruij, Bulgari, alijq; Conſtantinopolim uſque habitantes: Bohemi præterea, Luſacij, Sileſij, Morauj, Vagiq; fluuij in regno Hungariæ accolæ: Poloni item, & Rhuteni latiſsimè imperantes, & Circaſi Quinquemontani ad Pontum, denique per Germaniam ultra Albim in ſeptentrionem Vuandalorum reliquiæ ſparſim habitãtes utuntur. Hi etſi omnes ſe Slauos eſſe fatentur, Germa-

ni tamẽ à ſolis Vuandalis denominatione ſumpta, omnes Slauonica lin A
gua utentes, Vuenden, Vuinden, & Vuindiſch, promiſcuè appellant.

Cæterùm Ruſsia montes Sarmaticos haud longè à Cracouia attingit: & ſecundum fluuium Tyram, quem incolæ Niſtrũ uocant, ad Pontum Euxinum atq; Boryſthenẽ uſq; fluuium protendebatur: ſed ante aliquot annos Albam, quæ aliàs Moncaſtro appellatur, quæq; ad oſtia Tyræ ſita, ſub ditione Vualachi Moldauienſis erat, Thurca occupauit. Præterea rex Thauriciæ Boryſthenẽ tranſgreſſus, lateq; omnia uaſtans, duo ibi caſtra exædificauit: quorum alterum Oczakovu nomine, non longè ab oſtijs Boryſthenis ſitum, nunc Thurca pariter occupat: ubi ſolitudines hodie ſunt inter utriuſque fluuij oſtia. Porrò aſcendendo iuxta Boryſthenem, deuenitur ad oppidum Circas, occidentẽ uerſus ſitum: atq; inde ad uetuſtiſsimam ciuitatem Chiovuiam, quondam Ruſsiæ metropolim: ubi traiecto Boryſthene, eſt prouincia Sevuera, adhuc habitata: ex qua rectà in orientem procedenti occurrunt Tanais fontes. Longo deinde ſecundum Tanaim, ad confluxũ ſcilicet Occæ & Rha fluuiorum, B
itinere emenſo, tranſeundo denique Rha longiſsimo tractu in mare uſque Septentrionale, pòſt inde redeundo, circa populos regi Svuetiæ ſubditos, & ipſam Finlandiam, ſinumq; Livuonicum, atque per Livuoniam, Samogithiam, Maſovuiam denique & Poloniam uſque reuertendo, Sarmaticis tandem montibus terminatur, duabus duntaxat prouincijs, Lithvuania ſcilicet & Samogithia interiectis: quæ duæ prouinciæ licet Rhutenis intermixtæ ſint, ac proprio idiomate ritúq; Romano utantur, earum tamen incolæ ex bona parte ſunt Rhuteni.

Principũ qui nunc Ruſsiæ imperant, primus eſt, Magnus dux Moſcovuiæ, qui maiorẽ eius partem obtinet: ſecũdus, magnus dux Lithvuaniæ: tertius eſt rex Poloniæ, qui nunc & Poloniæ & Lithvuaniæ præeſt.

De origine autem gentis, nihil habent præter annales infrà ſcriptos: gentem ſcilicet hanc Slauonicam eſſe ex natione Iaphet, atque olim conſediſſe ad Danubium, ubi nunc Hungaria eſt & Bulgaria, & tum Norci appellatam: tandem diſpalatam, & per terras diſperſam, nomina à locis accepiſſe, utpote Moravui à fluuio: alij Ozechi, hoc eſt Bohemi: i- C
tem Chorvuati, Bieli, Serbli, id eſt Seruij, Chorontani dicti, qui ad Danubium conſederant, à Vualachis expulſi, uenientes ad Iſtulam, nomen Lechorum à quodam Lecho Polonorum principe, à quo Poloni etiamnum Lechi uocantur, acceperunt. Alij Lithvuani, Maſouienſes, Pomerani: alij ſedentes per Boryſthenem, ubi nunc Chiovuia eſt, Poleni dicebantur: alij Drevuliani, in nemoribus habitantes: alij inter Dvuinam & Peti, dicti Dregovuici: alij Poleutzani, ad fluuiũ Poltæ, qui influit Dvuinam: alij circa lacum Ilmen, qui Novuogardiam occupauerunt, ſibiq; principem Goſtomiſſel nomine conſtituerũt: alij per Deſnam & Sulam fluuios, Sevueri, ſeu Sevuerski appellati: alij uerò ſuper fontes Volhe & Boryſthenis, Chrivuitzi nominati: horum arx & caput Smolenſco eſt. Hæc annales ipſorum teſtantur.

Qui ini-

A Qui initiò Rhutenis imperauerint, incertum eſt. characteribus enim carebant, quibus res geſtæ memoriæ mandari potuiſſent. Poſtea quam uerò Michael rex Conſtantinopolitanus, literas Slauonicas in Bulgariam anno mundi 6406. miſiſſet, tum primum, non ea duntaxat quæ tum gerebantur, uerùm etiam quæ à maioribus acceperant, & per longam memoriam retinuerant, ſcribi, inque Annales eorum referri cœpta ſunt: ex quibus conſtat, Coſeros populum, à nonnullis Rhutenis tributi nomine aſpreolorum pelliculas de ſingulis ædibus exegiſſe, item Vuaregos ipſis imperauiſſe. De Coſeris, unde, aut quinam fuerint, nihil præter nomen ex Annalibus: de Vuaregis itidem, certi quicquam ab illis cognoſcere nõ potui. Cæterùm cum ipſi mare Baltheũ, & illud quod Pruſsiam, Livuoniam, indeq; pòſt ditionis ſuæ partem à Svuetia diuidit, mare Vuaregum appellarent: putabam equidem, aut Svuetenſes, aut Danos, aut Prutenos, ob uicinitatem, principes illorum fuiſſe. Iam uerò, cum Vuagria, famoſiſsima quondam Vuandalo-
B rum ciuitas & prouincia, Lubecæ & ducatui Holſatiæ finitima fuiſſe, mareq; hoc quod Baltheum dicitur, ab ea nomen, quorundam ſententia, accepiſſe uideatur: illudq; ipſum, & ſinus ille qui Germaniam à Dania, item Pruſsiam, Livuoniam, maritimam denique Moſcovuitici imperij partem à Svuetia ſeparet, & adhuc apud Rhutenos nomen ſuum retineat, atque Vuaretzokoie morie, hoc eſt, Vuaregũ mare appelletur: ad hæc, quòd Vuandali ea tempeſtate potentes erant, Rhutenorum denicq; lingua, moribus atq; religione utebantur: uidentur itaq; mihi Rhuteni ex Vuagrijs, ſeu Vuaregis potius, principes ſuos euocaſſe, quàm externis, & à religione ſua, moribus, idiomateq; diuerſis, imperium detuliſſe. Cum itaque Rhuteni aliquando inter ſe de principatu contenderent, ac mutuis odiorum facibus inflammati, exortis denicq; grauiſsimis ſeditionibus decertarent: tum Goſtomiſſel, uir & prudens, & magnæ in Novuogardia authoritatis, in medium conſuluit, ut ad Vuaregos mitterent, atq; tres fratres, qui illic magni habebantur, ad ſuſcipiendum imperium hortarentur. mox audito conſilio, legatis miſsis, principes ger-
C mani fratres accerſuntur: uenientesq; eò, imperium ipſis ultrò delatum, inter ſe diuidunt. Rurick principatum Novuogardiæ obtinet, ſedemq; ſuam ponit in Ladoga, XXXVI miliaribus Germanicis infra Novuogardiam magnam. Sinaus conſedit in Albo lacu. Truvuor uerò in principatu Pleſcouiẽſi, in oppido Svuortzech. Hoſce fratres originem à Romanis traxiſſe, gloriantur Rhuteni: à quibus etiam præſens Moſcovuię princeps, ſe genus duxiſſe ſuum aſſerit. Horum autem fratrum ingreſſus in Ruſsiam, iuxta Annales, fuit anno mundi 6370. Duobus ſine hæredibus defunctis, principatus omnes Rurick ſuperſtes obtinuit, caſtra inter amicos & famulos diuiſit. moriens filium iuuenẽ Igor nomine, unà cum regno commendat cuidam Olech propinquo ſuo: qui id, deuictis multis prouincijs, auxit: arma in Græciam uſque transferens, Biſantium etiam obſedit. & cum triginta tribus annis regnaſſet, atq; in caput ſeu cranium

ſui equi iam olim mortui, pede fortè impegiſſet, uermis uenenoſi morſu A
Ieſus occubuit. Mortuo Olech, Igor ducta ex Pleſcovuia uxore Olha,
imperare cœpit: qui cum exercitu ſuo longius progrediens, Heracleam
& Nicomediam uſq; peruenisſet, tandem bello ſuperatus aufugit. pòſt
à Maldítto Drevulianorum príncipe, in quodam loco Coreſte nomi-
ne, ubi etiam ſepultus eſt, occiditur. Filius autem Svuatoslaus, quem in-
fantem reliquit, cum per ætatem imperare non poſſet, interim mater Ol
ha regno præfuit: ad quam cum Drevuliani uiginti internuncios miſiſ-
ſent, cum mandatis, ut eorum principi nuberet: Olha nuncios Drevu-
lianorum uiuos obrui iuſsit: ſuoſq; interim legatos ad eos miſit, nimi-
rum ſi ſe principem & dominam expeterent, ut plures atque præſtantio-
res procos mitterent. mox alios ſelectos quinquaginta uiros ad ſe miſ-
ſos, in balneo combuſsit: alioſq; legatos iterum miſit, qui aduentū ſuum
annunciarent, iuberentq; apparare aquam mulſam, aliaq; que ex more ad
parentandum marito defuncto neceſſaria. Porrò ad Drevulianos cum
ueniſſet, maritum deplanxit, Drevulianos inebriauit, quinq; millia illo- B
rum occidit. mox Chiovuiā reuerſa, exercitum cōſcripſit: contra Drevu
lianos progreſſa, uictoriam reportauit, fugientes in caſtrum perſecuta,
obſidione ad integrum annum preſsit. pòſt interpoſitis conditionibus,
tributum illis de qualibet domo, tres uidelicet columbas, totidemque
paſſeres imperat: acceptaſq; in tributum aues, continuò alligatis ſub a-
las igneis quibuſdam inſtrumentis, dimittit. auolantes columbæ, ad æ-
des conſuetas redeunt, reuolantque, caſtrum incendunt. inflammato
iam caſtro diffugientes, aut occiduntur, aut capti uenduntur. Occupa-
tis itaque omnibus Drevulianorum caſtris, ulta mariti mortem, Chio-
vuiam reuertitur. Dein anno mundi 6463 in Græciam profecta, baptiſ-
mum ſub rege Ioanne Conſtantinopolitano ſuſcepit: commutatoq; no-
mine Olhæ, Helena uocata eſt: ac magnis poſt baptiſmum à rege mune-
ribus acceptis, domum reuertitur. Hęc prima inter Rhutenos Chriſtia-
na fuit, ut Annales eorum teſtantur, qui eam Soli æquiparant. Sicuti e-
nim ſol ipſum mundum illuminat, ita & ipſa Ruſsiam fide Chriſti illu-
ſtraſſe dicitur. Svuatoslaum autem filium ad baptiſmum nequaquam C
perducere potuit. qui cum adoleuiſſet, ſtrenuus ac promptus ſtatim om
nes bellicos labores, periculaq; conſueta, non detrectauit: in bello nul-
la impedimenta, ne uaſa quidem coquinaria, exercitui ſuo permiſit. car-
nibus toſtis duntaxat utebatur, humi requieſcens, ſella capiti ſubiecta.
Vicit Bulgaros, ad Danubium uſque progreſſus: inq; ciuitate Pereaſ-
lavu, ſedem ſuam poſuit, ad matrem atque conſiliarios ſuos dicens: Hęc
enim ſedes mea, in medio regnorum meorum: ex Græcia ad me adferun
tur Panodocki, aurum, argentum, uinum, uariiq; fructus: ex Hungaria,
argentū & equi: ex Ruſsia, Schora, cera, mel, ſerui. Cui mater: Iam iam
moritura ſum, tu me ubicunque uolueris ſepelito. itaque pòſt triduò mo
ritur, atque à nepote ex filio Vuolodimero iam baptiſato in numerum
ſanctorum refertur, dieſq; undecimus Iulij ſacer illi dicitur.

Svuatoſ-

A Svuatoslaus, qui poſt obitum matris regnabat, diuiſit prouincias filijs: Ieropolcho Chiovuiam, Olegæ Drevulianos, Vuolodimero Novuogardiam magnam. Nam Novuogardenſes impulſu cuiuſdam mulieris Dobrinę, Vuolodimerum principem impetrarunt. erat enim Novuogardiæ ciuis quidam Calufcza paruus dictus, qui habuit duas filias, Dobrinam & Maluſcham. Maluſcha erat in gynęcio Olhę, quam impręgnauerat Svuatoslaus, & ex ea Vuolodimerum ſuſceperat. Svuatoslaus cum filijs proſpexiſſet, pergit in Bulgariam, Pereaslavu ciuitatem obſidet, capitq́; Baſilio & Conſtantino regibus bellum denunciat. at hi legatis miſsis pacem poſcebant, & quantum exercitum haberet, cognoſcere ab eo propterea cupiebant, quòd tributum daturos ſe iuxta numerum exercitus, ſed falſo, pollicebantur. mox cognito militum numero, exercitum ſcripſerunt. Pòſt cum uterque exercitus conueniſſet, Rhuteni Græcorum multitudine terrentur: quos cum pauidos uideret Svuatoslaus, inquit: Quia locum non uideo, Rhuteni, qui nos tutò capere poſſet: ter-
B ram autem Ruſsiæ tradere inimicis, nunquam in animum induxi: fortiter cõtra illos pugnando, aut mortem oppetere, aut gloriam reportare, certum eſt. Etenim ſi ſtrenuè pugnando occubuero, nominis immortalitatem: ſi uerò fugiam, perpetuam inde ignominiam ſum relaturus. & cum hoſtium multitudine circumuentus effugere non liceat, ſtabo ergo firmiter, caputq́; meum in prima acie, pro patria, omnibus periculis obijciam. Cui milites: Vbi caput tuum, ibi & noſtrum. Mox confirmato milite, in aduerſum hoſtem raptus, magno impetu facto, victor euadit. Terram dein Græcorum uaſtantem, reliqui Græciæ principes muneribus oppugnant. aurum autem & panadockmi (ut eſt in Annalibus) munera cum ſpreuiſſet, recuſaſſetq́;, ueſtimenta autem & arma à Græcis iam denuò ſibi miſſa accepiſſet: tanta eius uirtute, Græciæ populi permoti, reges ſuos conuenientes: Et nos, inquiunt, ſub eiuſmodi rege eſſe cupimus, qui non aurum, ſed arma magis amat. Appropinquante Conſtantinopolim Svuatoslao, Gręci magno ſe redimentes tributo, eum à finibus
C Græciæ auertunt. quem tandẽ anno mundi 6480, Cures princeps Piczenigorum, ex inſidijs interfecit. & ex cranio eius poculum faciens, auro circundato, literis in hanc ſententiã ſignauit: Quærendo aliena, propria amiſit. Mortuo Suatoslao, quidam ex eius primoribus Svuadolt nomine, Chiovuiam ad Ieropolchum profectus, maximo eum ſollicitans opere atque ſtudio, quo Olegam fratrem regno expelleret, quòd filium ſuum Lutam necaſſet. Ieropolchus eius perſuaſione adductus, bellum fratri infert: exercitumq́; eius, Drevulianos ſcilicet, profligat. Olega autem fugiens in quoddam caſtrum, à ſuis excluſus, impetuq́; facto, ex quodam ponte detruſus ac deiectus, multis ſuper eum cadentibus, miſerè adobruitur. Ieropolchus caſtro occupato fratrem quærens, corpus eius inter cadauera repertum, & ad ſuum conſpectum allatum aſpiciens: Svuadolte, inquit, ecce hoc tu concupiuiſti. pòſt ſepelitur. Interfectum ſepultumq́; Olegam, cum Vuolodimerus accepiſſet, relicta No-

vuogardia, ultra mare ad Vuaregos profugit. Ieropolchus autem Novuogardiæ ſuum locum tenentem imponens, totius Ruſsiæ monarcha efficitur. Vuolodimerus Vuaregorum auxilio comparato, reuerſus, locum tenentem fratris Novuogardia expulit, fratrique bellum prior denunciat. ſciebat enim, ipſum contra ſe arma ſumpturum. Interea temporis mittit ad Rochvuolochdam principem Peſcovuiæ (nam & ipſe ex Vuaregis illuc commigrauerat) & filiam ſuam Rochmidam uxorem petit. filia autem non Vuolodimero, quòd eum ex illegitimo thoro natum ſciebat, ſed Ieropolcho fratri, quem breui ſe pariter expetiturum putabat, nubere uoluit. Vuolodimerus, quòd repulſam paſſus eſſet, Rochvuolochdæ bellum infert: eumq; unà cum duobus filijs occidit. Rochmidam uerò filiam ſibi iungit, atque poſt Chiovuiam contra fratrem progreditur. Ieropolchus cum fratre inire prælium cum non auderet, occluſit ſe Chiovuiæ. Vuolodimerus dum Chiovu oppugnat, occultum mittit nuncium ad Blud quendam Ieropolchi intimum conſiliarium: quem patris appellatione dignatus, rationem interficiendi fratrem ex eo petit. intellecta petitione Vuolodimeri, pollicetur Blud ſemet dominum ſuum interfecturum, conſulens Vuolodimero, caſtrum ut oppugnet: Ieropolchum autem monet, in caſtro ne maneat, exponens multos ex ſuis ad Vuolodimerum defeciſſe. Ieropolchus conſiliario ſuo fidem habens, fugit Roden, ad oſtia Iurſæ, ſe que ibi aduerſus fratris uim tutum fore putat. Vuolodimerus deuicta Chiovuia, Roden exercitum transferens, longa & graui obſidione Ieropolchum premit. Pòſt longa inedia exhauſti, cum obſidionem tolerare diutius non poſſent, conſulit Blud Ieropolcho, ut pacem cum fratre, ſe longè potentiore, faciat: Vuolodimero autem interim nihilominus nunciat, ſe ſibi fratrem ſuum mox traditurum, adducturumque. Ieropolchus ſecutus conſilium ipſius Blud, fratris ſe arbitrio atque poteſtati permittit, conditionem hanc ultro offerens, nempe, quicquid ex gratia ſua ſibi rerum conceſſurus eſſet, in eo ſeſe gratum futurum. Vuolodimero conditio oblata, haudquaquam diſplicet. Mox Blud monet dominum, ut ad Vuolodimerum iret: quod tamen Vueraſco pariter Ieropolchi conſiliarius prorſus diſſuadet. ſed huius conſilium negligens, ad fratrem pergit. ingrediens per portam, à duobus Vuaregis, Vuolodimero interim ex quadam turri deſpiciente, occiditur. quo facto, fratris uxorem natione Græcam ſtuprauit: quam Ieropolchus pariter, priuſquam in uxorem duxiſſet, monialem impregnauerat. Hic Vuolodimerus multa idola Chiovuiæ inſtituit. primum idolum, Perum dictum, capite argenteo, cætera lignea erant. alia, Vslad, Corſa, Daſvua, Striba, Simaergla, Macoſch, uocabantur: quibus immolabat, quę aliàs Cumeri appellabantur. Vxores habuit plurimas. ex Rochmida autem ſuſcepit Iſoslaum, Ieroslaum, Servuoldum, & duas filias. Ex Grę ca, Svuetopolchum. Ex Bohema, Saslaum: item ex alia Bohema, Svuatoslaum, Stanislaum. Ex Bulgara, Boris & Chleb. Habebat præterea

in alto

A in alto caſtro trecentas concubinas: in Bielgrad, ſimiliter trecentas: in Bereſtovuo, Selvui ducentas. Vuolodímerus cum ſine impedimento totius Ruſsiæ eſſet monarcha factus, uenerant ad eum ex diuerſis locis Oratores, hortantes, ut ſe eorum ſectæ adiungeret. Varias autem cum uideret ſectas, miſit & ipſe Oratores ſuos, qui perquirerent conditiones & ritus ſingularum ſectarum. tandem cum alijs omnibus fidem Chriſtianam Græco ritu prætuliſſet, elegiſſetq́, miſsis oratoribus Conſtantinopolim ad Baſilium & Conſtantinum reges, Annam ſororem, uxorem ſibi ſi darent, ſe fidem Chriſti, cum omnibus ſubditis ſuis ſuſcepturum: & reſtituturum illis Corſun, & alia omnia, quæ in Græcia poſsideret, pollicetur. re impetrata, conſtituitur tempus, eligitur locus Corſun: quò cum ueniſſent reges, baptiſatus eſt Vuolodimerus, commutatoq́ue nomine Vuolodimeri, Baſilio illi nomen imponitur. Nuptijs celebratis, Corſun unà cum alijs, ſicuti promiſerat, reſtituit. Hæc acta ſunt anno mundi 6469. à quo tempore Ruſsia in fide Chriſti permanſit. Anna mo

B ritur XXIII anno poſt nuptias: Vuolodímerus uerò anno poſt obitum uxoris quarto deceſsit. Is ciuitatem intra Vuolham & Occam fluuios ſitam condidit, quam à ſuo nomine Vuolodimeriam nominauit, eamq́ Rhuſsiæ metropolim conſtituit. Inter ſanctos tanquam Apoſtolus, ſolenni die uidelicet 15 Iulij, quotannis ueneratur. Mortuo Vuolodimero, diſsidentes inter ſe filij eius, uariè de regno præſumentes, decertabant: adeò ut qui potentior eſſet, alios ſe inferiores imbecilliores ſue opprimeret, regnoque pelleret. Svuatopolchus, qui principatum Chiovuienſem ui occupauerat, cõſtituerat ſicarios, qui fratres ſuos Boris & Chleb conficerent. Interfecti, commutatis nominibus, hic David, ille uerò Romanus uocati, in ſanctorum numerum connumerati ſunt: quib. etiam XXIIII dies Iulij ſacer eſt conſtitutus. Fratrib. porrò ſic diſsidentibus, nihil dignum memoria interim ab eis geſtum eſt: niſi proditiones, inſidias, ſimultates, inteſtinaque bella audire uelles. Vuolodímerus Sevuoldi filius, cognomento Monomach, uniuerſam Ruſsiã rurſus in monarchiam redegit, relinquens poſt ſe inſignia quædam, qui-

C bus hodierno die in inaugurandis principibus utunt. Moritur Vuolodímerus anno mundi 6633. nec poſt eum filij eius, neq́ nepotes quicquam poſteritate dignum, uſq́ ad tempora Georgij & Baſilij, geſſerunt: quos Bati rex Tartarorum bello uicit, interemitq́: Vuolodimeriam, Moſcouuiam, atque bonam Ruſsiæ partem exuſsit, & deprædatus eſt. Ab eo tempore, anno ſcilicet mundi 6745. uſque ad præſentem Baſilium, omnes ferè Ruſsiæ principes Tartarorum non ſolum tributarij erant, uerum etiam Tartarorum arbitrio Rhutenis ambientibus ſinguli principatus deferebantur. Lites denique inter illos de ſucceſsione principatuum, aut hæreditatum gratia exortas, licet Tartari diſcernentes, cognoſcentesq́ decidebant, nihilominus tamẽ bella ſæpe inter Rhutenos & Tartaros oriebantur: inter fratres aũt uarij tumultus, expulſiones & permutationes regnorũ & ducatuũ erant. Nã dux Andreas Alexandri,

impetrarat magnum ducatum: quem cum occupaſſet Demetrius, fra- A
ter Andreas impetrato Tartarorum exercitu, illum expulit, multaq; ne-
pharia per Ruſsiam perpetrauit. Item dux Demetrius Michaelis, inter-
fecit apud Tartaros ducem Georgium Danielis. Asbeck Tartarorum
rex, arrepto Demetrio, capitali eum pœna affecit. Contentio erat de
magno ducatu Tvuerenſi, quem dux Simeon Ioannis, cum à Tartaro-
rum rege Zanabeck peteret, annuum ab eo tributum poſcebat: quod
ne penderet, primores largitione corrupti, pro eo intercedentes effece-
rant. Deinde anno 6886, magnus dux Demetrius uicit bello ma-
gnum Tartarorum regem, nomine Mamaij. Item tertio anno pòſt, eun-
dem iam denuò uſqueadeò fudit, ut plus quàm tredecim millibus paſ-
ſuum terra cadaueribus obruta eſſet. Anno poſt eundem conflictum
ſecundo, ſuperueniens Tachtamiſch rex Tartarorum, Demetrium pro-
fligauit, Moſcovuiam obſedit & occupauit. interempti ad ſepelien-
dum octoginta uno rublo redimebantur: ſumma computata 3000.
rublorum fuit. Magnus dux Baſilius, qui præſidebat anno 6907, Bul- B
gariam, quæ ad Vuolhiam ſita eſt, occupauit, Tartaros'que eiecit. Is
Baſilius Demetrij reliquit unicum filium Baſilium: quem cum non dili-
geret, quòd Anaſtaſiam uxorem, ex qua illum ſuſceperat, adulterij ſu-
ſpectam haberet, magnum ducatum Moſcovuiæ non filio moriens, ſed
Georgio fratri ſuo reliquit. Cum autem plerique Boiaronum filio e-
ius, tanquam legitimo hæredi atque ſucceſſori, adhærerent: animad-
uertens hoc Georgius, ad Tartaros properat: ſupplicat regi, ut Baſi-
lium accerſat, atque utri iure ducatus debeatur, decernat. Rex impul-
ſu cuiuſdam conſiliarij ſui, qui partes Georgij fouebat, præſente Baſi-
lio, cum ſententiam pro Georgio diceret: prouolutus ad genua regis
Baſilius, orat, fas ut ſit ſibi loquendi. Mox annuente rege, inquit: Quan-
quam tu ſententiam ſuper literis mortuis tuliſti, ſpero meas tamen, quas
mihi ſigillo aureo communitas dediſti, quòd uelles me magno duca-
tu inueſtire, adhuc uiuas, longè maioris efficaciæ atque authoritatis eſ-
ſe. rogat'que regem, ut uerborum ſuorum eſſet memor, promiſsisq;
ſtare dignetur. Ad hæc rex, iuſtius eſſe reſpondit, uiuarum literarum C
promiſſa ſeruare, quàm mortuarum rationem habere. Tandem Baſi-
lium dimittit, ducatu'que inueſtiuit. Moleſtè id ferens Georgius, exer-
citu congregato, Baſilium expulit: quod Baſilius ſuſque deque tulit:
ſeq; in principatum Vgliſtz, ſibi à patre relictum, recepit. Georgius
magno ducatu, quoad uixit, quietè potitus eſt, quem teſtamento nepo-
ti ſuo Baſilio legauit: quòd Andreas & Demetrius, filij Georgij, ceu
priuati hæreditate, grauiter tulerunt. atque ideò Moſcovuiam obſe-
derunt. Baſilius, qui monaſterium ſancti Sergij ingreſſus erat, cum hæc
audiret, illico exploratores conſtituit: præſidijs'que diſpoſitis cauit, ne
ex improuiſo opprimeretur. Quod cum animaduerterent duo illi fra-
tres, inito conſilio, certos currus armato milite complent, ac ueluti mer
cibus onuſtos eò mittunt, qui hinc inde ducti, demum ſub noctem iuxta

uigilias

A uigilias conſtitere. Qua occaſione adiutus miles, intempeſta nocte ſubitò ſe curribus expediens, excubitores nihil periculi ſuſpicantes inuadit, capitq́. Capit̃ & Baſilius in monaſterio, atq́ excæcatus ad Vgliſcz unà cum cõiuge mittitur. Pòſt Demetrius, ubi infeſtã ſibi cõmunitatem nobilium, eamq́ ad Baſiliũ cæcum deficere uidet, mox Novuogardiã profugit, relinquens filium Ioannẽ: ex quo poſtea natus eſt Baſilius Semeczitz, qui etiam me tum in Moſcovuia exiſtente, in uinculis detinebatur, de quo infrà plura. Demetrius autem dictus fuit cognomẽto Semecka, unde omnes ab eo deſcendentes Semeczitzi cognominantur. Tandem Baſilius cæcus, Baſilij filius, quietè magno ducatu potitus eſt. Pòſt Vuo Iodimerum Monomach, uſq́ ad hunc Baſilium, Ruſsia carebat monarchis. Filius autem huius Baſilij, Ioannes nomine, feliciſsimus fuit. nam ſimul ubi Mariam, ſororem magni ducis Michaelis Tvuerenſis, uxorem duxiſſet, ſororium expulit, & occupauit magnum ducatum Tvuerenſem, deinde etiam Novuogardiam magnam: cui poſtea omnes alij prin
B cipes, magnitudine rerum à ſe geſtarũ commoti, ſeu timore perculſi, ſeruiebant. Rebus deinde feliciter procedentibus, titulũ magni ducis Vuo Iodimeriæ, Moſcovuiæ & Novuogardiæ ſibi uſurpare, monarcham denique ſe totius Ruſsiæ appellare cœpit. Hic Ioannes ſuſcepit ex Maria filium Ioannem nomine, cui in conſortem iunxerat filiam Stephani illius magni Vuaiuodæ Moldauiæ: qui Stephanus Mahumetem Thurcarum, Matthiam Hungariæ, & Ioannem Albertum Poloniæ, reges proſtrauerat. Mortua priore coniuge Maria, Ioannes Baſilij alteram uxorem duxit, Sophiam, filiam Thomæ, latè quondam in Peloponneſo regnantis: filij inquam Emanuelis, regis Conſtantinopolitani, ex Palæologorum genere: ex qua ſuſcepit quinque filios, Gabrielem, Demetrium, Georgium, Simeonem, & Andream: eiſq́ uiuens adhuc patrimonium diuiſit. Ioanni primogenito monarchatum reſeruauit, Gabrieli Novuogardiam magnam conſignauit, cæteris alia iuxta arbitrium ſuum attribuit. Primogenitus Ioannes moritur, relicto filio Demetrio: quem auus in patris mortui locum, iuxta conſuetudinem monarchatu
C inueſtiuerat. Aiunt Sophiam hanc fuiſſe aſtutiſsimam, cuius impulſu dux multa fecit. Inter cætera induxiſſe maritum perhibetur, ut Demetrium nepotem monarchatu moueret, in quę eius locum præficeret Gabrielem. Perſuaſus namque dux ab uxore, Demetrium in uincula conijcit, detinetq́. tandem moriens, eidem ad ſe adduci iuſſo: Chare, inquit, nepos, peccaui in Deum & te, quòd carceribus mancipatum te afflixi, teq́ iuſta hæreditate ſpoliaui. iniuriam igitur à me tibi illatam, obſecro mihi remitte: liber abi, iuręque tuo utere. Demetrius hac oratione permotus, noxam auo facilè condonat. Egreſſus autẽ, Gabrielis patrui iuſſu comprehenditur, inq́ carceres conijcitur. Alij fame illum ac frigore, pars fumo ſuffocatum putant. Gabriel, uiuente Demetrio, gubernatorem ſe geſsit: eo uerò mortuo, principatum tenuit, nõ inauguratus, Gabrielis duntaxat in Baſilij nomine cõmutato. Erat Ioanni magno duci ex

Sophia,

Sophia, filia Helena, quam collocauit Alexandro magno duci Lithua- A
niæ, qui postea rex Poloniæ declaratus est. Sperabãt Lithuani iam grauis-
simas utriusq; principis discordias eo matrimonio sopitas fore: at longè
graviores inde exortæ sunt. In sponsalibus namq; conclusum erat, ut tem
plum Rhutenico ritu in castro Vuilnensi, destinato loco exædificaretur,
eiq; certæ matronæ ac uirgines eiusdem ritus iungerentur. quæ cum ali-
quanto tempore fieri negligerentur, sumit socer causam belli contra Ale
xandrum: & triplici exercitu instructo, cõtra eum progreditur. primum
uersus prouinciam Sevueram in meridiem, secundum uerò in Occiden-
tem cõtra Toropecz & Biela instituit, tertium in medio uersus Drogo-
busch & Smolenczko collocat. ab ijs exercitum in subsidijs retinet, quò
ei maximè, contra quem Lithvuanos pugnaturos animaduerteret, suc-
currere posset. Postquam autem ad fluuium quendã Vuedrasch uterq;
exercitus ueniisset, Lithuani duce Constantino Ostroskij maxima proce
rum & nobilium frequentia septo, ex quibusdam captiuis numerum ho-
stium ac ducum quoq; cum cognouissent, magnam spem profligandi ho B
stem cõcipiunt. Porrò cum fluuiolus conflictũ impediret, ab utrisq; trãsi
tus seu uadũ quærit. Primi autẽ Mosci aliquot, superata ripa, Lithuanos
ad pugnam lacessunt: atq; illi haud timidi resistunt, eosq; insequuntur, fu
gant, ultraq; fluuiolum pellunt. mox utrinq; acies committuntur, præ-
liumq; atrox oritur. Interea dum utrinq; eodem ardore animorum acri-
ter certarent, exercitus in insidijs collocatus, quem pauciſsimi Rhuteni
adfuturum sciebant, ex latere in medios hostes inducitur. Lithuani me-
tu perculsi, dilabuntur: imperator exercitus unà cum plerisq; nobilibus
capitur: reliqui perterriti, castra hosti concedunt: se & arces, Drogo-
busch, Toropecz, & Biela pariter dedunt. Exercitus uerò, qui meri-
diem uersus processerat, cui præerat dux Machmethemin Tartarus rex
Casani, fortè Brensko ciuitatis præfectum, quem uernacula lingua Vuai
vuodam uocant, comprehendit, Brenskoq; ciuitate potitur. Duo post
germani fratres, Basilij patrueles, alter de Staradub, alter uerò Se-
meczitz dicti, bonam partem prouinciæ Sevueræ possidentes, alioqui
Lithvuaniæ ducibus obedientes, imperio Mosci se tradunt. Sic unico C
conflictu, & eodem anno adeptus erat Moscus, quę Vuitoldus magnus
dux Lithvuaniæ multis annis, maximisq; que laboribus obtinuerat. Por-
rò cum hisce captiuis Lithvuanis, Moscus crudelius egit, grauissimis
cathenis uinctos detinuit: egitque cum Constantino duce, ut relicto
domino naturali, sibi seruiret. qui cum aliam spem elabendi non habe-
ret, conditionem accepit. obstrictusq; grauissimo iuramento, liberatus
est. Huic porrò quamuis prædia possessionesque pro statu sui con-
ditione attributæ essent, ijs tamen placari ac detineri adeò non poterat,
ut ad primam occasionem, per inuias syluas redierit. Alexander rex
Poloniæ, magnus dux Lithvuaniæ, qui perpetuò magis pace quàm bel-
lo gaudebat, relictis omnibus prouincijs & castris à Mosco occupatis,
liberatione suorum contentus, pacem cum socero fecit. Is Ioannes Basilij

adeò

A adeò fortunatus erat, ut prælio Novuogardenſes, ad fluuium Scholona ſuperarit. uictos adegit, certis conditionibus propoſitis, ſe ut dominum & principem agnoſcerent: magnam eis pecuniam imperauit: unde etiam conſtituens prius ibi locum tenentem ſuum, abijt. quò, exactis tandem ſeptem annis, reuerſus, ciuitatem ingreditur auxilio archiepiſcopi Theophili: incolas ad miſerrimam ſeruitutem redegit: arrepto argento & auro: ablatis denique omnibus ciuiũ bonis, inde ultra trecenta plauſtra bene onuſta abuexit. Ipſe ſemel duntaxat bello interfuit, cum principatus Novuogardiæ & Tvuerenſis occupabantur. aliàs prælio nunquam adeſſe ſolebat, & tamen uictoriam ſemper reportabat: adeò, ut magnus ille Stephanus Moldavuiæ palatinus, crebrò in conuiuijs eius mentionẽ faciens, diceret: Illum domi ſedendo & dormitando imperium ſuum augere, ſe uerò pugnando quotidie uix limites defendere poſſe. Ille etiam reges Caſani ex uoluntate ſua conſtituit, aliquando captiuos reduxit, à quibus tamen poſtremò ſenex maxima ſtrage pro-
B fligatus eſt. Ille idem primus caſtrum Moſcovuiæ, ſuamq; ſedem, ut hodie cernitur, muro communiuit. Mulieribus porrò uſque adeò infenſus erat, ut eius conſpectu, ſi quæ fortè obuiam ſibi ueniſſent, tantum non exanimarentur. Pauperibus à potentioribus oppreſsis, iniuriaq; affectis, aditus ad eum non patebat. in prandio plerunque adeò ſe potu ingurgitabat, ut ſomno opprimeretur. inuitatis interim omnibus timore perculſis, ſilentibusque: experrectus, oculos tergere, ac tum primùm iocari, & hilarem ſe conuiuis exhibere ſolebat. Cæterùm etſi potentiſsimus erat, Tartaris tamen obedire cogebatur. Aduenientibus namq; Tartarorum Oratoribus, extra ciuitatem obuiam procedebat, eosque ſedentes ſtans audiebat. quam rem uxor eius Græca tam grauiter tulit, ut quotidie diceret, ſeſe Tartarorum ſeruo nupſiſſe: atque ideo hanc ſeruilem conſuetudinem, ut aliquando abijceret, marito perſuaſit, ut ægritudinem Tartaris aduenientibus ſimularet. Erat in caſtro Moſcovuiæ domus, in qua habitabant Tartari, ut omnia quæ Moſcovuiæ agerentur, intelligerent. quod cum ferre uxor pariter non poſ-
C ſet, certos Oratores inſtituit, munera ampla Reginæ Tartarorum mittit, ſupplicando, ut eam ſibi domum concederet, donaretque: uiſione etenim diuina commonitam, templum ſe eò loci ædificaturam: ita tamen, ut aliam domum Tartaris ſe aſsignaturam polliceretur. Conſentit hoc regina: diruitur domus, templumq; eo loco extruitur. ſic caſtro eiecti Tartari, domum aliam nec uiuentibus adhuc, nec mortuis iam ducibus conſequi poterant.

Moritur autem Ioannes ille magnus, anno mundi 7014. cui filius Gabriel, poſtea Baſilius dictus, magnus dux ſucceſsit, habens in captiuitate Demetrium nepotem ex fratre, qui auo adhuc uiuente iuxta gentis conſuetudinem legitimus monarcha creatus erat: & ob id uiuo adhuc, atq; etiam mortuo pòſt nepote, ſolenniter Baſilius creari monarcha noluit. Patrẽ multis rebus imitatus eſt: ea quæ ſibi reliquerat pater, integra

cuſtodi-

cuſtodiuit: ad hæc multas prouincias non tam bello, in quo erat infœli- A
cior, quàm induſtria, imperio ſuo adiecit. quemadmodũ pater Novuo-
gardiam magnã in ſeruitutẽ ſuam redegerat, ita & ipſe Pleſcovuiam, ſo-
ciam urbem: item inſignem principatũ Smolenczko, qui plus quàm cen
tum annis ſub ditione Lithvuanorũ fuerat, adeptus eſt. mortuo etenim
Alexandro rege Poloniæ, etſi belli cauſam contra Sigiſmundum regem
Poloniæ & magnũ ducem Lithvuaniæ nullam haberet, tamen quia re-
gem ad pacem magis quàm bellum inclinatũ, Lithvuanos uerò bellum
pariter abhorrentes uideret, occaſionem belli inuenit. Sororẽ uidelicet
ſuam, Alexandri relictam, dicebat ab eis minimè pro dignitate tractari:
Regem præterea Sigiſmundum inſimulabat, Tartaros contra ſe conci-
tauiſſe. Quare bellum indicit, Smolenczko obſidet, admotis tormentis:
nequicquam tamen oppugnat. Interea Michael Lynczky, ex principum
Rhutenorum nobili ſtemmate & familia ortus, qui quondam ſummam
rerum apud Alexandrum tenebat, ad magnum ducem Moſcovuiæ pro-
fugit, quemadmodum infrà patebit: mox Baſiliũ ad arma hortatur, eiq; B
promittit, ſe Smolenczko, ſi iam denuò obſideretur, expugnaturum: ea
tamen lege, ut ſibi hunc principatũ Moſcus concedat. Poſt cum ad con
ditiones à Michaele propoſitas aſſenſus eſſet Baſilius, atq; Smolenczko
graui iam denuò premeret obſidione, Lynczky pactionibus, ſeu largi-
tione ueriùs urbe potitus, militiæq; præfectos omnes ſecum in Moſco-
uiam duxit: uno duntaxat excepto, qui ad dominum ſuum, nullo pro-
ditionis crimine ſibi conſcius, redierat. reliqui uerò centuriones corru-
pti pecunia & muneribus, redire in Lithvuaniam non audebant: & ut
culpæ ſuæ patrocinium prætenderent, iniecerunt metum militibus, di-
centes, Si Lithvuaniam uerſus iter arripiemus, paſsim aut ſpoliabimur,
aut occidemur. quo malo perculſi milites, omnes in Moſcovuiam profe
cti ſunt, ſtipendioq; Principis aluntur.

Hac uictoria elatus Baſilius, exercitũ ſuum continuò in Lithvuaniam
progredi iubet: ipſe uerò in Smolenczko manet. Dein cum aliquot pro-
pinquiora caſtra & oppida deditione capta eſſent, tum primùm Sigiſ-
mundus rex Poloniæ obſeſsis in Smolenczko, coacto exercitu auxilium, C
ſed tardius, miſit. mox occupato Smolenczko, ubi Lithvuaniam uerſus
Moſci exercitum ire animaduertit, ipſe Boriſovu iuxta fluuium Bereſi-
na ſitum, aduolat, atq; inde exercitum ſuum Conſtantino Oſtroskij du-
ce dimittit. qui cum attigiſſet Boryſthenem, circa Orſam oppidũ, quod
à Smolenczko XXIIII miliaribus Germanicis diſtat, aderat tum iam
exercitus Moſci circiter octoginta milia: Lithvuanicus autem non exce-
debat triginta quinque milia hominum, adiunctis tamen aliquot bellicis
tormentis: Conſtantinus menſe Septemb. die 8. anni 1514. ſtrato pon-
tẽ, peditẽ ultra Boryſthenẽ, iuxta Orſam oppidum, transfert: equitatus
autem anguſtum uadum ſub ipſo caſtro Orſæ ſuperat. Mox ubi dimidia
pars exercitus Boryſthenem tranſiſſet, nunciatur Ioanni Andreæ Czela
din, cui ſumma rerum à Moſco erat commiſſa, ut hanc exercitus partem

inuade-

A inuaderet, contereretq́. At ille respondit: Si partem hanc exercitus oppresserimus, supererit altera pars, cui fortè aliæ iungi copiæ possent, atq́ ita nobis maius periculum immineret. expectemus tantisper, dum totus exercitus transferatur: tãtæ enim sunt nostræ uires, ut sine dubio, nec magno labore, hunc exercitum aut opprimere, aut circumuentum Moscouiam usq́, ueluti iumenta agere possimus. Tandem, quod unicum restat, totam occupemus Lithuaniam. Interim appropinquabat exercitus Lithuanicus, Polonis & externo milite mixtus: & cum quatuor millibus passuum ab Orsa processisset, uterq́ subsistit. Moscorum duæ alæ longius ab exercitu recesserant, ut hostem à tergo circumuenirent: acies autem instructa in medio stabat, subductis quibusdã in fronte, qui hostem ad pugnam lacesserent. Ex aduerso Lithuanus diuersas copias, ordine longo collocabat. singuli etenim principatus, suæ gentis copias, & ducem miserant. atq́ ita singulis suus in acie dabatur locus. Tandem cohortibus in fronte constitutis, Mosci classicum canẽtes, pri
B mi in Lithuanos impetum faciunt. illi haud timidi restitũt, eosq́ repellunt. quibus mox alij in auxilium missi, uicissim Lithuanos in fugam conuertunt. sic aliquoties utraq́ pars nouis subsidijs aucta, alteram repellebat. Postremò maxima ui certatur. Lithuani studio cedentes ad locum, ubi tormenta bellica collocauerant, ea in Moscos insequẽtes conuertunt: extremamq́ aciem eorum in subsidijs arctius collocatam feriunt, turbant, dirimunt q́. Hoc nouo belli genere Mosci, qui primos duntaxat in acie cum hoste confligentes, in periculo esse putabant, terrẽtur: turbatiq́, primam aciem iamiam fusam putãtes, fugam capessunt. quos Lithuani cõuersi, omnibus copijs effusis insequũtur, fugãt, cædunt q́. Hanc cædem sola nox ac syluæ dirimerunt. Est inter Orsam & Dobrovunam (quæ quatuor mil. Ger. distant) fluuius Cropivuna dictus: in cuius dubijs & altis ripis fugiẽtes, tot Mosci submersi sunt, ut cursus fluminis impediretur. Capti sunt in eo conflictu omnes militiæ præfecti ac consiliarij: quorum præstantiores, Constantinus sequenti die lautissimè accepit, dein ad Regem misit: qui per castra Lithuanica sunt distributi.
C Ioannes Czeladin cum alijs duobus præcipuis ingrauescentis iam ętatis ducibus, habebatur in ferreis compedibus Vuilnæ. hos ego, cum à Cæsare Maximiliano legatus in Moscouiam missus essem, permittẽte Rege Sigismundo, accessi, eosq́ consolabar: aureos prẽterea aliquot, obsecrantibus mutuò dederam. Princeps porrò accepta suorum clade, Smolenczko continuò relinquẽs, in Moscouiam fugit: & ne castrum Drogobusch Lithuani occuparent, incendi iubet. Lithuanicus excercitus rectà Smolenczko ciuitatem contendit, sed capere eam nõ potuit: quòd præsidijs impositis, Moscus eam bene firmatam reliquerat: & quòd hyems impendens obsidionem impediebat: tum quòd plurimi post conflictum præda onusti, satis se effecisse rati, domum repetebãt: denicq́ quòd neq́ Lithuani, neq́ Mosci expugnare arces, aut ui capere norunt. Ex ea autem uictoria, præter recuperata citra Smolenczko tria castra, Rex

nihil reportauerat. Anno post hunc conflictum quarto, misit in Lithuaniam exercitus Moscus, atq; intra meatus Dvuinæ fluuij & Poloczko castrum cõsedit: ac inde bonam exercitus partem, quæ Lithvuaniam abacta præda cæde & incendijs depopularetur, dimisit. Albertus Gastold Poloczkij Vuayuoda una noctium egressus, flumine superato, aceruum fœni, quod ad longam obsidionem congesserant Mosci, incendit, hostem inuadit: quorum alij cæsi ferro, alij fugiendo submersi, alij capti, pauci euaserunt. cæteri, qui palantes Lithvuaniam uastabant; pars in locis diuersis deuicti, alij in syluis errantes à colonis trucidati sunt. A

Casan regnum Moscus quoque eo tempore, tam nauali quàm equestri exercitu erat aggressus: sed re infecta, amissis quampluribus militibus redijt. Porrò princeps ille Basilius, etsi in bello esset infœliciſsimus, nihilominus tamen à suis semper, tanquam res fœliciter gereret, laudatur: & cum nonnunquam uix dimidia militum pars domum redierit, tamen ne unum quidem prælio esse amissum dictitant. Imperio, quod in suos exercet, omnes facilè uniuersi orbis monarchas superat. & id quod pater incœperat, ipse perfecit: nimirum omnes principes, & alios quosuis omnibus castris ac munitionibus exuit. Certè fratribus suis germanis nec arces permittit, nec etiam confidit. omnes iuxtà, dura seruitute premit: adeò, ut quemcunque apud se in aula esse, aut in bellum ire, aut legationem aliquam obire iusserit, obire quoduis suis sumptibus cogatur: exceptis adolescentulis filijs Boiaronum, hoc est, tenuioris fortunæ nobilium, quos paupertate oppressos, quotannis assumere, eos'que inæquali stipendio proposito alere solet. Porrò quibus in annum sex aureos numerat, ijs tertio quoque anno stipendium exoluitur: quibus autem in singulos annos dantur XII aurei, ij coguntur ad quoduis munus obeundum suis & sumptibus & equis aliquot, esse parati ac expediti. præstantioribus, qui legationem aut alia grauiora officia obeunt, aut præfecturæ, aut uillæ, aut prædia, habita cuiusque & dignitatis & laboris ratione, attribuuntur: de quibus tamen singulis certos annuos census Principi pendunt. mulcta duntaxat, quam à pauperibus aliquid fortè delinquentibus extorquent, & quædam alia illis cedunt. Huiusmodi autem possessiones utendas plerunque ad sesquiannum permittit. si quem tamen singulari gratia, seu beneuolentia complectitur, addit menses aliquot: sed elapso eo tempore, cessat omnis gratia, toto'que sexennio gratis tibi erit deinceps seruiendum. Erat quidam Basilius Tretyack Dolmatovu, charus Principi, & inter intimos Secretarios habitus: quem cum legatum ad Cæsarem Maximilianum decerneret, sé que ut præpararet, iuberet: ac cum is uiatico se ac sumptibus carere diceret, mox in Bieloyessero captus, in'que perpetuos carceres coniectus, tandem miserrimè perijt. cuius tam mobilia quàm immobilia bona Princeps sibi uendicauit. & quamuis ter mille florenorum in prompta pecunia repererat, fratribus tamen ac hæredibus suis B C

ne terun-

A ne teruncium quidem dederat. Hoc ita esse, præter communem famam, Ioannes scriba, qui à Principe, ut mihi res in quotidianos uitæ usus necessarios suppeditaret, constitutus erat, fatebatur: & qui illum simul, ubi captus erat, in sua custodia habebat: itidem duo Basilij fratres, Theodorus & Zacharias, qui nobis redeuntibus ex Mosaisco in Smolenczko procuratores erant dati, sic actam rem affirmabant. Quicquid Oratores ad externos Principes missi, precioſi reportant, id Princeps in suum fiscum reponit, inquiens, aliam ipsis gratiam se facturum: quæ talis est, ut suprà dixi. Oratores enim, Knes Ivuan, Posetzen, Iaroslavuski, & Semen, id est Simeon, Trophimovu secretarius, à Cæsare CAROLO Quinto, ad quem missi erant, donati grauibus torquibus aureis, cathenis, Hispanica & ea quidem aurea moneta: item à Cæsaris fratre FERDINANDO archiduce Austriæ, Domino meo, argenteis poculis, aureis & argenteis pannis, Germanica aurea moneta, cum redeuntes nobiscum in Moscovuiam ueniſſent, Princeps continuò & cathe-

B nas & pocula, atque maiorem partem Hispanicorum aureorum illis ademit. Eius rei ueritatem cum ab Oratoribus inquirerem, alter timens ne Principem suum traduceret, constanter negabat: alter uerò dicebat, Principem iussisse munera Regia ad se deferri, ut ea uideat. Pòst cum sæpius eius rei meminissem, alter, aut ut mentiendi occasionem, si pernegaret: aut periculum, si fortè ueritatem fateretur, effugeret: me posthac frequentare desierat. Aulici denique factum non negabant, sed respondebant: Quid tum, si alia gratia illis Princeps rependit? Authoritate sua tam in spirituales quàm seculares utitur, liberè ac ex uoluntate sua de omnium & uita & bonis constituit: consiliariorum quos habet, nullus est tantæ authoritatis, qui dissentire, aut sibi in re aliqua resistere audeat. Fatentur publicè, uoluntatem Principis, Dei esse uoluntatem: & quicquid Princeps egerit, ex uoluntate Dei agere. ob id etiam clauigerum & cubicularium Dei appellant, exequutorem denique uoluntatis diuinæ credunt. Vnde Princeps ipse, si quando preces interponuntur pro captiuo aliquo, aut re alia graui, respondere solet: Cum

C Deus iusserit, liberabitur. Ita similiter, si quispiam de re aliqua incerta & dubia quærit, respondere communiter solent: Deus scit, & magnus Princeps. Incertum est, an tanta immanitas gentis tyrannum principem exigat: an tyrannide Principis, gens ipsa tam immanis, tamq; dura, crudelisq; reddatur.

A tempore Rurickh usq; ad hunc præsentem Principem, non alio titulo usi sunt principes illi, quàm Magnorum Ducum aut Vuolodimeriæ, aut Moscovuiæ, aut Novuogardiæ, &c. præter Ioannem Basilij, qui se dominum totius Rusiæ, & magnum Ducem Vuolodimeriæ, &c. appellabat. Hic uerò Basilius Ioannis sibi uendicat & titulum & nomen regium, in hunc modum: Magnus Dominus Basilius Dei gratia Rex & Dominus totius Rusiæ, & magnus Dux Vuolodimeriæ, Moscovuiæ, Novuogardiæ, Plescovuiæ, Smolenczkiæ, Tvueriæ, Iugariæ,

Permiæ, Viackiæ, Bulgariæ, &c. Dominus & magnus Dux Novuo- A
gardiæ terrę inferioris, & Czernigovuię, Rezaniæ, Vuolotkiæ, Rſchovuiæ, Beloiæ, Roſtovuiæ, Iaroslavuiæ, Bielozeriæ, Vdoriæ, Obdorię, Cõdiniæ, &c. Porrò cum omnes hunc Imperatorem nunc appellent, uidetur neceſſarium, ut & titulum & cauſam huius erroris exponã. Czar Rhutenica lingua regem ſignificat. cum autem communi Slauonica lingua, apud Polonos, Bohemos, & alios omnes ſumpta quadam cõſonantia, ab ultima, & ea graui quidem ſyllaba Czar, Imperator ſeu Cæſar intelligatur: unde omnes qui Rhutenicum idioma ſeu literas non callent, item Bohemi, Poloni, atque etiam Slaui regno Hungarico ſubditi, alio nomine regem appellant, nempe Kral, alij Kyrall, quidam Koroll: Czar autem ſolum Cæſarem, ſeu Imperatorem dici exiſtimant: unde factum, ut Rhuteni interpretes audientes Principem ſuum ab externis nationibus ſic appellari, cœperunt & ipſi deinceps Imperatorem nominare, nomen'que Czar dignius eſſe quàm Regis (licet idem ſignificent) exiſtimant. Cæterùm ſi euoluas omnes eorum hiſtorias, atque ſacram ſcri- B
pturam, ubique Regis nomine Czar, Imperatoris uerò Keſſar reperies. Eodem errore Imperator Thurcarum Czar appellatur, qui tamen non alio eminentiore quàm Regis, hoc eſt, Czar titulo ab antiquo eſt uſus. Hinc Conſtantinopolim Czárigrad, quaſi dicas Regiam urbem, Turcæ Europæi, qui lingua Slauonica utuntur, appellant. Sunt qui principem Moſcovuiæ Album Regem nuncupant. Ego quidem cauſam diligenter quærebam, cur Regis Albi nomine appellaretur, cum nemo principum Moſcovuiæ eo titulo antea eſſet uſus: imò conſiliarijs ipſis ſæpe data occaſione, & apertè dixi, nos non Regem, ſed Magnum ducem agnoſcere. Plerique tamen hanc Regij nominis rationem eſſe putabant, quòd ſub imperio ſuo reges haberet: Albi uerò rationem nullam habebant. Credo autem, ut Perſam nunc propter rubea tegumenta capitis Kiſilpaſſa, id eſt, rubeum caput uocant: ita illos propter alba tegumẽta, albos appellari. Regis porrò titulo utitur ad Romanum Imperatorem & Pontificem, regem Suetiæ & Daniæ, Magiſtrum Pruſſiæ, Liuoniæ: &, ut accepi, ad Turcarum principem. ipſe uerò à nemine C
horum, niſi forte à Liuonieñ. Rex appellatur. Titulis autem antiquitùs, tribus circulis triangulo incluſis, uti ſolebant, quorum primus in ſupremo circulo hiſce uerbis continebatur: Deus noſter trinitas, quæ fuit ante omnia ſecula, pater, filius, & ſpiritus ſanctus: non tamen tres dij, ſed unus Deus in ſubſtantia. In ſecundo, titulus Imperatoris Thurcarum erat, particula adiecta: Fratri noſtro dilecto. In tertio, titulus Magni ducis Moſcovuiæ, quo ſe regem, & hæredem ac dominum totius Ruſsiæ orientalis & meridionalis fatebatur, in quo communi formulæ ſubiunctum uidimus: Miſimus ad te noſtrum fidelem conſiliarium. Ad regem autem Poloniæ huiuſmodi titulo utitur: Magnus Dominus Baſilius, Dei gratia Dominus totius Ruſsiæ, & Magnus dux Vuolodimeriæ, Moſcovuiæ, Novuogardiæ, Smolenski, Tyueriæ, Iugariæ,

A garię, Permię, Bolgarię, &c. omisso Regis titulo. neuter enim horum alterius literas nouo titulo auctas, accipere dignatur. Quod quidem nobis Moscouiæ existentibus acciderat, cum regis Sigismundi literas ad se missas, atque titulo ducis Masouiæ auctas, Moscus grauatim acceperat.

Scribunt quidam, Moscum à Pontifice Romano & à Cæsare Maximiliano nomen expetiuisse, & titulum Regium. Mihi uerisimile non uidetur: præsertim cum nulli homini infensior sit, quàm summo Pont. & quem nõ nisi Doctoris titulo dignatur. Cęsarem autem Romanum non maiorem se existimat: ut ex literis suis apparet, in quibus nomẽ suum Imperatoris titulo præponit. Nomen item Ducis apud eos dicitur Knes: nec alium maiorem titulum, ut dixi, unquam habuerunt, adiuncta illa dictione, Magnus. nam omnes alij qui unicum principatum habebant, dicebãtur Knes: qui uerò plures principatus, atq; alios Knes subiectos sub imperio habebant, Vueliki Knesi, id est Magni Duces appellabantur.

B neq; alium gradum seu dignitatem habent post Boiaros, qui more nostro locum nobilium (ut suprà dixi) seu equitum tenent. In Croacia uerò primores similiter Knesi uocantur: apud nos uerò, sicuti & in Hungaria, nno nisi Comitum nomen obtinent.

Non dubitarũt mihi uiri quidã principes dicere, imò ceu exprobrare, quòd modernus Moscouiæ princeps proferre soleat literas sanctæ memoriæ Imperatoris Maximiliani, quibus nomen Regium tributum sit patri eius Gabrieli, qui postea mutato nomine Basilius uocari maluit: quod'q; affirmet, me eas literas ad illum pertulisse. eam'q; ob causam factum est, ut in nouissimis cum rege Poloniæ tractatibus, aut Rex appellari, aut omnes pactiones irritas esse uoluerit. Etsi uerò his sermonibus, tanquam nec ueris, nec uerisimilibus minimè deberem cõmoueri: tamen eos non tam mea, quàm optimi & clementissimi principis mei causa cogor refutare, cum uideã etiam pijssimos eius manes temerè in inuidiam uocari. Non est obscurum, fuisse quandoque simultatem aliquam inter Maximilianum Imper. & Sigismũdum Poloniæ regem, ea nimirum tem

C pestate, qua Sigismundus ducebat Stephani comitis Scepusiensis filiam. Nam id eò fieri quidam interpretabantur, ut frater sponsæ Ioannes, nuptijs Annæ filiæ Vuladislai regis Hungariæ, autoritate & opera Sigismundi fratris potiretur: & per hoc impediretur, irritum'q; fieret ius successionis, quòd Maximiliano, eius'ue nepotibus in regnum Hungariæ debebatur. Qua de causa sanè Maximilianus sua referre existimabat, Moschum perpetuum Lithuanorum & Polonorum hostem, sibi habere coniunctum. At posteaquam conuentu ad Posonium habito, de Annę nuptijs inter Maximilianum & Vuladislaum, prędente & fauente Sigismundo, conuenit, extinctis subitò & sublatis omnibus suspicionibus & simultatibus, tam arctè complexus est Sigismundum Maximilianus, ut non dubitaret quandoq; dicere, (quòd alibi quoq; retulimus) se cum Sigismundo & ad superos & ad inferos esse iturum. Etsi igitur fuit tem-

pus, cum Maximilianus sibi Moschum fœderatum esse uellet: tamen ei A
regium nomen nunquam tribuit: quod literis & instrumentis utrinque datis & acceptis, facilè cõprobari potest, si cui fortè testimoniũ meum, etsi uerum & fidele, minus ponderis habere uideatur. Cur uerò hunc titulum ab Imperatore Maximiliano peteret Moschus, qui antequam quicquam inter eos negocij esset, non modò se ei parem, sed etiam superiorem uideri uoluit, nomen suum & titulum semper Imperatorio præponens, siue loqueretur, siue scriberet: quod nunc quoque, ut dictum est, ceu mordicus retinetur? At Regium nomen, ne ad Poloniæ quidem regem scribens, post meum ex Moscouuia reditum usurpauit. Hoc quidem in confesso est, quod ad Imperatorem, aut summum Pontificem scribens, se Regem & Dominum totius Russiæ uocat. Quin ne Imperatorio quidem nomine abstinet, si quas fortè literas ex Ruthena lingua in Latinam uersas adiungit: nimirum ipsis interpretibus uocem Czar, quæ Regem significat, Imperatorem uertentibus. Atque hunc in modum idem se & regem & Imperatorem facit. Sed quòd ab Imperato- B
ribus, Maximiliano, eius'ue nepotibus, creatus sit Rex, in Poloniæ regum iniuriam, id nemo crediderit. Quorsum enim attineret, eum Regiam dignitatem, ut fama est, à summo Pontifice petere, si eam antea ab Imperatoribus accepisset? Atque hæc quidem dicta sint pro Maximiliano Augusto, domino meo: qui Sigismundo regi, quoad uixit, certus & syncerus amicus fuit.

De me uerò ipso quid dicam? Qua fronte quæso fuissem ausus, toties & in Poloniam & in Lithuaniam currere ac recurrere, in regum Poloniæ Sigismundi patris & filij conspectum uenire, publicis Polonorum conuentibus interesse, uiros Principes intueri, si commodassem operam hac in re meam Principi meo, cuius nomine ac uerbis, fraternè, amicè, benignè ac beneuolè, & Regi & Ordinibus omnibus frequentissimè detuli, quicquid à coniunctissimo, optimo, & clementissimo Imperatore deferri posset? Si nullum est secretum, quod non reueletur: certè si quid indignum officio meo admississem, id dudum in lucem erupisset. Sed consolor me recti conscientia, qua nulla est con- C
solatio firmior. Et acquiesco suauiter in Regum Poloniæ gratia, ac cæterorum Poloniæ ordinum beneuolentia, quam mihi nunquam defuisse recordor.

Fuerunt fortè tempora, quibus talia minore quàm nunc inuidia spargi potuissent. Sed hæc seri hoc tempore, quid est aliud, quàm quærere modos, ad dissociãdas coniunctissimorum Principum uoluntates, quę omnibus studijs atq; officijs copulandæ & consolidandæ essent? Videbantur acta transacta esse omnia, quæ nemo non putabat ad reliquias Hungariæ seruandas, & ad amissa recuperanda, maximum momentum esse habitura. Verùm quibus ea res & antè magno bono fuit, & amplius futurà erat, hi siue Turcico, siue alio quopiam malo spiritu afflati, pactorum'que & conuentorum obliti, res nouas & pernicioſas moliuntur:

A untur: non reputantes ſecum, in quantum diſcrimen & ſeipſos, & uicinas prouincias, ac in primis Hungariam, de uniuerſo nomine Chriſtiano quàm optimè meritam, ſint adducturi.

MODUS INAUGURANDI Principes.

MOrem, quo Principes Moſcouiæ inaugurantur, ſequens formula, quam non ita facilè conſecutus ſum, tibi depinget: & qua uſus eſt Magnus Dux Ioannes Baſilij, cum ſuum nepotem Demetrium, ut antea memini, Magnum ducem et monarcham Ruſsiæ inueſtiuerat.

In medio templi diuæ Virginis, erigitur tabulatum, ſuper quo tria ſedilia, Auo ſcilicet, Nepoti, & Metropolitano collocantur. Conſtituitur item ſuggeſtum, quod ipſi Nolai uocant: ſuper quo Ducalis pi-
B leus, & Barma, hoc eſt ornamentum Ducale, ponuntur. Pòſt, ad conſtitutum tempus Metropolitanus, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Priores, totus'que conuentus Eccleſiaſticorum, ſolennibus ornamentis induti adſunt. Magno itaque Duce cum Nepote templum ingrediente, canunt Diaconi: Multos annos uni Ducí magno Ioanni, ſecundum conſuetudinem. Sub hæc Metropolitanus cum toto clero canere incipit orationem diuæ Virginis, & ſancti Petri confeſſoris, quem ipſi more ſuo Miraculoſum appellant: qua finita, Metropolitanus, Magnus Dux, & Nepos, tabulatum aſcendunt, in'que ſedilia collocata ſedent, Nepote interim ab initio tabulati ſubſiſtente. Tandem Magnus Dux in hæc uerba præfatur: Pater Metropolitane, ex diuina uoluntate, à noſtris maioribus Magnis Ducibus antiqua & hactenus obſeruata conſuetudine, patres Magni Duces, filijs ſuis primogenitis conſignabant Magnum Ducatum: & ſicut eorum exemplo, genitor meus Magnus Dux, me coram ſe benedixit Magno Du-
C catu: ita ego quoque primogenitum meum Ioannem, coram omnibus Magno Ducatu benedixi. Sed quia diuina uoluntate accidit, ut filius ille meus mortem obierit, ſuperſtes autem ſit unigenitus Demetrius, quem mihi Deus loco filij mei dedit: hunc itaque ego pariter coram omnibus benedico, nunc, & poſt me, Magno Ducatu Vuolodimeriæ, Novuogardiæ, & cætera, ſuper quibus & patrem eius benedixeram.

Sub hæc Metropolitanus iubet Nepotem locum ſibi aſsignatum accedere, & benedicit illi cruce, Diaconum'que iubet orationes diaconorum recitare. ipſe interim ſedendo iuxta illum, capite inclinato quoque, orat: Domine Deus noſter, Rex regum, Dominus dominantium, qui per Samuelem prophetam elegiſti Dauid ſeruum tuum, & inunxiſti illum in Regem, ſuper populum tuum Iſrael: tu nunc exaudi preces noſtras, tuorum indignorum, & reſpice à Sanctua-

rio tuo ad fidelem ſeruum tuum Demetrium, quem elegiſti, exaltare A
regem tuis gentibus ſanctis, quem redemiſti precioſiſsimo unigeniti
filij tui ſanguine: & inunge eum oleo lætitiæ, protege eum uirtute ex-
celſi, pone ſuper caput coronam de lapidibus precioſis, da illi longi-
tudinem dierum, & in dextram ſceptrum Regale: pone illum in ſe-
dem iuſtam, circunda illum omnibus armis iuſticiæ, fortifica illum in
brachio, & ſubijce illi omnes linguas Barbaricas: & ſit totum cor eius
in timore tuo, qui te humiliter audiat: auerte illum à fide mala, &
demonſtra illi ſaluum conſeruatorem mandatorum ſanctæ tuæ uni-
uerſalis Eccleſiæ, ut iudicet populum in iuſticia, & iuſticiam præ-
ſtet pauperibus, conſeruetq; filios pauperum, & conſequatur dein re-
gnum cœleſte.

Poſtea clara uoce loquitur: Sicuti eſt tua potentia, & tuum eſt re-
gnum: ita & laus & uirtus ſit Deo patri, & filio, & ſpiritui ſancto, nunc
& in ſecula ſeculorum. Finita hac oratione, imperat duobus Abbatib.
Metropolitanus, ut ſibi barma porrigant, quæ unà cum pileo, quodam B
tegumento ſerico (quod Schirnikoiu appellant) tecta erat. Mox hanc
tradit Magno duci, crucéq; nepotem ſignat. Magnus autem dux eam ſu-
per nepotem ponit. Dein Metropolitanus inquit: Pax omnibus. Cui
diaconus: Domine oremus. tum Metropolitanus orans: Tibi unico re-
gi æterno, cui terrenum quoque regnum creditum: inclinate uos nobiſ-
cum, inquit, & orate omnia regnantem: Conſerua illum ſub protectio-
ne tua, contine illum in regno, ut ſemper bona & decentia agat: fac cla-
reſcat iuſticia in diebus ſuis, amplificationéq; ſui dominij, & ut in trãquilli-
tate eius quietè, ſine diſcordia uiuamus, in omni bonitate & puritate. &
hæc ſubmiſsius. Alta autem uoce: Tu es Rex mundi, & ſeruator anima-
rum noſtrarum: laus tibi patri, & filio, ſpiritui que ſancto, nunc & in ſe-
cula ſeculorum, amen. Tandem pileum Ducalem à duobus Abbatibus
mandato ſibi allatum, Magno duci porrigit: ad hæc, cruce nepotem in
nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti ſignat. pileum porrò Magno du-
ce capiti nepotis imponente, Metropolitanus primùm, dein archiepi-
ſcopus & epiſcopi accedentes, manu ei benedicebant. His ordine pera- C
ctis, Metropolitanus, & Magnus dux, nepotem ſibi aſsidere iubẽt, pau-
liſperq; commorati ſurgunt. Interea diaconus Letaniam (ut uocant)
incipit, Miſerere noſtri Domine: nominans Ioannem magnum ducem.
rurſus alter chorus commemorat, magnum ducem Demetrium nepo-
tem, & alios ſecundum conſuetudinem. Finita Letania, orat Metropo-
litanus: O ſanctiſsima domina uirgo Dei genitrix. & poſt orationem
Metropolitanus & magni duces conſident. Sacerdos ſeu diaconus lo-
cum demonſtrat, in quo legebatur Euangelium, altaq; uoce dicit: Mul-
tos annos Magno duci Ioãni, bono fideli Chriſti dilecto, Deo electo, &
Deo honorãdo, Magno duci Ioanni Baſilij Vuolodimerię, Novuogar
diæ & totius Ruſsię monarchæ, per multos annos. Sub hæc ſacerdotes
ante altare canunt: Magno duci multos annos. itidẽ in dextro ac ſiniſtro
choro

A choro diaconi canunt, Multos annos. tãdem rurſus diaconus alta uoce, Multos annos magno duci Demetrio, bono fideli Chriſti dilecto, Deo electo & honorãdo: magno duci Demetrio Ioannis Vuolodimerię, Novuogardiæ, & totius Ruſsiæ multos annos. Sacerdotes item apud altare, & in utroq; choro intonant, Multos annos Demetrio. Quibus peractis, Metropolitanus, Archepiſcopus, Epiſcopi, & tota congregatio ordine, magnos duces accedunt, eosq; honorificè conſalutãt. accedunt & filij magni ducis, inclinando & ſalutando magnum ducem.

INSTITUTIONES MAGNI Ducis iam inaugurati.

SImon Metropolitanus inquit: Domine & fili, magne dux Demetri diuina uoluntate, auus tuus magnus dux fecit tibi gratiam, benedixit te ducatu magno: & tu Domine & fili, habe timorem Dei in corde tuo: ama iuſticiam, & iuſtum iu-
B dicium: obedias auo tuo magno duci, & curam de omnibus rectè fidelibus ex toto corde habeto. & nos te Dominum filium ſuum benedicimus, & Deum oramus pro tua ſalute. Dein Metropolitanus & magni duces ſurgunt, Metropolitanusq; orans benedicit cruce magno duci, eiusq; filijs. tãdem Liturgia, hoc eſt ſacro peracto, magnus dux auus ſe in ſuam habitationem confert. Demetrius uerò in ducali pileo & barma, ex æde diuæ Virginis, magna Boiaronum caterua, filijsque comitantibus, ad templum Michaelis archangeli pergit, ubi in ueſtibulo ſupra pontem à Georgio magni ducis Ioannis filio, ter dengis aureis aſpergitur (per dengam genus monetæ intellige) templumque ingreſſo, Sacerdotes letaniam orantes, ſecundum conſuetudinem, cruce ei benedicebant, & iuxta ſepulchra ac monumenta eum ſigno crucis ſignabant. Dein templum egrediens, in porta à Georgio rurſus dẽgis aureis aſpergitur. Pòſt rectà in templum annunciationis Mariæ progreditur, ubi Sacerdotes pariter ei benedicebant, & à Georgio dengis ut antea aſpergebatur. Peractis tandem ijs, ad auum & matrem ſe contulit Demetrius.
C Acta ſunt hæc anno mundi 7006. à nato autem Chriſto 1497. die quarta menſis Februarij.

Interfuerunt autem huic mandato magni ducis, & benedictioni Simonis metropolitani:

Tychon archiepiſcopus Roſtovuiẽ. & Ioroslavuienſis: Nyphont Suſdalienſis & Toruski: Vuaſian epiſcopus Tvuereñ. Prothaſius, Reſanenſis & Muromski Afranius Columbnenſis, Ieuſimi, Sarki & Podonski epiſcopi.

Multi item Abbates & Priores, inter quos potiores Serapian, prior monaſterij ad ſanctã Trinitatem, diui Sergij & Makirij, Prior monaſterij ſancti Cyrilli: magnus denicq; conuentus religioſorum & Eccleſiaſticorũ aderat. Inter prandendũ, muneris quaſi loco oblatũ erat cingulum latum auro, argento, gemmis precioſis confectũ, quo cingebatur. mox

Selgi

Selgi quoq; Pereaslavuski, hoc eſt, piſciculi ex lacu Pereaslavuienſi, ha- A
lecibus non diſsimiles, quorum & nomen habent. Ideo autem id genus piſcium putant afferri, quòd Pereaslavu nunquam ſeparabatur à Moſcovuia, uel Monarchia.

Barmai eſt ueluti torques latæ formę, ex ſerico uilloſo, extrinſecus tamen auro & omnis generis gemmis concinnè confectus: quem Vuolodimerus præfecto cuidam Caphæ Ianuenſi profligato ademit.

Pileus ipſorum lingua Schapka dictus, quo Vuolodimerus Monomach uſus eſt, & quem gemmis ornatum, aureis item laminis, quaſi quibuſdam ſpirulis ſubinde ſeſe uibrantibus, mirè concinnatum reliquit. hactenus dixi de principe, qui maiorem partem Ruſsiæ tenet.

Cæteras Ruſsiæ partes nunc unus Sigiſmundus Poloniæ rex, magnuſq; Dux Lithvuaniæ tenet. Cæterùm cum regum Poloniæ, qui originem ſuam ex Lithvuanis traxerunt, mentio fit, de genealogia eorum quædam ſubiungenda uidentur.

Præfuit magno Ducatui Lithvuaniæ princeps quidam Vuitenen, B
quem cum famulus eius Gedemin, ut Polonorum annales referunt, occidiſſet, mox & ducatu & uxore potitus eſt: ex eá que inter plures alios, præcipuos duos ſuſcepit filios, Olgird & Keſtud. Ex Keſtud natus eſt Vuitoldus, quem aliàs Vuitovudum appellant: & Anna, Ianuſij ducis Mazovuię coniunx.

Vuitoldus reliquit unicam filiam Anaſtaſiam, quæ Baſilio duci Moſcovuiæ in matrimonium collocata, Sophiáq; nominata eſt: ex qua natus eſt Baſilius, pater magni illius Ioãnis, auus Baſilij Rhutenorum principis, ad quem Orator miſſus fui.

Keſtud porrò ab Olgird fratre in carcerem coniectus, miſerè periit. Vuitoldus quoque, uir, quo maiorem Lithvuania non habuit, & ex baptiſmo Alexander dictus, 1430 moritur.

Olgird Gedemini filius, ex uxore Maria, principe Tvuerenſi Chriſtiana, inter alios filios Iagelonem ſuſcepit. Is regnãdi cupiditate non ſolum regnum Poloniæ, ſed ipſam Hedvuigim quoq;, quæ tum diademate inſignita regno præfuit, Vuilhelmoq; duci Auſtriæ deſponſata fuit, C
atq; adeò parentibus primatibuſq; utriuſq; regni conſentientibus, ante nubiles annos Regio more cum eo concubuiſſet, affectabat: miſsisq; mox in Poloniam Oratoribus ſuis, regnum & Hedvuigim uxorem expetit. Vt autem Polonos in ſuam ſententiam pertraheret, uotiq; compos fieret, inter alia fidem ſe Chriſti unà cum fratribus ſuis, ducatibus item Lithvuaniæ & Samogithiæ ſuſcepturum pollicetur: aliįsq; id genus promiſsionibus, Polonos in ſuam ſententiam permouit, ut Hedvuigis horum authoritate adducta, atq; etiam inuita, reſciſſo priore matrimonij fœdere, illi nuberet. quo facto, Iagelo ipſe continuò Vuladiſlai nomine accepto baptiſatur, in Regem coronatur, nuptijsq; peractis Hedvuige uxore anno Domini 1386 potitur. qua tamen non longè poſt primo in partu mortua, Annam comitem Celeiæ duxit uxorem: ex

qua

A qua ſuſcepit unicam filiam Hedvuigim, deſponſatam Friderico iuniori Brandenburgenſi. Duxerat & anum quandam: qua pariter mortua, Rhutenam Andreæ Ioãnis ducis Chiovuienſis filiam Soncam, quæ pòſt aſſumpto ritu Romano, Sophia appellata eſt, duxit: ex eaq; ſuſcepit Vuladislaum & Caſimirum filios.

Vuladislaus patri in regno ſucceſsit, inq; Hungariæ regem, ſubmoto legitimo hærede, Alberti regis defuncti filio Ladislao poſthumo, coronatus, ad Vuarnamq; lacum pòſt à Thurcis oppreſſus eſt.

Caſimirus, qui tum magnum Lithvuaniæ ducatum tenebat, & qui Ladislao poſthumo ſimiliter regnum Bohemiæ, fortè fratris exemplo ductus, adimere uoluit, fratri in regno Poloniæ ſucceſsit. dein eius Ladiſlai, Hũgariæ & Bohemiæ regis ſororem Eliſabetham in uxorem duxit: ex qua ſuſcepit filios, Vuladislaum Hungariæ & Bohemiæ regem, Ioannem Albertum, Alexãdrum, Sigiſmundum, Poloniæ reges: Fridericum Cardinalem, & Caſimirum, qui in Sanctorum numerum relatus eſt.

B Vuladislao erat Ludouicus filius, & Anna filia. Ludouicus in regno ſucceſsit: Maria Philippi regis Caſtellæ, archiducis Auſtrię, filia in uxorem ducta, à Thurcis in Mohacz anno 1526 oppreſſus eſt.

Anna FERDINANDO, Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ regi, archiduci Auſtriæ nupſit: quatuor filijs, & undecim filiabus ex ea ſuſceptis, Pragæ tandem in puerperio, anno Domini 1547 moritur.

Ioannes Albertus ſine coniuge obijt.

Alexander Helenam, Ioannis magni ducis Moſcovuiæ filiam, duxit uxorem: ſine liberis tamen deceſsit.

Sigiſmundus ex priore uxore Barbara, Stephani comitis Zepuſinſis filia, ſuſcepit Hedvuigin, Ioachimi Brandenburgenſis Electoris coniugem. Ex poſteriore Bona, filia Ioãnis Sfortiæ ducis Mediolani & Barij, ſuſcepit Sigiſmundũ ſecundũ Poloniæ regem, magnũ Lithvuanię ducem: qui Elizabetham FERDINANDI Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ regis &c. filiam, anno 1543. ſexta die Maij uxorem duxit. quę tamen immatura morte, & ſine prole, anno 1545. die Iunij decimauin-

C ta deceſsit.

Duxit deinde Barbaram, ex domo Radauilorum: quæ antè Gaſtoldo Lithvuano nupta fuerat, inuitis parentibus: & ſubditis hoc matrimonium tam indignè ferentibus, ut rebellio eorum iam cœpta, in pernicioſam ſeditionẽ abijſſet, ſi FERDINANDVS rex iniurias filię illatas ulciſci, quàm earum memoriam deponere maluiſſet. Hac uerò mortua, idem Sigiſmundus ad redintegrandam cum Ferdinando coniunctionem & affinitatem conuerſus, coniugio ſibi copulauit Catharinam, germanam ſororem Eliſabethæ, quam Franciſcus dux Mantuæ uiduam reliquerat. Nuptiæ celebratæ ſunt Cracouiæ, 31 Iulij, anno 1553. Vtranq; ſororem ego, tanquam Magiſter ſeu Præfectus Curiæ, ad ſponſum deduxi.

Semouites Mazovuię dux, ex Alexãdra Iagelonis ſorore ſuſcepit multos filios, filiasq;. Filij ſine liberis deceſſerũt. Ex filiabus Czimburgis nupſit

pſit Arneſto auſtriæ Archiduci, ex eoq; genuit Fridericum Romano- A
rum Imperatorem, patrem Maximiliani Imperatoris. Maximilianus ge-
nuit Philippum, Hiſpaniarum regem: Philippus CAROLVM V. & FER
DINANDVM, Romanorum Imperatores.

Ovuka Vuoleslao, Theſinenſi duci, in matrimonium collocata eſt.

Amulia, Vuoguslao Stolpenſium duci, qui nunc Pomeraniæ dux appellatur, nupſit.

Anna uerò, Michaeli duci Lithvuaniæ: Catharina innupta obiit.

Porrò Olgird atq; Iagelonis fratres, nepotesq;, item filiarum eiuſdem liberos, Keſtudis denicq; Caſimiri, aliorumq; Regum poſteros, ſi quis ordine recẽſere uellet, in immenſum tam numeroſa proles excreſceret: quæ tamen ut ſubitò aucta eſt, ita nunc in uno regis Poloniæ iam mortui filio, Sigiſmundo ſecundo Poloniæ rege, maſculinus ſexus reſidet.

Quoniam autem in mentionem poſteritatis Gedemini, & regum ex ea ſtirpe incidimus, haud abs re uiſum eſt, ſi quæ regnantibus Vuladiſlao Hungariæ & Boemiæ, ac eius fratre Sigiſmundo Poloniæ regibus B
(Caſimiri filijs) euenerunt, ſubijceremus.

Poſteaquã Vuladislaus regno Hungariæ, concedente, & ius ſucceſſionis ſibi reſeruante Maximiliano Romanorum Imp. potitus eſſet, & unicam tantum filiam iam conſeneſcens haberet: Maximilianus, quo ius ſucceſsionis aliqua arctiore cõiunctione cõfirmaretur, cum Vuladislao de matrimonio inter alterum nepotum ſuorum ex filio ſuo Philippo Hiſpaniarum rege, & Anna Vuladislai filia contrahendo, tractare cœpit. Nam Annæ nuptias perditè ambiebat Ioannes Zapolitanus, filius Stephani Scepuſienſis comitis: cuius ſumma fuerat apud Mathiam regem, atq; ideò apud ipſum Vuladislaum authoritas. Vehementer adnitente matre uidua, quæ primarios quoſq; uiros in Comitatibus & prouincijs Hungariæ, muneribus atq; ſtipendijs annuis (quæ ſua lingua Iargalaſs uocant) ineſcatos, & ad quæuis obſequia obnoxios tenebat: nihil dubitans, quin horum ſtudijs & ſuffragationibus, & matrimonium iſtud filio conficeret, & per hoc eidem regnum pararet. quibus mulieris machinationibus ingens deinde momentum addidere nuptiæ, quæ inter eius C
filiam, Ioannis ſororem, & Sigiſmundum Poloniæ regem factæ ſunt. His rebus animaduerſis, Maximilianus hoc magis ſibi, quod de matrimonio internepotem ſuum & Annam inſtituerat, urgẽdum eſſe ratus, cum exploratum haberet, Vuladislaum idem cupere, ſed factione & ſtudijs eorum qui Ioanni Zapolitano deuincti erant, impediri: aleam ſibi iaciendam, & Hungariam armis tentandam eſſe putauit. quo in bello ego primum militiæ tyrocinium feci. Sed cum hoc in armorum ſtrepitu Ludouicũ Vuladislao naſci cõtigiſſet, interpoſitis primùm inducijs, ad ſolidiorẽ pacẽ deuẽtũ eſt: quę deinde huc exijt, ut Vuladislaus cũ filio iã coronato, & filia, ac huius frater Sigiſmũdus Poloniæ rex Viennã ad Maximilianũ uenirent: ubi factis cum Anna ſpõſalibus, & extinctis omnib. ſimultatibus, & ſuſpicionibus, quibus ob ambitionem Ioãnis Zapolitani

indulge-

A indulgebatur, principes iſti perpetuo fœdere ſunt coniuncti. Sic autem Sigiſmundus rex tum Maximiliano Imp. ſatisfecit, ſeq; approbauit, ut idem aliquando me audiente diceret: Se cum hoc rege, quácunq; intendat, & ad ſuperos, & ad inferos eſſe iturum. De Ludouico uulgò dictum eſt, quòd immaturo partu editus, immatura ætate uxori iunctus & barbatus fuerit: ac regno quoq; immaturus, immaturam mortem obierit. His uerò addi poteſt, quòd mors eius regno Hungariæ, & omnibus uicinis, non minus immatura quàm acerba fuerit. Etſi uerò ſalutaribus conſilijs deſtituebatur Ludouicus, tamen optima eum in patriam & ſubditos ſuos mente & affectione fuiſſe, & quibus ea ſeruarentur rationibus quæſiſſe, conſtat. Nam ubi cognouiſſet, Solimanum poſt Belgradum captum, nouam & formidabilem expeditionem aduerſus ſe moliri, miſerat adoleſcens Curiæ ſuæ magiſtrum Polonum cognomento Trepca, ad patruum ſuum regem Sigiſmundum: ſummis precibus oratum atq; obteſtatum, ut ne ad regni ſui confinia accedere, ac ſecum capiendorum
B conſiliorum cauſa cõuenire grauaretur. Sed cum hoc præciſe recuſatum eſſet à Sigiſmũdo, Trepca cum lachrymis dixiſſe fertur: Nepotem tuum rex nunquã deinde uidebis, nec ullam ab eo legationem audies. Idq; ſic euenit. Nam rege Sigiſmundo ab Hungariæ finibus religionis prætextu longius ad Gedanum in Pruſsiam abeunte, nepos eius unà cum eodem Trepca, illa funeſtiſsima clade, quam à loco Mohacienſem uocãt, eſt abſorptus. Sed nunc ad Moſcos redeo.

Baſilio Ioannis de uxore ducenda deliberanti, conſultantiq;, uiſum tandem fuit, ut potius ſubditi alicuius filiam, quàm externam duceret: tum ut maximis parceret ſumptibus, ſimul ne uxorem peregrinis moribus diuerſaq; religione imbutam haberet. Huius autem conſilij Georgius cognomento Paruus, principis & theſaurarius & conſiliarius ſummus, author fuit. Putabat enim, principem, filiam ſuam uxorem ducturum. Sed tandem publico de conſilio, Boiaronum filiæ numero mille & quingentæ, cum in unum locum conductæ eſſent, ut ex illis quam uellet, eligeret: delectu princeps habito, Salomeam, Ioannis Sapur Boiaronis
C filiam, contra Georgij opinionem in uxorem elegerat. Ex ea porrò cum ad unum & uiginti annos liberos non ſuſcepiſſet, ſterilitate uxoris offenſus, eam eo anno quo nos Moſcouiam ueneramus, nimirum 1526. in monaſterium quoddam in Suſdali principatu intruſit. huic Metropolitanus in monaſterio lachrymanti, eiulantiq;, capillis primùm abſciſsis, cum cucullam porrexiſſet, eam ſibi inijci hæc adeò non patiebatur, ut apprehenſam, in terramq; proiectam cucullam pedibus calcauerit. qua rei indignitate, Ioannes Schygona, unus ex primarijs conſiliarijs, commotus, eam non ſolum acriter obiurgauit, ſed flagello cecidit, ſuperaddens: Tu ne uolũtati Domini reſiſtere audes? illiusq; iuſſa capeſſere moraris? Hunc Salomea cum interrogaret, qua ſe authoritate cæderet? mandato Domini, cum reſpondiſſet: animo illa tum fracto coram omnibus, quòd cucullam inuita atque coacta induat, proteſtatur, tantæq; iniuriæ ſibi illatæ Deum ultorem inuocat. Salomea itaque in monaſterium coniecta,

cum princeps Helenam filiam Knes Basilij Lintzkij Cæci, iamq; uita de- A
functi, fratris inquam ducis Michaelis Lintzkij, qui tum captiuus detine
batur, uxorem duxisset: continuò fama exoritur, Salomeam grauidam,
propeq; partum esse. rumorem confirmabant duæ matronæ, primorum
consiliariorum, Georgij parui thesaurarij, & Iacobi Mazur cubicula-
rij, uxores: aiebantq; sese ex ore ipsius Salomeę audiuisse, ut quæ grauí-
dam se, & prope partum esse fateretur. Qua re audita, grauiter commo-
tus princeps, utramq; à se repulit: alteram, Georgij uxorem, etiam uer-
beribus affecit, quòd tempestiuius de hac re ad se non retulisset. Mox ut
rem compertam haberet, Theodericum Rack consiliarium, & Potat se-
cretarium quendam, ad monasterium in quo detinebatur, mittit: illisq;,
ut ueritatem rei diligenter inquirerẽt, demandat. Quidã nobis tum Mo-
scouuiæ existentibus, sanctè affirmabant, Salomeam filium Georgiũ no
mine peperisse: nemini tamen infantem ostendere uoluisse. Quin cogno
scendæ ueritatis gratia, quibusdam ad se missis, dicitur respondisse, indi-
gnos illos esse, quorum oculi infantem uiderent: dum in suam Maiesta- B
tem ueniret, matris iniuriam ulturum. quidam uerò eam peperisse, con-
stanter negabant. Ambigua itaque ea de re est fama.

Basilij porrò Linczkij ex Lithvuania profugi filiam, cur uxorem duxe
rit princeps, duas causas, præterquam quòd se ex ea liberos susceptorum
sperabat, fuisse accepi: tum quòd socrus genus suum duxisset ex familia
Petrovuitz, quæ magni quondam nominis in Hungaria erat, Græco-
rumque fidem sequebatur: tum quòd Michaelem Linczkij, singulari
dexteritate ac rara quadam fortitudine uirum, patruum liberi habituri
essent. Habebat etenim princeps duos germanos fratres superstites, Ge
orgium & Andream: atque ideo si fortè liberos ex aliqua alia uxore su-
sciperet, eos fratribus uiuentibus, parum tutos fore in regni adminis-
tratione putabat. Michaele autem in gratiam recepto, libertateq; donato,
filios ex Helena susceptos, authoritate patrui in maiore quiete futuros
non dubitabat, de cuius liberatione nobis præsentibus tractabatur:
quem etiam uinculis solutum, liberisq; custodijs honestè mandatum, ui-
dimus tandem libertate donatum, interq; cæteros Knesos testamento à C
principe nominatum, tutorem deniq; nepotum suorũ Ioannis & Geor-
gij institutum fuisse. Sed postea principe mortuo, cum uiduam regium
thorum continuò cum quodam Boiarone cognomento Ovuczina con-
taminantem, inq; mariti fratres uinculis constrictos sæuientem, crude-
lius que imperantem uideret, eam, ut honestius & sanctius uiueret, ali-
quoties sola pietate ac honestate adductus admonuerat: sed huius illa
admonitionem adeò molestè impatienterq; tulit, ut mox qua ratione è
medio tolleretur, consilium quereret. causaq; reperta, Michaelem aiunt
continuò proditionis crimine fuisse insimulatum, atque in carceres rur-
sus coniectum, miserè tandem perijsse: uiduam quoque non ita diu pòst
ueneno sublatam, Ovuczina uerò adulterum in partes dissectum
fuisse. Matre itaque è medio sublata, maior natu filius Io-
annes, 1528. anno natus, in regno successit.

RELI-

RELIGIO.

A RVſsia ut cœpit, ita in hunc uſq; diem in fide Chriſti ritu Græco perſeuerat. Habuit Metropolitanum, quondam reſidentem in Chiovuia, dein in Vuolodimeria, nunc uerò in Moſcouuia. Pòſt, cùm Metropolitæ ſeptimo quoq; anno Ruſsiam Lithvuanorum imperio ſubiectã inuiſerent, exactiſq; nummis inde redirent, hoc Vuitoldus, ne uidelicet prouincię ſuę argento exhaurirentur, ferre nioluit. Conuocatis itaq; epiſcopis, proprium Metropolitanũ conſtituit, qui nunc Vuilnæ, metropoli Lithvuaniæ, ſuam ſedem habet: quę etſi Romanum ritum ſequatur, plura tamẽ templa Ruthenici, quàm Romani ritus, in ea cernuntur. Cæterùm metropolitæ Rhuteni authoritatem ſuam à patriarcha Conſtantinopolitano habent.

Rhuteni in Annalibus ſuis apertè gloriantur, ante Vuolodimerum & Olham, terram Ruſsiæ eſſe baptizatam & benedictã ab Andrea Chriſti apoſtolo, quẽ ex Græcia ad oſtia Boryſthenis ueniſſe ipſi affirmant: & aduerſo flumine ad montes, ubi nunc Chiovuia eſt, nauigaſſe, atq; ibi o-
B mnẽ terrã benedixiſſe & baptizaſſe: crucẽ ſuam illic collocaſſe, prædixiſſéq; magnã ibi Dei gratiã, multaſq; Eccleſias Chriſtianorũ futuras. Pòſt inde uſq; ad fontes Boryſthenis peruenìſſe in Vuolok lacum magnũ, & per fluuium Lovuat deſcendiſſe in Ilmer lacum: unde per fluuium Vuolchovu, qui ex eodem lacu fluit, Novuogardiam: inde fluuio eodem in Ladoga lacum, & Heua flu. atq; in mare uſq; quod ipſi Vuaretzkoiæ appellant, nos Germanicum, inter Vuinlandiã & Livuoniam, Romam nauigando peruenìſſe. Poſtremò in Peloponneſo propter Chriſtum, ab Ago Antipatro crucifixum fuiſſe. Hæc Annales ipſorum.

Eligebantur quondam Metropolitę, item Archiepiſcopi, conuocatis omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus & Prioribus monaſteriorum. inquirebatur uir ſanctioris uitæ per monaſteria & heremos, eligebaturq;. Hunc uerò principem aiunt ad ſe certos conuocare ſolere, atque ex eorum numero unum ſuo iudicio deligere. Erat eo tempore, cum Cæſaris Maximiliani Oratorẽ Moſcouuiæ agerem, Bartholomęus Me-
C tropolita, uir ſanctæ uitæ: cumq; princeps uiolaſſet iuramentum, per ſe & ipſum Metropolitam duci Semeſitz præſtitum, & alia quædam deſignaſſet, quæ uidebantur contra authoritatem illius eſſe, acceſsit principem, & inquit: Dum omnem authoritatẽ tibi uſurpas, ideo officio meo præeſſe non poſſum. Porrecto'que ſibi baculo ſuo, quem in modum crucis ferebat, officium reſignat. Princeps baculum cum officio ſine mora ſuſcipit, atq; pauperem cathenis uinctum, continuò Bielogeſero mittit. Aiunt hunc ibi aliquandiu in uinculis fuiſſe: liberatum tamen pòſt, priuatum'que, in monaſterio reliquum uitæ exegiſſe. Huic metropolita Daniel quidam XXX ferè annos natus, homo corpore robuſto atq; obæſo, facie rubenti, ſucceſsit: qui ne uentri magis quàm ieiunijs, uigilijs ac orationibus deditus uideretur, quoties actum publicum eſſet celebraturus, ſulphuris fumo tum faciem, ut impalleſceret, inficere, atque ita pallore imbutus, in publicum prodire ſolebat.

Sunt & alij duo Archiepiſcopi in dominio Moſci, in Novuogardia, A
ſcilicet Magrici & Roſtoff. item Epiſcopi Tvuerenſis, Reſanenſis, Smo-
lenſis, Permiæ, Suſdali, Columnæ, Czernigovuiæ, Sari. Hi omnes Me-
tropolitæ Moſcovuitico ſubiecti ſunt. habent autẽ ſuos prouentus cer-
tos ex prædijs, & alijs extraordinarijs, ut uocant, accidentalibus: caſtra
autem, ciuitates, aut ullam adminiſtrationẽ ſecularem (ut uocant) non
habent: carnibus perpetuò abſtinent. Abbates duos tantum in Moſco
vuia eſſe reperi: Priores uerò monaſteriorum plurimos, qui omnes ar-
bitrio ipſius Principis, cui nemo reſiſtere audet, eliguntur.

Priores quomodo eligantur, ex cuiuſdam Varlami, Prioris Hutte-
nienſis monaſterij, anno 7034. inſtituti, literis, ex quibus capita rerũ dun
taxat excerpſi, apparet. Principiò fratres alicuius monaſterij, Magno du
ci ſupplicant, ut idoneum Priorem eligat, qui eos diuinis præceptis inſti
tuat. Electus autem, priuſquam confirmetur à Principe, cogitur ſe iura-
mento atq; inſcriptione obſtringere, quòd uelit in eo monaſterio iuxta
ſanctorum patrum conſtitutionem piè & ſanctè uiuere: omnes Officia- B
les iuxta maiorum conſuetudinem, conſentientibus etiam ſenioribus fra
tribus, aſſumere: ſingulis officijs fideles præficere, atque commodum
monaſterij diligenter procurare: de negotijs & rerum cauſis, cum tri-
bus aut quatuor ſenioribus deliberare, factáque deliberatione, nego-
tium ad totum Collegium fratrum referre, atq; eorum communi ſenten-
tia de rebus decernere, conſtitueréq;: non lautius priuatim uiuere, ſed in
eadem menſa perpetuò eſſe, & communi cibo cum fratribus uti: omnes
cenſus & reditus annuos diligenter colligere, ac in theſaurum monaſte-
rij fideliter reponere. Hæc ſub magna pœna, quã ſibi infligere Princeps
poteſt, item priuatione officij, ſeruaturum ſe promittit. Obſtringunt ſe
iuramento quoque ipſi ſeniores fratres, prædicta omnia ſeſe ſeruaturos,
ac Priori inſtituto fideliter & ſedulò obtemperaturos.

Sacerdotes ſeculares ut plurimùm cõſecrantur hi, qui diu apud eccle-
ſias tanquam diaconi ſeruierunt. In diaconum autem nemo conſecratur,
niſi coniugatus, unde plerunq; & nuptias celebrare, & in gradum Dia-
conatus ſimul ordinari ſolent. Si uerò ſpõſa alicuius diaconi malè audit, C
tum in diaconum, niſi integræ famæ uxorem duxerit, non conſecratur.
Mortua coniuge, ſacerdos à ſacris obeundis prorſus ſuſpenditur: ſi ca-
ſtè tamen uiuit, officijs ac alijs rebus diuinis, cum cæteris eccleſiæ mini-
ſtris, choro tanquam miniſter intereſſe poteſt. Erat quidem antea con-
ſuetudo, ut uidui caſtè uiuentes, ſine reprehenſione ſacra peragerẽt. Sed
nunc mos inualuit, ut nullus uiduorum ad ſacra facienda permittatur, ni
ſi monaſterium aliquod ingrediatur, iuxtáq; regulam uiuat.

Quicunque ſacerdos uiduus, ad ſecundas nuptias, quod cuique libe-
rum eſt, tranſierit, is nihil habet cum clero commune: item nullus ſacer-
dotum aut ſacra obire, aut baptizare, aut alio quouis fungi munere au-
det, niſi diacono præſente.

Sacerdotes in eccleſijs primum tenent locum. Et quicunque illorum
contra religionem aut officium ſacerdotale quauis ratione fecerit, iudi-
cio ſpiri-

A cio ſpirituali ſubijcitur. Si uerò furti aut ebrietatis accuſatur, aut in aliud id genus uicij inciderit, à ſeculari magiſtratu, ut uocant, punitur. Vidimus Moſcouiæ ebrios ſacerdotes publicè uerberari: qui aliud nihil querebantur, quàm ſeſe à ſeruis, & non à Boiarone cæſos eſſe.

Paucis retroactis annis, quidam Principis locum tenens, ſacerdotem in furto deprehenſum, laqueo ſuffocari fecit. quã rem Metropolita grauiter ferens, ad principem defert. Accerſitus locumtenens, principi reſpondit: Iuxta antiquum patriæ morem, furem, non ſacerdotem ſe ſuſpendiſſe. atque ita ille impunè dimiſſus fuit.

Si ſacerdos queritur coram laico iudice, ſe à quopiam laico eſſe cęſum, (offenſiones etenim omnes, ac iniuriarum genera, ad ſeculare iudicium ſpectant) tum iudex, ſi fortè cognouerit hũc ab illo laceſsitum, aut quauis iniuria prius affectum fuiſſe, ſacerdotem punit.

Sacerdotes plerunque ex contributione curialium ſuſtinentur, aſſignantur'que illis domunculæ cum agris & pratis, unde uictum ſuis aut
B famulorum manibus, inſtar uicinorum quæritant. Pertenues habent oblationes: aliquando eccleſię pecunia datur ad uſuram, de centum decem, eamq; ſacerdoti porrigunt, ne ſuis illum alere ſumptibus cogantur. Sunt etiam quidam, qui liberalitate principũ uiuunt. Certè non multæ parochiæ reperiuntur, prædijs ac poſſeſsionibus dotatæ: exceptis epiſcopatibus, & quibuſdam monaſterijs. Nulla parochia, ſeu ſacerdotium confertur cuipiam, niſi ſacerdoti. In ſingulis autem templis unicum tantum altare, & in dies ſingulos unicum quoque ſacrum faciendũ putant. Rariſsimè templum reperitur ſine ſacerdote, qui ter in hebdomada tantum ſacra peragere obſtringitur.

Veſtitum propè laicorum habent, extra piretum paruum, & rotundum, quo raſurã tegunt, pileum amplum contra calorem & imbres ſuperimponentes: aut pileo oblongo ex caſtorũ pilis, colore griſeo, utuntur. Omnes, baculos quibus innituntur, deferunt, Poſſoch dictos.

Monaſterijs præſunt, ut diximus, Abbates & Priores: quorum hos Igumenos, illos uerò Archimandritas uocant. Habent ſeueriſsimas le-
C ges ac regulas: quæ tamen ſenſim labefactæ, iacent. Nullo ſolatij genere uti audent. Cithara, aut aliud muſices inſtrumentum, ſi apud aliquem repertum fuerit, grauiſsimè punitur. Carne perpetuò abſtinent. Omnes, non ſolum principis mandato, ſed & ſingulis Boiaronibus à principe miſsis parent. Interfui, quum prouiſor meus à Priore quodam rem certam peteret: quam cum continuò non dediſſet, uerbera minabatur: quo audito, eueſtigiò rem petitam attulit. Sunt plures, qui ex monaſterijs in heremum ſe conferunt, ibi'que tuguriola faciunt, quæ aut ſoli, aut cum ſocijs incolunt: uictum ex terra & arboribus quærunt, nimirum radices, & alios arborum fructus. Hi autem Stolpniki appellantur. Stolp etenim columna dicitur. Domunculas autem anguſtas, & in altum erectas, columnis ſuſtinent.

Metropolita, Epiſcopi, & Archiepiſcopi, quamuis carnibus perpetuò abſtinent: tamẽ cum inuitant hoſpites laicos, aut ſacerdotes, eo tem-

pore quo carnibus ueſcuntur, habent hanc prærogatiuam, ut carnes illis A
in ſuo conuiuio apponant, quod Abbatibus & Prioribus prohibitū eſt.

Mitras Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates nigras & rotundas ferūt: ſolus aūt Epiſcopus Novuogardienſis albam bicornē, more noſtro fert.

Veſtes quotidianæ Epiſcoporum ſunt, ſicut aliorum monachorum: niſi quòd aliquando ſericeas ferunt, & præſertim pallium nigrum, quod habet à pectore in utramque partem tres fibmrias albas, inflexas inſtar riuuli fluentis: in ſignificationem, quòd ex corde & ore illorum fluunt riuuli doctrinę fidei, & bonorum exemplorum. Hi ferunt baculum, quo innituntur, quem gentiliter Poſſoch appellant, in modum crucis. Epiſcopus Novuogardienſis album fert pallium. Cæterùm Epiſcopi dunta xat circa res diuinas, ac ipſam religionem piè procurandā ac promouendam ſunt occupati: rem autem familiarem, & alia publica negotia, officialibus adminiſtranda committunt.

Habent in Catalogo certos Romanos Pontifices, quos inter ſanctos uenerantur: alios uerò, qui poſt illud ſchiſma fuerunt, execrantur, tan- B
quam eos qui ab Apoſtolorum ſanctorumq; patrum, & ſeptem Conciliorum ordinationibus defecerint, & tanquā hæreticos & ſchiſmaticos appellant: eoſdemq; maiori odio proſequuntur, quàm ipſos Mahumetanos. Dicunt enim, ſeptimo generali Concilio concluſum eſſe, ut ea quę in præcedentibus conſtituta ac determinata erant, in poſterum quoque firma rata & perpetua eſſent: nec unquam poſthac cuiquam licere aliud Concilium aut indicere, aut accedere, ſub pœna anathematis. & hoc ſeueriſsimè ſeruant. Erat quidam Metropolitanus Ruſsiæ, qui ad inſtantiam Eugenij Papę Synodum acceſſerat, ubi & Eccleſiæ erant unitæ: reuerſus in patriam capitur, omnibus bonis ſpoliatur, atq; in carceres conijcitur: ex quibus tandem euaſit.

Inter nos & illos fidei diuerſitatem eſſe, licet ex literarum exemplo cognoſcere, quas Ioannes Metropolita Ruſsiæ ad Archiepiſcopum, ut ipſi dicunt, Romanum, dederat, ut ſequitur:

Dilexi decorem tuum domine ac pater beatiſs. Apoſtolica ſede ac uo- C
catione digniſs. qui ex remotis reſpicis ad humilitatem & paupertatē noſtram, & alis dilectionis foues nos, & ſalutas nos ſicuti tuos ex charitate, & interrogas ſpecialiter de noſtra fide uera & orthodoxa: de qua etiam audiens, ut nobis beatitudinis tuæ Epiſcopus retulit, admiratus es. Et quia tantus es, & talis Sacerdos, propterea ego pauper ſaluto te, honorando caput tuum, & deoſculando manus tuas & brachia. Sis lætus, & à ſuprema Dei manu protectus: & det Dominus omnipotens tibi, tuis ſpiritualibus & nobis, ordinem bonum. Neſcio unde exortæ ſunt hæreſes, de uera ſalutis & redemptionis uia: & mirari ſatis non poſſum, quis diabolorum tam malus ac inuidus, tam ueritati inimicus, ac mutuæ beneuolentiæ aduerſarius fuerit, qui fraternam noſtram charitatem à tota Chriſtiana congregatione alienauit, dicens, nos non eſſe Chriſtianos. Nos profectò, Chriſtianos uos ex Dei benedictione ab initio cognouimus, licet in omnibus fidem Chriſtianam non ſeruetis, & in multis diuer-

A tis diuersi sitis: id quod ex septem magnis Synodis ostendam, in quibus fides orthodoxa & Christiana instituta est, ac prorsus cõfirmata, in quibus etiam tanquam septem columnis sapientia Dei domum sibi ædificauit. In his præterea septem Synodis, omnes Papæ digni sunt habiti cathedra S. Petri, quia nobiscum sentiebant. In primo autem Synodo erat Sylueſter Papa, in secunda Damasus, in tertia Cœlestinus, in quarta beatissimus Papa Leo, in quinta Vigilius, in sexta Oaphanius, uir honorandus, & in Sacris scripturis doctus: in septima S. Papa Adrianus, qui misit primus Petrum Episcopum & Abbatem monasterij sanctæ Sabæ: unde postea exortæ sunt dissensiones inter nos & uos, quæ pullularunt præcipuè in antiqua Rana. Sunt profectò mala multa, quæ à uobis contra leges diuinas ac statuta committuntur: de quibus pauca ad charitatem tuam scribemus. Primùm de ieiunio sabbathi, contra legem obseruato: secundò de ieiunio magno, in quo septimanam abscinditis, & carnes comeditis, ac propter carnium uoracitatẽ homines ad uos allicitis. Item,
B qui sacerdotes secundum legem ducunt uxores, illos uos reijcitis. Item qui à presbyteris in baptismate inuncti sunt, illos uos iam denuò inungitis, dicentes, illa simplicibus sacerdotibus facere non licere, sed solis episcopis. Item de azymis malis, quæ manifestè Iudaicum seruitium seu cultum indicant. Et quod est caput omnium malorum, ut quæ confirmata sunt per S. Synodos, ea uos cœpistis permutare & peruertere, dicentes de spiritu sancto, quòd non tantum à patre, sed & à filio procedat: & multa alia maiora, de quibus tua beatitudo ad Patriarcham Constantinopolitanum, fratrem suum Spiritualẽ, referre, & omnem diligentiam adhibere deberet, ut aliquando tollerentur isti errores, & ut unanimes essemus in concordia Spirituali. sicut dicit sanctus Paulus, informans nos: Oro uos fratres propter nomen Domini IESV CHRISTI, ut idem sentiatis, & dicatis, & non sit inter uos discordia, & sitis in eodem intellectu fortificati, & in eadem cogitatione. De istis sex excessibus, quantum potuimus, ad uos scripsimus: deinceps & de alijs scribemus
C charitati tuæ. Si enim ita res se habet, sicuti audiuimus, agnosces ipse nobiscum, transgredi per uos Canones sanctorum Apostolorum, & instituta magnarum septem Synodorum, in quibus erant omnes ueſtri primi Patriarchæ, & concorditer dicebant, quòd uerbum ueſtrum esset uanum. Et quòd manifestè erretis, nunc palàm redarguam. In primis de ieiunio sabbathi, uidetis quæ de isto S. Apostoli docuerunt, quorum doctrinam habetis. & maximè beatus Papa Clemens, primus post sanctum Petrum apostolum, ita scribit ex statutis Apostolorum, ut est in Canone LXIIII. de sabbatho dicens: Si Ecclesiasticus inuentus fuerit, qui die Dominico uel sabbatho ieiunaret, prẽter sabbathũ magnũ, degradetur: si autem secularis homo fuerit, excommunicetur, & ab Ecclesia seiungatur. Secundum erat de ieiunio, quod uos corrumpitis. Est Iacobitarum & Armeniorum hæresis, qui lacte & ouis in sancto ieiunio magno utuntur. quis enim uerus Christianus audet ita facere & cogitare? Legite Canones sextæ magnæ Synodi, in qua Oaphanius Papa ueſter,

ea prohibet. Nos profectò, cum reſciueramus, in Armenia, & aliis qui- A
buſdam locis, ouis & caſeo in magno ieiunio ueſci, noſtris illico manda-
uimus, ut ab eiuſmodi cibo atque omni imolo dæmoniorū abſtinerent:
à quibus ſi quis non abſtineret, ab Eccleſia ſepararetur: ſi ſacerdos, à ſa-
cris ſuſpenderetur. Tertius præterea maximus eſt error & peccatum,
de coniugio ſacerdotum, quòd ab illis qui uxores habent, ſumere cor-
pus Domini renuitis: cum ſancta Synodus, quæ fuit in Gangra, ſcribat
in quarto Canone: Qui ſpernit ſacerdotem, ſecundum legem uxorem
habentem, & dicit, quòd non liceat ex manibus eius accipere Sacramen-
tum, ſit anathema. Item Synodus dicit: Omnis diaconus, uel ſacerdos
dimittens propriam uxorem, priuetur ſacerdotio. Quartum peccatum
erat inunctio, ſeu confirmatio. Non ne ubique dicitur in Synodis: Con
fiteor unum baptiſma, in remiſsionem peccatorum? Si ergo eſt unum
baptiſma, erit & unum chriſma, & uirtus eadem tam Epiſcopi quàm
ſacerdotis. Quintus eſt error de azymis: qui quidem error eſt princi-
pium & radix totius hæreſis, ſicuti demonſtrabo. & quanquam neceſ- B
ſe eſſet huc multas adducere ſcripturas, tamen id aliàs faciam, & in præ-
ſentiarum hoc tantum dicam: Quia azymi à Iudæis fiunt in memoriam
liberationis eorum, & fugæ ex Ægypto: nos autem ſemel Chriſtiani ſu-
mus, nunquam in labore Ægyptiorum fuimus, & huiuſmodi Iudæo-
rum de ſabbatho, azymis, & circunciſione obſeruationes, nobis obmit-
tendas eſſe mandatum eſt. Et ſi aliquis ſequatur unum ex illis, ſicuti di-
cit ſanctus Paulus, tenetur totam legem implere, eodem Apoſtolo di-
cente: Fratres, ego accepi à Domino, quod & tradidi uobis: quia Do-
minus in qua nocte tradebatur, accepit panem, benedixit, ſanctifica-
uit, fregit, & dedit ſanctis diſcipulis, dicens, Accipite & manducate, &c.
Conſidera quid dico. non dixit, Dominus accipiens azyma, ſed pa-
nem. Quòd illo tempore nec azymi erant, nec Paſcha fiebat, nec Do-
minus tunc comedebat Paſcha Iudæorum, ut daret azyma Apoſtolis,
probabile eſt per hoc, quòd Iudæorum Paſcha ſtando fit & comeditur:
quod in Chriſti cœna non fiebat, ut Scriptura dicit, Recumbentibus
eis cum duodecim. item, Et diſcipulus recubuit ſuper pectus ipſius in C
cœna. Nam quod ipſe dixit, Deſiderio deſideraui hoc Paſcha mandu-
care uobiſcum: Iudæorum paſcha non intelligit, quod antè ſemper co-
medebat cum ipſis. Neque cum dicit, Hoc facite in meam commemo-
rationem, neceſsitatem faciendi, tanquam Iudæorum Paſcha eſſet, im-
ponit: neque azyma illis, ſed panem dat, cum dicit, Ecce panis quem e-
go do uobis. ſimiliter ad Iudam: Cui ego dabo panem intingens in ſal,
ipſe eſt traditurus me. Si autem dicitis iſtam rationem, quòd nos cele-
bramus in azymis, quia nulla eſt terreſtreitas uel commixtio in diuinis:
cur diuinitatis obliti eſtis, & ſequimini ritum Iudæorum, ambulantes
in hæreſi ipſius Iuliani, Machumeti, & Apollinaris Laodicenſis, & Pauli
Syrij Samoſatenſis, & Eutychij, & Diaſterij, aliorumque qui erant in ſe-
xta Synodo deprauatiſsimi heretici, diabolico q; ſpiritu repleti? Sextus
denique error eſt, de Spiritu ſancto. Quomodo enim dicitis, Credo in
Deum pa-

A Deum patrem & filium, & ſpiritum ſanctum, qui à patre & filio procedit? Mirabile eſt profectò, & horrendum dictu: quòd audetis fidem peruertere: cum ab initio per uniuerſum orbem, in omnibus Chriſtianorum eccleſijs conſtanter canatur: Credo in ſpiritum ſanctum, & Dominum uiuificantem, & à patre procedentem, qui cùm patre & filio ſimul adoratur & glorificatur. Quare igitur uos non dicitis, ſicuti alij Chriſtiani omnes: ſed additiones ponitis, & nouam adducitis doctrinam? cum tamen Apoſtolus dicat: Si quis annunciauerit uobis, præter ea quæ uobis diximus, anathema ſit. Vtinam uos non incurratis iſtam maledictionem. Difficile eſt enim, & horrendum, Dei ſcripturam, compoſitam per ſanctos, permutare & peruertere. Neſcitis quàm maximus ſit error. Nam duas uirtutes, duas uoluntates, & duo principia de ſancto ſpiritu adducitis, adimentes & parui facientes eius honorem, & hæreſi Machidoniæ conformes eſtis: quod abſit. Oro, & me inclino ad ſanctos pedes tuos, ut ab huiuſmodi errorib. qui inter uos ſunt,
B ceſſes, & maximè ab azymis abſtineas. Volui etiam aliquid ſcribere de ſuffocatis & immundis animalibus, & de monachis edentibus carnes: ſed de his poſtea (ſi Deus uoluerit) ſcribam. Parce autem, propter maximam charitatem, quòd de his rebus ad te ſcripſi. An autem ſunt facienda illa quæ fiunt, interroga ſcripturas, & inuenies. Rogo te Domine, ut ſcribas ad Dominum noſtrum patriarcham Conſtantinopolitanum, & ad ſanctos Metropolitas, qui uerbum uitæ in ſe habent, & ſicut luminaria in mundo lucent. Fieri enim poteſt, ut Deus per illos ſuper huiuſmodi erroribus inquirat, emendet & conſtituat. Deinde ſi tibi uidebitur, mihi minimo inter alios omnes, reſcribas. Saluto te ego Metropolita Ruſsiæ, & alios omnes tibi ſubiectos clericos & laicos. Salutant etiam te mecum S. Epiſcopi, Monachi & Reges, magni homines. Charitas ſpiritus ſancti ſit tecum, & cum omnibus tuis: Amen.

SEQVVNTVR CANONES CVIVSdam Ioannis Metropolitæ, qui dicitur Propheta, quos raptim ut potui adſequi, adiungere uolui.

C

VERI in neceſsitate abſque ſacerdote baptiſentur. Animalia, uolucres, ab auibus uel feris laceræ, non comedantur: qui uerò commederint, aut in azymis celebrauerint, uel in ſeptuageſima carne uſi fuerint, uel animantium ſanguinem uorauerint, corrigantur.

Aues, animalia ſuffocata, non comedantur.

Rhuteni cũ Romanis in neceſsitate comedant, celebrent aũt minimè.

Rhuteni omnes Romanos non rectè baptiſatos, quia in aquã toti non ſunt immerſi, ad ueram fidem conuertant: quibus conuerſis, non ſtatim Euchariſtia, ſicuti nec Tartaris, alijs ue à fide ſua diuerſis, porrigatur.

Imagines antiquæ, & tabulæ, ſuper quibus conſecrationes fiunt, non comburantur: ſed in hortis, aut alio honorifico loco, ne iniuria afficiantur, aut dedecore, ſepeliantur.

Si in

Si in loco ſacro domum exædificaueris, locus ubi erat altare, uacuus A
relinquatur.

Maritus monaſterium ingreſſus, ſi eius uxor alteri nupſerit, in ſacerdotem conſecretur.

Principis filia, ei qui communione in azymis, & cibis utitur immundis, non in matrimonium locetur.

Sacerdotes, hyberno tempore ex animalium, quibus ueſcuntur, pellibus, femoralia ferant.

Non confeſsi, & aliena bona haud reddentes, ad communionem non admittantur.

Sacerdotes & monachi, nuptijs chorearum tempore non interſint.

Sacerdos ſi ſciens, perſonam iam tertiò expetentem matrimoniū coniunxerit, officio priuetur.

Mater filios baptizari uolens, ieiunare non ualentes, pro illis ieiunet.

Si maritus relicta priore uxore, alteram duxerit, uel uxor alteri nupſerit, ad communionem, niſi ad matrimonium redierit, non admittatur. B

Nullus alienæ fidei uendatur.

Sciens cum Romanis comedens, orationibus mundis mundetur.

Vxor ſacerdotis ab infidelibus capta, redimatur: & in matrimonium, quia uim paſſa eſt, reaſſumatur.

Mercatores & peregrini ad Romanorum partes proficiſcentes, communione non priuentur: ſed ad eandem, iniunctis quibuſdam pro pœnitentis orationibus reconciliati, admittantur.

In monaſterio conuiuia, aduocando mulieres, non habeantur.

Matrimonium non niſi publicè, in Eccleſijs contrahatur.

SEQVVNTVR QVAESTIONES *Cyrilli cuiuſdam, ad epiſcopum Niphontem Nouogardienſem.*

QVid ſi homo poſt communionem, ex nimia cibi aut potus repletione euomuerit? RESPON. Quadraginta diebus ieiunando pœniteat. Si non ob repletionem, uerùm ex nauſea, C
XX diebus: ſi uerò alia leui ex cauſa, minus. Sacerdos tale quiddam committens, XL diebus à diuinis & abſtineat, & ieiunet: ſin alia leui ex cauſa, per ſeptimanam ieiunet: quin medone & carne ac lacte abſtineat. Si autem tertia aut quarta poſt communionem die euomerit, agat pœnitentiam. Sin aliquis Sacramentum euomerit, centum & uiginti diebus pœniteat: ſi uerò in infirmitate euomerit, tribus diebus: uomitum uerò igni comburat, & centum Pſalmos dicat: ſi autem canis uomitum deuoraret, centum diebus ieiunet.

Si uaſa terrea, uel lignea immunda fuerint, quid faciendum? R. Orationibus mundis mundentur.

Quid pro anima defuncti faciendū? R. Det grifnam unam pro quinque Miſsis, cum fumigationibus, panibus, & tritico cocto, quod dicitur Kuthia. Sacerdos uerò habeat uinum proprium.

Quid ſi

A Quid ſi monacho infirmo, Seraphica ueſte induto, per octo dies nihil dederim ad edendum? R. Bene factum, quia erat in Angelico ordine.

Quid ſi Latinus Rhutenico ritu initiari uoluerit? R. Intret eccleſiam noſtram VII diebus: nouum illi imponatur nomen, ſingulis diebus quatuor orationes eo præſente dicantur deuotè: abluat ſe deinde in balneo, ſeptem diebus carnibus & lactarijs abſtineat, octaua die lotus ingrediatur eccleſiam. Super quo quatuor illæ orationes dicentur, mundis ueſtibus induatur, corona ſeu ſertum ſuper caput illi imponatur, chriſmate inungatur, cereus illi in manus detur: dum Miſſa peragitur, communicetur, proq; nouo Chriſtiano habeatur.

An aues, piſces, uel alia terreſtria animalia, feſtis diebus interficere liceat? R. Die Dominico, quia dies feſtus eſt, homo in eccleſiam eat: humanis uerò neceſsitatibus exigentibus, occidantur.

An Sacramentum in hebdomada Palmarum conſecratum, per totum annum ſeruare liceat? R. Seruetur in uaſe mundo: ſacerdos uerò id in-
B firmo porrigens, parum uini addat.

An aquam uino addere liceat, communicando infirmum? R. Sufficit uinum tantùm.

An infirmis dæmoniacis, & mente captis, liceat dare Sacramentum? R. Ora illorum tantum Sacramento tangantur.

An ſacerdoti habenti uxorem in puerperio, quemadmodum ſuper lai corum fit uxoribus, orationes dicere liceat? R. Non, nam ea in Græcia non ſeruatur conſuetudo, niſi alius non inueniatur ſacerdos.

Quid in die Exaltationis S. Crucis edendum? R. Monachi piſcibus non ueſcantur: laici uerò eadem die deoſculantes S. Crucem, carnes edere poſſunt, niſi fortè in diem Veneris aut Mercurij inciderit.

An ſacerdoti noctu cum uxore concumbenti, manè eccleſiam ingredi licet? R. Lauet prius eam partem quæ ſub umbilico eſt, eccleſiam ingrediatur, Euangelium legat: ad altare uerò accedere, uel celebrare prohibeatur. Volens autem ſacerdos diebus Solis & Martis celebrare, poterit die Lunæ cum uxore concumbere, & ſic deinceps.

C An uxorem non habenti, Euchariſtia porrigenda? R. Dummodo per integram quadrageſimã cum nupta alterius, aut bruto non coierit.

An infantuli poſt baptiſmum communicandi? R. In templo, dum ſacra peraguntur, aut ueſpertinæ preces cantantur, communicentur.

Quo cibi genere in ieiunio maiore utendum? R. Dominicis & ſabbatis diebus, piſcibus: alijs uerò Ikhri, hoc eſt, piſcium inteſtinis.

In maiori hebdomada, monachi mel edant, & bibant kvuas: id eſt, aquam acetoſam.

In conſecratione Kuthie, cerei quot ſunt incendendi? R. Pro animabus duo, tres uerò pro ſalute uiuentis.

Kuthia quomodo conficienda? R. Sint tres partes tritici cocti: quarta uerò de piſis, fabis, & cicere, pariter coctis, condiantur melle, & zaccaro. adhibeantur etiam, ſi habentur, alij fructus. Kuthia autem hac, peractis exequijs, in eccleſia utantur.

Quando

Quando Bulgari, Polovuczi, & Czudi baptiſandi? R. Si quadragin A
ta diebus antè ieiunent, & orationes mundæ ſuper illos dicantur: ſi uerò
Slauus fuerit, octo tantum diebus ieiunet. Baptiſans autem puerum, ma-
nicas bene ſuccingat, ne dum immergit puerum, de lauacro baptiſmatis
in ueſte aliquid remaneat. Puerpera quoq; à partu quadraginta diebus,
templum non ingrediatur.

An mulier poſt menſtrua, communicanda? R. Non communicetur,
niſi prius ſit lota.

An liceat ingredi habitaculum puerperæ? R. In locum ubi mulier pe-
perit, nemo ante triduum ingrediatur. Quemadmodum enim alia im-
munda uaſa, diligenter lauanda: ita habitationem illam orationibus eſſe
prius mundandam.

An poſt occaſum ſolis ſepeliendum? R. Occaſo iam ſole, nemo ſepe-
liatur: eſt enim hæc mortuorum corona, uidere ſolem antequam ſepe-
liantur. Plurimùm autem meretur, qui oſſa mortuorum & imagines an-
tiquas condit. B

An liceat marito, circa feſtum Paſchæ ſumere Euchariſtiã? R. Si cum
uxore per quadrageſimam non concubuerit. Item, qui dentibus die Pa-
ſchæ ouum attigerit, aut ex cuius gingiua ſanguis manauerit, eadem die
à communione abſtineat.

An liceat marito, proxima poſt communionem nocte cum uxore con
cumbere? R. Licet. diebus tamen Veneris, Sabbati, & Dominico, ſi de-
prauati ingenij conceperit puerum uxor, parentes pœniteant. Si autem
nobiles & magni nominis fuerint parentes, dent certas griffnas ſacerdo-
ti, ut pro eis oret.

Si fortè lacerata papyrus, quę aliquid ſacrarum literarum continebat,
in terram proiecta fuerit, an eodem loco deambulare liceat? R. Non.

An liceat lacte alicuius uaccæ, eodem die quo uitulum edidit, uti? R.
Non, quia eſt ſanguine mixtum: poſt biduum autem licebit.

Quando poteſt aliquis à ſacris ſuſpendi? R. Sacerdos tempore ieiu-
nij feminæ alicuius amore flagrans, inq; os eius linguam inſertans, ſemen
denique genitale libidine inflammatus ſpargens, à diuinis per integrum C
annum abſtineat: ſi uerò ante ſacerdotium tale quid commiſerit, in ſa-
cerdotem non conſecretur.

Laicus uerò eiuſmodi peccata ac flagitia deſignans, eo anno non com
municetur.

An ſit initiandus ſacris is, ex quo aliqua uno duntaxat concubitu con
cepit? R. Raro concipiunt ex primo coitu. decies autem ſi congreſſus
fuerit, non conſecretur.

Præterea qui uirgini ſtuprum obtulit, aut uxorem ſuam uitiatam pri-
mo concubitu animaduerterit, in ſacerdotem pariter non conſecretur.

Diuortium celebrans, quomodo pœnitebit? R. Perpetuò ab Eucha-
riſtia, niſi iamiam animam agens, abſtineat.

Licebit ne cuipiam in uita, pro animæ ſuę ſalute exequias mortuorum
obire? R. licet.

An con-

A An coniunx coniugem, in perficienda pœnitentia iuuare poteſt? R. Non poteſt, tanquam frater fratrem.

An ſacerdos ea die qua mortuum ſepeliuit, & deoſculatus eſt, obire ſacra debeat? R. Non debet.

An puerpera deploratæ ualetudinis, communicari debet? R. Dummodo ex eo loco, ubi enixa eſt, aſportata, ac lota fuerit.

An liceat rẽ habere cum uxore eo loci, ubi ſunt imagines ſanctorum? R. Accedens ad uxorem, non ne deponis crucem de collo? ſimiliter nec in habitatione coram imaginibus, niſi bene recluſę & opertę fuerint, coire licebit.

An liceat illico à prandio, uel cœna, antequam dormias, in templo orare? R. Vtrum melius, dormire, an orare?

Poteſt ne ſacerdos ſine ſacerdotali habitu accedere ægrotum, eiſq; porrigere Sacramentum? R. Poteſt.

Quomodo ducendę uxores? R. Volens uxorem ducere, quadraginB ta, aut minus octo diebus, ſe ab alijs mulieribus contineat.

An mulieri quę facit abortum, pœnitẽdum? R. Mulier non caſu aliquo, ſed temulẽta, faciens abortum, pœniteat. Item, quę uiro ſuo aquam, qua ipſa ſe lauit, ad bibendũ, ut ſe amet, dederit, ſex hebdomadis ieiunet.

An carne & lacte eius uaccæ, qua cum homo miſcuit corpus, utendum? R. Omnes, præter exceſſorem, uti poſſunt.

An mulier conſilio uetularum, quo concipiat, utatur? R. Mulieres, antiquarum uetularum conſilio, herbis, ut concipiant, utentes, & non potius ſacerdotes, qui eas orationibus ſuis iuuent, accedentes, ſex hebdomadis pœniteant, atq; ſacerdoti tres griffinas numerent. Grauidam autem temulentus ſi læſerit, ita ut aborſum faciat, medio anno pœniteat. Obſtetrices quoq; octo diebus ab æde ſacra abſtineant, dum orationibus mundentur.

BAPTISMVS.

C BAptizantur hoc modo. Nato infante, mox accerſitus ſacerdos, ante ianuam habitationis in qua eſt puerpera, certas ſtando recitat orationes, pueroq; nomẽ imponit. Dein XL communiter die, ſi fortè puer ægrotet, defertur in templum, & baptizatur, ac ter in aquam totus immergitur: alioqui baptizatum non crederent. Mox inungitur chriſmate, quod cõſecratum eſt in hebdomada magna. inungitur denicq; myrrha, ut ipſi dicunt. Aqua uerò baptiſmatis ſingulis infantibus conſecratur, & continuò poſt baptiſmum extra templi portam effunditur. Semper in templo baptiſantur infantes, niſi longinquitas loci nimia, aut frigus puero obeſſet: neque unquam aqua tepida, niſi pueris infirmis, utuntur. Suſceptores ex uolũtate parentum aſſumuntur: & quoties præeunte certis uerbis ſacerdote, diabolo renuncient, toties in terram expuunt. Sacerdos etiam infanti capillos abſcindit, eoſq; cerę etiam intricat, & in templo loco certo reponit. Non adhibent ſal, neq; ſaliuam cum puluere.

SEQVITVR BVLLA ALEXANDRI

Papæ, ex qua Baptiſmus Rhutenorum abundè conſtat.



Lexander Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Altitudo diuini conſilij, quod humana ratio nequit comprehendere, ex ſuæ immenſæ bonitatis eſſentia, aliud ſemper ad ſalutem humani generis pullulans, tempore congruo, ſecreto myſterio, quod ipſe Deus nouit, opportuno, producit & manifeſtat: ut cognoſcant homines, ex ſuis meritis, tanquam ab ipſis, nihil proficere poſſe, ſed eorum ſalutem & omne donum gratiæ ab ipſo ſummo Deo & patre luminum prouenire. Sanè non ſine grandi & ſpirituali mentis noſtræ lætitia accepimus, quòd nonnulli Rhuteni in ducatu Lithvuaniæ, & alij ritu Græco uiuentes, fidem tamen Chriſtianam aliàs profitentes, qui Vuilnenſem ac Chiovuienſem, Lutzeorienſem, & Mednicenſem ciuitates & diœceſes, ac alia loca eiuſdem ducatus inhabitant, ſancto ſpiritu cooperante illuſtrati, nonnullos errores, quos hactenus, ritu & more Grecorum uiuentes, obſeruarunt, penitus ab eorum mentibus & cordibus abdicare, & unitatẽ fidei Catholicę & Latinę Romanę Eccleſiæ amplecti, & ſecundum ritũ eiuſdem Latinę & Romanæ eccleſiæ uiuere deſiderant & proponũt. Sed quia more Græcorũ, ſcilicet in tertia perſona baptiſati fuerunt, & nonnulli aſſerunt eos de nouo baptiſari debere, prædicti qui ritu Greco hactenus uixerũt, & adhuc uiuunt, tanq̃ antea ritè baptiſati, renuunt & recuſant de nouo baptiſma ſuſcipere. Nos igitur, qui ex commiſſo nobis deſuper, licet inſufficientibus meritis, officio paſtorali, cupimus ſingulas oues nobis commiſſas ad uerum ouile Chriſti perducere, ut fiat ex illis unus paſtor, & unum ouile, & ne ſancta Catholica eccleſia diuerſa & deformia membra à capite diſcrepãtia, ſed conformia habeat, attendentes quod per fœlicis recordationis Eugenium Papam quartum prædeceſſorem noſtrum, in concilio per eum Florentiæ celebrato, & in quo Græci atq̃ Armeni, unà cũ Romana eccleſia ſentientes interfuerũt, definitum fuit, formam huius ſacramẽti Baptiſmatis exiſtere, Ego te baptizo in nomine patris & filij et ſpiritus ſancti, amen: ac etiam per illa uerba, Baptizetur talis ſeruus Ieſu Chriſti, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti: uel, Baptizatur manib. meis talis, in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti: uerum perfici baptiſma. quoniam eius principalis cauſa, ex qua baptiſma uirtutẽ habet, ſit ſancta trinitas: inſtrumentalis autẽ ſit miniſter, qui tradit exterius ſacramẽtum, ſi exponitur actus qui per ipſum exercetur miniſterium, eius ſanctæ trinitatis inuocatione efficitur ſacramẽtum: & propterea huiuſmodi ſacramenti, ſic in tertia perſona collati, reiterationem neceſſariã non exiſtere: habita etiam ſuper hoc cum fratribus noſtris deliberatione matura, auctoritate Apoſtolica, nobis & alijs Romanis Põtificib. ab ipſo Ieſu Domino noſtro per beatum Petrum (cui & ſucceſſoribus eius Apoſtolatus, miniſterij diſpẽſationem commiſit) tradita, tenore præſentium decernimus atq̃ declaramus, omnes & ſingulos ſic in tertia perſona baptizatos,

A zatos, uolentes à ritu Græco ad ritum & morem Latinæ & ſanctæ Romanę eccleſiæ uenire, ſimpliciter & ſine alia cõtradictione, aut etiam obligatione, uel coactione, quòd iterum rebaptiſentur: etiam cum intentione, quòd aliàs ritus per oriẽtales eccleſias ſeruari ſoliti, hæreticam prauitatem non cõcernen. obſeruari poſsint: facta prius tamen per eos omnium errorum, rituum Græcorum, à Latina & Romana eccleſia, & illius ritu ac ſanctis inſtitutionibus deuiantium, abiuratione, admittendos fore. exhortañ. etiam per uiſcera miſericordiæ Dei noſtri, omnes & ſingulos qui prędicto modo baptizati ſunt, & ritu Græco uiuunt, ut abnegata omniũ errorum, quæ ſecũdum morem & ritum Græcorum hactenus obſeruarũt, quíq; ab immaculata & ſancta Catholica, Latina & Romana eccleſia, & illius ſanctorum patrum inſtitutionibus approbatis deuient, uelint eidem Catholicę eccleſiæ, illiusq; ſalubribus documentis, pro animarum ſuarum ſalute & ueri Dei cognitione adhærere: & ne eorum ſanctum propoſitum à quouis retardari poſsit, modò uenerabili fratri
B noſtro Epiſcopo Vuilnenſi, in uirtute ſanctæ obedientiæ committimus & mãdamus, quatenus omnes & ſingulos ſic baptizatos, & ad unitatem præfatæ Latinæ eccleſię uenire, & errores prædictos abiurare uolentes, ad præfatæ Latinæ eccleſiæ unitatem, errorum huiuſmodi abiurationem per ſe uel per alium, ſeu etiam alios ſeculares Prælatos, eccleſiaſticos ſeu prædicatores, aut minorum ordinum regularis obſeruãtiæ profeſſores, doctos & probos, ac alios idoneos, quibus id duxerit committẽdum, recipiat & admittat: ac tam ſibi quàm illi, aut illis, cui uel quibus, quoties expedierit, id duxerit committendum, ſingulos præfatos, ſic inueniẽtes ab exceſsibus, propter obſeruationem huiuſmodi errorum, ac hæretica prauitate inde proueniente, nec non excommunicationis ſententia, aliiſq; cenſuris & pœnis eccleſiaſticis, quos quomodolibet propter ea incurrẽt, dicta Apoſtolica auctoritate abſoluendi, ac eis pro modo culpæ pœnitentiam ſalutarem iniungẽdi, aliaq; in præmiſsis neceſſaria faciendi, plenam & liberam licentiam & facultatem concedimus, per
C preſentes. Verùm quia forſan difficile foret, preſentes noſtras literas ad ſingula loca, ubi opus fuerit, referre: uolumus, & eadẽ authoritate Apoſtolica decernimus, quòd earũdem literarum trãſſumptũ, manu alicuius notarij publici ſubſcripto, & ſigillo præfati Vuilnẽſ. ſeu alterius alicuius epiſcopi, uel prælati eccleſiaſtici munito, eadẽ fides prorſus adhibeatur in iudicio & extrà, & aliàs ubilibet, ubi fuerit exhibitũ uel oſtẽſum, ſicut ipſis literis originalibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ uel oſtenſæ, non obſtãtibus cõſtitutionib. & ordinationibus apoſtolicis, ceteriſq; cõtrarijs quibuſcunq;. Nulli ergo omnino homini liceat hãc paginam noſtræ conſtitutionis, declarationis, exhortationis, cõmiſsionis, mãdati, cõceſſionis, uoluntatis & decreti infringere, uel ei auſu temerario cõtraire. Si quis autẽ hoc attentare preſumpſerit, indignationẽ omnipotẽtis Dei, ac beatorũ Petri & Pauli apoſtolorũ eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ, apud S. Petrũ: Anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimoprimo, decimo Kal. Septem. Pontificatus noſtri anno nono.

CONFESSIO.

Confeſsionem quamuis ex conſtitutione habent, uulgus tamen eam A
Principum opus eſſe, & præcipuè ad nobiles dominos & præſtantiores uiros pertinere exiſtimat. Cõfitẽtur circa Paſchatis feſtum, magna cordis contritione ac ueneratione. Stat confeſſor, unà cum confitente, in medio templo, uultu conuerſo ad imaginem quandam, ad hoc conſtitutam. Finita dein confeſsione, pœnitẽtiáq; iuxta delicti qualitatem iniuncta, ante ipſam imaginem ſubinde ſeſe inclinant, ſignoq; crucis frontem pectusque ſignant: magno deniq; gemitu clamant, IESV CHRISTE fili Dei, miſerere noſtri. Nam hæc communis illorum eſt oratio. Quibuſdam pro pœnitentia ieiunia, nõnullis certæ quædam precationes (Dominicam etenim orationem perpauci ſciunt) iniunguntur: quoſdam, qui grauius aliquid commiſerint, aqua abluunt. Ex profluente etenim aquam in Epiphania Domini hauriunt, eamq; conſecratam per totum annum in templo, pro mundandis & abluendis grauioribus peccatis ſeruant. Item peccatum die Sabbatho cõmiſſum, leuius iudicant, minusq; pœnitentię pro eo iniungunt. Sunt complures & leuiſsimæ cauſæ, pro- B
pter quas in templum non admittuntur: ſolent tamen excluſi plerunq; portis & feneſtris templi aſtare, atque inde non minus uidere & audire ſacra, quàm ſi in templo fuiſſent.

Is qui concubuerit cum uxore ſua, & poſt conſtitutum tempus ſe non abluerit, ea die ingredi templum non audet.

COMMVNIO.

Communicant ſub utraq; ſpecie, miſcentes panem uino, ſeu corpus ſanguine. Sumit ſacerdos cocleari ex calice portiunculam, porrigitq; communicanti. Quotieſcunq; aliquis in anno uoluerit, modò confeſſus fuerit, ſumere corpus Domini poteſt: alioqui tempus conſtitutum ad feſtum Paſchatis habẽt. Pueris ſeptem annorum porrigunt ſacramẽtum: dicuntq;, tum hominem peccare. Si puer infirmus fuerit, aut fortè animam agere cœperit, ut de pane ſumere non poſsit, infunditur ei gutta ex calice. Sacramentum ad communicãdum, non niſi dum ſacrum fit, conſecratur: pro infirmis autem conſecratur die Iouis, in maiori hebdoma- C
da, & conſeruatur per totum annum. Cæterùm cum fuerit neceſſe, accipit inde portiunculam, quam uino imponit, & bene humectatam porrigit ægroto, dein parum aquæ tepidæ addit.

Nullus monachorum, nec ſacerdotum, horas Canonicas, ut uocant, orat, niſi habeat imaginem præſentem: quam etiam nemo, niſi magna ueneratione, attingit. qui eam autem in publicum profert, manu eam in altum tollit: quam omnes prætereuntes, aperto capite, cruce ſe ſignantes, inclinando, plurimùm uenerantur. Libros Euangelij non niſi in locis honeſtis, tanquam rem ſacram reponunt: neque manibus tangunt, niſi prius cruce ſe munierint, & capite aperto inclinatoque honorem exhibuerint: pòſt, ſumma cum ueneratione in manus ſumunt. Panem quoque, antequam uerbis conſuetis more noſtro conſecratus fuerit, circumlatum

A cumlatum per ecclesiam, concœptis uerbis uenerantur & adorant.

FESTI DIES.

Festos dies uiri præstantiores, peractis sacris epulis, ebrietate & uestitu eleganti uenerantur: uulgus, domestici ac serui, plerunq; laborant, dicentes, feriari & à labore abstinere dominorum esse. Ciues & mechanici, diuinis intersunt: quibus peractis, redeunt ad laborem, sanctius putantes labori incumbere, quàm bibendo, ludendo, & id genus rebus, substantiam & tempus inaniter perdere. Nam uulgo & plebi ceruisiæ & medonis potus prohibitus est: quibusdam tamen solennioribus diebus, utputa Natalis Domini, ferijs Pascę, Pẽtecostes, & alijs quibusdam, potare illis permissum est: quibus sanè non propter diuinum cultum, sed potum potius, à labore abstinent.

Trinitatis festum celebrant die Lunæ, in ferijs Pentecostes. In octaua uerò Pentecostes, festum omnium Sanctorum. Diem autem Corporis Christi, more nostro non uenerantur.

B Iurando ac blasphemando, rarò nomen Dei usurpant. cum autem iurant, per osculum crucis dicta uel promissa firmãt. Blasphemiæ eorum, Hũgarorum more, communes sunt, Canis matrem tuam subagitet, &c.

Quoties se signo crucis signant, id manu dextra sic faciunt, ut frontem primùm, deinde pectus, mox dextram, ac demum sinistram pectoris partem punctim in formam crucis tangant. Quòd si quis aliter ducat manum, eum non pro domestico fidei suæ, sed pro alieno habent: sicut me huius ceremoniæ ignarum, ac aliter ducentem manum, hoc nomine notatum & obiurgatum esse memini.

PURGATORIUM.

Purgatorium nullũ credunt: sed dicunt, unicuiq; uita defuncto, secundum meritum suum esse locum: pijs quidem lucidum, cum angelis placidis: impijs autem obscurum, & cęca caligine obductum, cum angelis terribilibus destinatum esse, in quo extremum expectant iudicium. ex loco & angelis placidis cognoscunt animæ gratiam Dei, semper petunt extre

C mum iudicium: aliæ contrà. Neq; animam à corpore separatam, pœnis obnoxiam esse putant. nam cum anima in corpore se contaminauerit, cum corpore esse expiandam. Quòd autem pro defunctis funebre sacrum faciunt, credunt, eo posse tolerabiliorem animabus exorari ac impetrari locum, in quo facilius expectare futurum iudicium queãt. Aqua benedicta nemo se aspergit, nisi à Sacerdote aspergatur. Cœmiteria pro sepeliendis corporibus non cõsecrant. aiunt enim, corporibus inunctis & consecratis, terram ipsam, non corpora terra, consecrari.

DIVORUM CULTUS.

Nicolaum Barensem inter sanctos in primis uenerãtur, déq; eius plurimis miraculis quotidie prædicant: quorum unicum, quod non ante multos annos contigit, adiungere placuit. Michael quidam Kysaletzki, uir magnus & strenuus, in quodã conflictu Tartarico, quendam magni nominis Tartarum fugientem est persecutus: quem cum citato equi

curſu aſſequi non poſſet, Nicolae (inquit) perduc me ad hunc canem. A
Tartarus hæc audiens, territus exclamat: Nicolae, ſi hic tuo auxilio me
aſſequetur, nullum miraculum facies: ſi uerò me alienum à tua fide, ab
illius perſecutione incolumem ſeruaueris, tum magnũ erit nomẽ tuum.
aiunt Michaelis equum reſtitiſſe, Tartarumq; elapſum. Tartarum quo-
que deinceps Nicolao ob incolumitatem ſuam, in ſingulos uitæ ſuæ an-
nos, certas menſuras mellis obtuliſſe: totidemq; menſuras Michaeli pa-
riter in memoriam liberationis ſuæ, adiuncta etiam honoraria ueſte ex
pellibus Madauricis, miſiſſe.

IEIVNIVM.

Ieiunãt in Quadrageſima ſeptẽ perpetuas ſeptimanas. Prima lactarijs
utũtur, quam Syrna, quaſi caſeacea, appellãt: ſequentibus uerò ſeptima-
nis omnes (extra peregrinantes) etiam piſcibus abſtinent. Sunt qui
diebus Dominicis & Sabbato cibum ſumunt, reliquis diebus ab omni
cibo abſtineant. Sunt item, qui diebus Solis, Martis, Iouis & Saturni, ci B
bum ſumunt, reliquis tribus quoq; abſtineant. Reperiuntur etiam plu-
rimi, qui diebus Lunę, Mercurij & Veneris, panis fruſto cum aqua ſum-
pto contenti ſunt. Reliqua per annum ieiunia non ita ſtrictè obſeruant:
ieiunant autem poſt octauam Pẽtecoſtes, quæ illis eſt dies omnium San
ctorum, uſq; ad ferias Petri & Pauli: & dicitur ieiunium Petri. Deinde
habent ieiunium Diuæ Virginis, à prima Auguſti uſq; ad Aſſumptio-
nem Mariæ. Item ieiunium Philippi, ſex ſeptimanis in aduentu Domi-
ni, & dicitur Philippi: quòd initium eius ieiunij contingit feſtum Phi-
lippi, ſecundum eorum Calendarium. Si denicq; feſtum Petri & Pauli,
item Aſſumptionis, inciderit in diem Mercurij, aut Veneris, tum nec ea
die carnibus ueſcuntur. Nullius ſancti uigiliam ieiunio uenerantur, prę-
ter decollationem S. Ioannis, quam XXIX Auguſti quotannis obſer-
uant. Si denicq; in maiori ieiunio quadrageſimæ aliquis ſolennis dies, ut
Annũciationis Mariæ, inciderit, eo piſcibus utuntur. Monachis autem
multo grauiora & moleſtiora ieiunia impoſita ſunt, quos Kvuas, hoc eſt C
potu acetoſo, & aqua cum fermento mixta, contentos eſſe oportet. Sa-
cerdotibus quoq; aqua mulſa & ceruiſia eo tempore ſunt prohibita: li-
cet nunc omnes leges ac ſtatuta diffluant, uitientur q;. Porrò extra tem-
pus ieiunij, die Sabbato ueſcuntur carnibus, Mercurij uerò abſtinent.

Doctores quos ſequuntur, ſunt: Baſilius magnus, Gregorius, & Ioan
nes Chryſoſtomus: quem dicunt Slatauſta, id eſt aureum os. Concionatoribus carent. Satis eſſe putant, interfuiſſe Sacris, ac Euangelij, Epiſto-
larum, aliorumq; doctorum uerba, quæ uernacula lingua recitat Sacrifi-
cus, audiuiſſe: ad hoc, quòd uarias opiniones ac hæreſes, quæ ex concio-
nibus plerunq; oriuntur, ſeſe effugere credunt, feſtos dies proximæ ſe-
ptimanæ die Dominico annunciant, publicamq; cõfeſsionem recitant.
Principem porrò ipſum quicquid credere aut opinari uidẽt, id rectum,
omnibusq; ſequendum eſſe ſtatuunt.

Accepimus Moſcouię, patriarchã Conſtantinopolitanũ ad petitio-
nem ipſius

A nem ipſius Moſci, miſiſſe quẽdam monachum Maximilianum nomine, ut omnes libros, Canones, & ſingula ſtatuta ad fidem pertinentia, in ordinem recto iudicio redigeret. Quod cum feciſſet, multisq; & grauiſsimis erroribus animaduerſis, coram Principe pronunciaſſet, eum planè eſſe ſchiſmaticum, qui Romanum aut Græcum non ſequatur ritum: hęc inquam ubi dixiſſet, non multo pòſt (etſi eum ſumma proſequeretur Princeps beneuolentia) dicitur euanuiſſe, ac multorum opinione ſubmerſum eſſe. Agebatur tertius annus, dum nos Moſcouuiæ eſſemus, quando Marcus Græcus mercator quidam ex Capha, hoc idem dixiſſe ferebatur: captumq; pariter (licet pro eo tum Turcarum orator improbis quodammodo precibus intercederet) ſublatum è medio fuiſſe. Georgius Græcus cognomento Paruus, Theſaurarius, Cancellarius, ſupremusq; conſiliarius Principis, cum eandẽ cauſam quoq; foueret, defenderetq;, ab omnibus continuò officijs remotus, gratiaq; Principis decide-

B rat. Sedenim eius opera carere Princeps cũ haudquaq; poſſet, rurſus in gratiam receptus, ſed diuerſo erat officio præfectus. fuit enim uir ſingulari doctrina, & multarum rerum experientia præditus, qui cum matre Principis in Moſcouuiam uenerat: quem tantopere Princeps ueneraba-tur, ut ęgrotũ ſemel cum ad ſe uocaſſet, primi nominis aliquot ſuis conſiliarijs demãdauerat, ut illũ in uehiculo ſedentẽ, in ſuam habitationem uſq; ferrẽt. Sed cum in aulam eſſet aduectus, ac tot tamq; altis gradibus portari ſe recuſaret, depoſitusq; uehiculo, paulatim ad Principem aſcenderet, hunc Princeps cum fortè uideret, ſtomachari grauiter cœpit, inq; lectica collocatum ad ſe deferri iuſsit. tandem communicatis cum eo conſilijs, negotioq; confecto, in lectica uirum per gradus deferẽdum iubet, ſemperq; deinceps ſurſum ac deorſum portandum mandauit.

Religioſorum præcipua cura exiſtit, ut quoslibet homines ad fidem ſuam perducant. Monachi heremitę bonã iam olim idololatrarum partem, diu multumq; apud illos uerbum Dei ſeminantes, ad fidem Chriſti pertraxerunt. Proficiſcuntur etiamnum ad uarias regiones Septen-

C trionem uerſus & orientem ſitas, quò non niſi maximis laboribus, famæ ac uitę periculo perueniunt, neq; inde aliquid commodi ſperant, nec petunt: quin hoc unicum ſpectãt, ut rem gratam Deo facere, & animas multorum deuio errore abductas (morte aliquando doctrinam Chriſti confirmantes) in uiam rectam reuocare, ac eos Chriſto lucrificare queant.

Eſt etiam in Moſcouuia præcipuũ monaſterium S. Trinitatis, quod XII miliaribus Ger: Occidentem uerſus à Moſcouuia ciuitate diſtat, ubi S. Sergius ſepultus, multa miracula edere dicitur, admirabiliq; gentium ac populorũ cõcurſu pietateq; celebratur. Eò Princeps ipſe ſæpe, uulgus uerò quotannis certis diebus confluit, monaſterijq; liberalitate alitur. Perhibetur olla cuprea ibi eſſe, in qua certi cibi, & ut plurimum olus coquitur. Fit autem, ut ſiue pauci, ſiue multi eò uenerint, ſemper tamen cibi tãtum remaneat, quo eius monaſterij familia ſaturetur: adeò ut nihil unquam deſit, neq; ſuperfluat.

Gloriãtur Moſci, ſe ſolos uerè Chriſtianos eſſe: nos uerò dãnant, tan-

quã deſertores primitiuæ Eccleſiæ, & ueterũ ſanctarum cõſtitutionum. A
Quòd ſi quis noſtræ religionis homo ultro ad Moſcos tranſit, aut etiam
inuito domino ad eos profugit, quaſi diſcendæ & complectẽdæ religio-
nis eorum cauſa, eum negant dimitti, aut etiam repetenti domino reddi
oportere: quod mihi etiam ſingulari quodã caſu eſt cõpertum, quẽ huc
inſerendum putaui. Ciuis quidam Cracouienſis primarius, mihi in Mo
ſcouiam eunti cõmendarat, & penè inuito tradiderat, quendam ex hone
ſta Bethmanorum familia natum, nomine Eraſmum, adoleſcentem non
indoctum: potationi tamen uſq; adeò deditum, ut nõnunq; uſq; ad inſa-
niam inebriaretur: meq; frequẽti ſua ingurgitatione quandoq; cogeret,
ut ei cõpedes inĳciendos curarem. Itaq; erroris ſui cõſcientia uictus, aſſo
ciatis ſibi Moſcis tribus, et auriga meo Polono, nocte quadam è Moſco-
uia urbe aufugit: & Occa fluuio tranato, uerſus Aſoph iter intẽdit. Quo
comperto, Princeps cõtinuò ſuos ueredarios, quos illi Gonecz uocant,
quoquò uerſum dimiſit, ut ex fuga retraherentur. Hi cum in excubito-
res, qui aduerſus continuas Tartarorum incurſiones illis in locis diſpo- B
ſiti ſunt, incidiſſent, & expoſito eis hoc caſu effeciſſent, ut ipſi quoq; ad
perquirendos fugitiuos obequitarent: in hominem obuium incidunt,
qui ſe beneficio noctis deſeruiſſe diceret quinq; equites, qui eum rectum
iter ad Aſoph ſibi commõſtrare coegiſſent. Itaq; excubitores ueſtigĳs il
lorum inſiſtentes, cum noctu ignem, quem incenderant, eſſent conſpica-
ti, equis illorum in paſcuis circa locum pernoctandi errantibus, in mo-
dum ſerpentum taciti adrepunt, eosq; longius propellunt. Cum igitur
experrectus auriga meus, equos lõgius digreſſos reducere uellet, ex her-
bis in eum proſiliunt: eiq; mortem, ſi uel minimam edat uocem, minan-
tur, atque ita uinctum tenent. Cumq; rurſum equos longius propelle-
rent, eosq; unus & alter & tertius reducere uellet, pari modo omnes or-
dine ex inſidĳs capiũtur, uno Eraſmo excepto: qui ſe, cum in eum irrue-
rẽt, ſtricta framea defendit, & Stanislaum (hoc erat aurigæ nomen) in-
clamauit. At cum is ſe captũ & uinctum eſſe reſpõdiſſet, abiecta framea,
Eraſmus: Nec ego, inquit, uobis captis, liber eſſe, aut uiuere uolo. atq; ita C
ſeſe dedidit, cũ ab Aſoph bidui itinere abeſſent. Captiuis reductis, cũ pe
tĳſſem à Principe, ut mihi mei reſtituerẽtur: reſpõdit, Nõ licere cuiquam
reddere hominem, qui ad Moſcos percipiendæ ueræ religionis cauſa
(quam, ut dictum eſt, ſe ſolos tenere prędicant) acceſsit. Aurigã tamen
mihi mox reſtituit. Sed cum Eraſmũ reddere recuſaret, dixi diſpenſatori
nobis adiũcto, quem illi Priſtauũ uocãt, malè de Principe ſenſuros & lo
cuturos homines, ſi Oratoribus famulos ſuos adimat. Ne uerò uel Prin
ceps, uel ego culpari poſſemus, rogaui ut eũ in cõſpectũ conſiliariorum
ſuorũ nobis prĕſentibus uenire permitteret, ut illius uolũtas ab ipſomet
intelligeretur. Hoc ubi aſſentiente Principe factum eſſet, percõtabar E-
raſmũ, an apud principẽ religionis ergò manere uellet? Cum annuiſſet,
ego ei: Si, inquam, lectum tibi bene ſtraueris, bene decumbes. Pòſt Li
thuuanus quidã, qui ſe familię Comitis Nugarolis adiunxerat, cum eum
à propoſito dehortatus eſſet, hoc ab eo reſponſum tulit, quòd meam ſe-

ueritatem

A ueritatem timeret. Ibi cum Lithvuanus ei dixiſſet, Num redire uellet, ſi eum Comes in familiam ſuam reciperet? aſſenſit. Relata itaq; ad Comitem re, cum idem ex me queſiſſet, an conſentirem? reſpondi, id ei per me liberum fore. Cupiebam enim & ipſe effingere, ne propinqui eius aliter hanc rem, atq; acciderat, interpretarentur.

Porrò ad Moſcos raro cõfugere ſolẽt, niſi quibus alibi uiuendi locus & ſecuritas non eſt. Qualis fuit noſtris temporibus Seuerinus Nordvued, regis Daniæ Chriſtierni præfectus maris, homo quidem militaris, ſed quoduis negotiũ in nomine dæmonis auſpicari ſolitus: de quo multa audiui, quæ prudens prætereo. Is cum Regem ob ſuam immanitatem Holmiæ, quæ caput regni Suetiæ eſt, uernaculaq; ipſorum lingua Stokholm appellatur, incolis ſuis exoſum eſſe, ſuaq; ſponte Daniæ regno ceſsiſſe uideret, munitum quendam locũ in Gotlandia inſula (quæ duodecim miliaribus Germanicis patet) occupauit, ex qua mare Baltheum diu infeſtabat, nemini parcens, æquè amicos ac hoſtes ſpoliabat. Tan-
B dem, ubi contra ſe tanquam communem quandam peſtem omnes timeret, nullumq; locum in quo ab inſidijs tutus eſſe poſſet, uideret: aſſumpto certo prædonum numero ad principem Moſcouiæ cõfugit, uenitq; certis nauibus in fluuiũ Narua, ad arcem Moſci Ivuanovugorod. Inde terreſtri itinere Moſcouiã, eo anno quo ego illic fui, deductus erat. Cæſaris autem Caroli Quinti interceſsione dimiſſus, in obſidione Florentiæ Italiæ ciuitatis, in eius ſeruitio globo ferreo traiectus occubuit.

DE DECIMIS.

VOlodimerus myſterijs uiuifici lauacri, Anno 6496 initiatus, decimas unà cum Leone Metropolita, de omnibus rebus dandas inſtituit, propter pauperes, pupillos, infirmos, ſenes, aduenas, captiuos atq; pauperes ſepeliendos: iuuãdos etiam eos, qui numeroſam haberent ſobolem, quibusue bona igni abſumpta eſſent, ac ſubleuandam denique miſerorum omnium inopiam, Monaſteriorum pauperumq; Eccleſias, & in primis propter defunctorum & uiuorum refrigerium. Idem Vuolodimerus poteſtati & iuriſdictioni Spiritualiũ ſubiecit omnes Abbates, Presbyteros, Diaconos,
C & totum ſtatum clericorum: monachos, moniales, & eas quæ proſcura ad Sacra cõficiunt, quas Proſcurnicas uocant: item uxores filiosque Sacerdotum, medicos, uiduas, obſtetrices, & eos qui miraculum ab aliquo Sanctorum acceperint, quiue manumiſsi eſſent pro alicuius animæ ſalute: miniſtros denique ſingulos monaſteriorum & hoſpitalium, & qui monachorum ueſtes conficiunt. Quicquid itaq; inter prædictas perſonas ſimultatis ſeu diſcordiæ exoritur, Epiſcopus ipſe tanquam competens iudex, decernere & cõſtituere poteſt. Si uerò inter laicos & hos, aliquid controuerſiarum oritur, iudicio communi decernitur.

Proſcurnicæ ſunt mulieres iam effœtæ, quæ amplius menſes non patiuntur: & quæ panem ad ſacrificandum, qui proſcura dicitur, coquunt.

Epiſcopi etiam diuortia, tam inter Kneſos quàm Boiarones, atq; omnes ſecula-

nes ſeculares qui concubinas fouent, conſtituere debent. Item ad Epi- A
ſcopalem iuriſdictionem pertinet, ſi quando uxor marito non obſequa-
tur, ſi quiſpiam in adulterio ſeu fornicatione deprehenſus fuerit, ſi uxo
rem conſanguineam duxerit, ſi coniunx coniugi quippiam mali machi-
netur. Item diuinationes, incantationes, uenena, contentiones propter
hæreſim uel fornicationẽ ſuſceptas: aut ſi filius parentes, ſorores ue acer
bius increpauerit, læſerit ue. Præterea Sodomitas, ſacrilegos, mor-
tuorum ſpoliatores, & qui ad incantandum de imaginibus Sãctorum,
aut ſtatua Crucis quicquam auulſerint: qui canem, auem, aut aliud ali-
quod animal immundum in ædem ſacram duxerint, aut comederint,
punire. Ad hæc, ſingulas rerum menſuras ordinare, ſtatuere que de-
bent. Nemo autem miretur, ſi prædicta Canonibus iſtis atque traditio-
nibus diuerſa reperiantur. Sũt enim non tam uetuſtate ipſa, alia quidem
in locis aliis mutata, quàm pecuniæ ſtudio pleraq; deprauata, uitiataq;.

Princeps ſi quando Metropolitam conuiuio accipit, ſolet ei primum
in accubitu locum, abſentibus fratribus ſuis, deferre. In funebri ſacro, B
cum Metropolitam atq; Epiſcopos inuitauerit, eis ipſe ab initio pran-
dij cibum potumq; porrigit: dein fratrem ſuum, uel principem aliquem
uirum, qui uices ſuas ad prandij uſq; finem ſuppleat, conſtituit.

Cæremonias illorum, quibus ſolenni tempore in templis utuntur, ut
uiderem, equidem impetraueram. Atq; ita utroq; legationis meæ tem-
pore, in feſto Aſſumptionis Mariæ, XV uidelicet die Auguſti, cum ma-
ius templum in arce frondibus arborum ſtratum, ingreſſus fuiſſem, ui-
di Principem ad dextram portæ, qua ingreſſus erat, ad parietem aperto
capite ſtantem, Poſochq; baculo (ut uocant) innitentem, ante ſe quen-
dam Colpaack dextra tenentem: Conſiliarios uerò ad columnas tem-
pli, quò loci & nos deducti eramus, ſtantes. In medio templi, ſuper ta-
bulato, Metropolita ſolenniter ueſtitus, mitramq; rotundam ſuperne
imaginibus Sanctorum, inferne uerò hermellinis pellibus ornatam ge-
ſtans, ſtabat, Poſochq; baculo (quẽadmodum Princeps) innitebatur,
atq; mox cantantibus aliis, ipſe cum miniſtris ſuis orabat. dein chorum C
uerſus procedens, in læuam contra noſtrum morem conuerſus, per mi-
norem portã egreditur, præcedentibus Cantoribus, Sacerdotibus atq;
Diaconis: ex quib. unus in patena, ſuper capite, panem iam ad ſacrifican
dum præparatum, portabat: alter uerò, coopertum calicem: cęteri pro-
miſcuè, ſancti Petri, Pauli, Nicolai, Archangeli, imagines magna populi
circumſtantis acclamatione ac ueneratione ferebant. Quidam porrò
ex circumſtantibus acclamabant, Domine miſerere. alij fronte terram,
more patrio, tangebant, flebantq;. Varia denicq; ueneratione ac cultu
circumlata ſigna uulgus proſequebatur. Poſt finito circuitu, per me-
diam chori portam ingreſſis, Sacrum, ſeu ſummum (ut uocant) offi-
cium cœptum eſt fieri. Cæterùm totum Sacrum, ſeu Miſſa, gentili ac
uernacula lingua apud illos peragi ſolet. Epiſtola pręterea, Euãgelium
pro tẽpore, quo magis à populo percipiantur, extra chorum, populo a-
ſtãti clara uoce recitantur. In priore mea legatione, eodẽ feſto die, ultra

centum

A centum homines in fossa arcis laborantes uidi: quòd feriari non nisi Principes & Boiari, ut infrà dicemus, solent.

RATIO CONTRAHENDI *Matrimonium.*

INhonestum ac turpe est adolescenti, ambire puellam, ut sibi in matrimonium locetur. Patris est, iuuenem alloqui, ut ducat filiam suam. In hæc autem uerba plerunque proloqui solent: Cum mihi sit filia, uellem equidem te mihi generum. Ad quæ iuuenis: Si me, inquit, expetis generum, & tibi ita uidetur, conueniam parentes meos, & de hac re ad eos referam. Dein si parentes & proximi assensi fuerint, conueniunt, & de his quæ pater filiæ dotis nomine dare uelit, tractant. Mox dote constituta, nuptijs dies præscribitur. Interea temporis sponsus ab ædibus sponsæ usq; adeò arcetur, ut si fortè petierit, eam saltem ut uideret, tum parentes respondere solent: Cogno-
B sce ex alijs qualis sit, qui eam norunt. certè nisi sponsalia prius maximis pœnis firmata fuerint, ita ut sponsus non possit, etiam si uellet, sine graui pœna, eam repudiare, aliàs non datur illi accessus. Dotis nomine dantur plerunq; equi, uestes, framea, pecora, serui, & similia. Inuitati ad nuptias, pecuniam rarò offerunt: munera tamen, seu donaria sponsæ mittunt, quæ singula sponsus diligenter notata reponit. Finitis nuptijs, deprompta rursus ordine conspicit: atque ex ijs, si quæ placent, sibiq; usui futura uidentur, ea mittit ad forum, iubetq; singula ab his qui rebus precia imponunt, æstimari: reliqua omnia & singula, singulis remittit, cum gratiarum actione. Ea quæ seruauit, in anni spacio iuxta æstimationem, pecunia, aut alia aliqua re æqualis ualoris compensat. Porrò si aliquis donum suum pluris fecerit, tum sponsus ad iuratos æstimatores continuò recurrit, illumq; horum æstimationi standum esse cogit. Item si sponsus post elapsum annum non satisfecerit, aut munus acceptum non restituerit, tum in duplo satisfacere tenetur. Denique si alicuius donum
C iuratis æstimandum dare neglexerit, ex uoluntate atq; arbitrio eius qui dedit reponere cogitur. Atq; hunc morem uulgus ipsum in omni liberalitate, seu donationis genere obseruare solet.

Matrimonium ita contrahunt, ut quartum gradum consanguinitatis aut affinitatis non contingant. Hæreticum putant, germanos fratres, germanas ducere sorores. Item, nemo sui affinis sororem ducere in uxorem audet. Obseruant etiam seueriſsimè, ne hi matrimonio implicentur, inter quos spiritualis cognatio baptismatis interceſsit. Si quis alteram uxorem ducit, fitq; bigamus, concedunt id quidem, sed uix legitimum matrimonium esse putant. Tertiã uxorem ducere, sine graui causa non permittunt. Quartam autem nec concedunt cuipiam, nec etiam Christianum esse iudicant. Diuortium admittunt, & dant libellum repudij: id tamen maximè celant, quòd contra religionem ac statuta esse sciunt. Principem ipsum Salomeam uxorem, propter sterilitatem repudiatam, in monasterium intruſisse, atque Helenam filiam Knes Basilij

Lynski

Lynski duxiſſe, paulo antè diximus. Ante aliquot annos etiam quidam A
dux Baſilius Bielski ex Lithuania in Moſcoviam profugerat: eius uxo-
rem iuuenẽ, & quam paulo antè duxerat, cum amici diutius apud ſe de-
tinerent, (putabant enim illum amore ac deſiderio adoleſcentulę rurſus
rediturum) Bielski cauſam uxoris abſentis in conſilium Metropolitæ
refert, communicatoq; conſilio Metropolita inquit: Quando non tua,
ſed uxoris potius, atque adeò cognatorum culpa fit, ut cum ea eſſe tibi
non liceat, equidem legis gratiam tibi faciam, teq; ab ea abſoluam. Qua
re audita, mox aliam ex principum Reſanenſium progenie natam duxit,
ex qua etiam filios ſuſcepit, quos nunc in magna apud Principem autho
ritate uidimus.

Adulterium non appellant, niſi quis alterius uxorem habuerit. Tepi-
dus eſt ut plurimum cõiugatorum amor, præſertim nobilium & princi-
pum uirorum: eo quòd puellas nunquam antè uiſas ducunt: ac ſeruitijs
Principis occupati, deſerere eas coguntur, aliena interim turpiq; libidi-
ne ſeſe contaminantes. B

Mulierum conditio miſerrima eſt. Nullam enim honeſtam credunt,
niſi domi concluſa uiuat, adeoq; cuſtodiatur, ut nuſquam prodeat. Pa-
rum inquam pudicam exiſtimant, ſi ab alienis externis'ue conſpiciatur.
Domi autem concluſæ, nent duntaxat, & fila trahunt: nihil prorſus iuris
aut negotij in ædibus habẽt. Omnes labores domeſtici ſeruorum opera
fiunt. Quicquid mulierum manibus ſuffocatur, ſiue gallina, ſiue aliud a-
liquod animalium, id abhorrent tãquam impurum. Qui uerò pauperio
res ſunt, eorum uxores domeſticos labores obeunt, & coquunt. Cæte-
rùm cũ uiris abſentibus fortè, & ſeruis, gallinas iugulare uolũt, ſtant pro
foribus, tenentes gallinam, aut aliud animal, & cultrum: prętereuntesq;
uiros, ut ipſi interficiant, plurimùm rogant.

Rariſsimè in templa, rarius etiam ad amicorũ colloquia, niſi ſenes ad-
modum ſint, omniq; ſuſpicione careant, admittũtur. Certis tamen & fe-
ſtiuis diebus animi gratia concedunt uxoribus ac filiabus, ut in pratis a-
mœniſsimis conueniant, ubi ſuper quadam rota inſtar Fortunæ inſiden
tes, alternatim ſurſum ac deorſum mouentur: aut alioqui funem appen- C
dunt, quo ſuſpenſę ac inſidentes, hinc inde impulſę ferũtur, mouẽturq;:
aut deniq; quibuſdam & certis cãtilenis, manibus plaudẽtes ſe oblectãt,
choreas prorſus nullas ducũt. Eſt Moſcoviię quidã Alemanus faber
ferrarius, cognomento Iordanus, qui duxerat uxorem Rhutenã, ea cum
apud maritum aliquandiu eſſet, hunc ex occaſione quadam amicè ſic allo
quitur: Cur me, coniunx chariſsime, non amas? Reſpondet maritus: E-
go uerò te uehemẽter amo. Nondum, inquit, ſigna habeo amoris. Que-
rebat igitur maritus, qualia ſigna uellet? Cui uxor: Nunquam, ait, me
uerberaſti. Mihi ſanè uerbera, inquit maritus, non uidebantur ſigna a-
moris: ſed tamen nec hac parte deero. Atque ita non multo pòſt, cru-
deliſsimè eam uerberauit: faſſus'que mihi eſt, longè maiore amore ſe à
ſua uxore poſthac obſeruatum fuiſſe, quam rem ſępius exercuit: nobiſq;
tum Moſcoviæ exiſtentibus, ceruicem illi tandem & crura præcidit.

Omnes

A Omnes ſe Principis chlopos, id eſt ſeruos fatẽtur. Item preſtantiores, ex maiore parte emptos aut captos ſeruos habent: quos autem liberos in ſeruitio nutriunt, iſs non eſt liberum quolibet tempore diſcedere. Si aliquis citra uoluntatem domini abit, nemo eum aſſumit. Si dominus bonum ac commodum famulum non bene tractat, fit quodammodo infamis apud alios, neque poſthac alios famulos aſſequi poteſt.

Gens illa magis ſeruitute, quàm libertate gaudet. nam morituri ut plurimùm certos ſeruos manumittunt: qui ſe tamẽ continuò alijs dominis, pecunia accepta, in ſeruitutem uendicant. Si pater filium, ut mos eſt, uendit, & is quocunque tandem modo liber factus, aut manumiſſus fuerit, pater hunc rurſus atque iterũ iure patriæ poteſtatis uendere poteſt. Poſt quartam autem uenditionem, nil iuris amplius in filium habet. Vltimo ſupplicio ſolus Princeps ſeruos, & alios afficere poteſt.

Princeps altero, aut tertio quoque anno, per prouincias delectu habito, filios Boiaronum conſcribit: ut numerum illorũ, & quot quiſque e-
B quos ac ſeruitores habeat, cognoſcat. Dein ſingulis ſtipendia pròponit, ut ſuprà dictum eſt. Qui uerò per facultates rei familiaris poſſunt, ſtipendio militant. Rarò illis datur quies: nam aut bellum infert Lithvuanis, aut Livuonienſibus, aut Suetenſibus, aut Tartaris Caſanẽſibus. aut ſi nullum bellum gerit, præſidia tamẽ in ſingulos annos in locis circa Tanaim & Occam, ad reprimendas Tartarorum Præcopenſium eruptiones ac deprædationes, uiginti milia hominũ imponere ſolet. Solet etiam quotannis ex ſuis prouincijs ordine quoſdam uocare, qui Moſcovuiæ ſibi omnia ac quælibet præſtant officia. Belli autem tempore, non annuis ex ordine & alternis officijs inſeruire, ſed omnes & ſinguli, tam ſtipendiarij quàm gratiam Principis expectantes, in bellum ire coguntur.

Habent equos paruos, caſtratos, ſoleis carentes, leuiſsima frena: tum ephippia in eum uſum accommodata, ut ſe in omnes partes nullo negotio uertere, arcumq; intendere queant. Pedibus uſqueadeò attractis inſidentes equo, ut nullum haſtæ aut teli paulo uehementiorem ictum ſuſti-
C nere queant. Calcaribus pauciſsimi, flagello plerique utũtur, quod ſemper minimo digito dextræ inhæret, ut id quoties opus ſit, apprehẽdant & utantur: rurſus ſi ad arma deuentum fuerit, proiectum è manu pendeat.

Communia arma ſunt, arcus, telum, ſecuris, & baculus, inſtar cœſtus, qui Rhutenicè Keſteni, Polonicè Baſſalick dicitur. Framea nobiliores & ditiores utuntur. Pugiones oblongos in modum cultellorum dependentes, in uaginis adeò reconditos habent, ut uix ſupremam capuli partem attingere, aut neceſsitate cogente apprehendere poſsis. Loro pariter freni longo, & in extremitate perforato utuntur, quod digito ſiniſtro annectunt, ut arcum apprehẽdere, eoq; retento uti poſsint. Porrò quamquam ſimul & eodem tempore manibus teneant frenũ, arcum, frameam, telum & flagellũ, iſtis tamen ſcitè & ſine ullo impedimento noruntuti.

Nonnulli ex præſtantioribus, loricâ, thorace affabrè ceu ex quibuſdam ſquamis concinnato, & armillis: pauciſsimi autem criſta, inſtar pyramidis in ſummitate exornata, utuntur.

Sunt qui habent ueſtem bombycis lana ſuffertã, ad ſuſtinendos quoſ- A
cunque ictus. Lanceis quoque utuntur.

Peditatu uerò & tormentis in conflictu nunquam uſi ſunt. Etenim quicquid agunt, ſiue adoriuntur, ſiue inſequuntur, ſiue fugiunt hoſtem, id repentè & celeriter faciunt: atque ita illos nec peditatus, nec tormenta ſubſequi poſſunt.

Modernus tamen princeps Baſilius, cum rex Præcopenſis, nepotem ſuum in Caſanenſe regnum induxiſſet, & in reditu iuxta Moſcouiam tredecim millibus paſſuum caſtrametatus eſſet, anno inſequẽti circa Occam fluuium caſtra poſuerat. atque peditatu tum primùm & tormentis uſus eſt, fortaſſe ut potentiam ſuam oſtentaret: aut maculam ſuſceptam priori anno, ex turpiſsima fuga, in qua dicebatur aliquot diebus ſub acer uo fœni delituiſſe, deleret: aut denique regem, quem ditionem ſuam rurſus inuaſurum putabat, à finibus ſuis arceret. Certè nobis præſentibus habuit ex Lithuanis, uariáque hominum colluuie, mille & quingentos ferè pedites. B

Hoſtem primo impetu audaciſsimè aggrediũtur, nec diu perſeuerant: ac ſi innuere uellent, Fugite, aut nos fugiemus.

Ciuitates rarò ui, aut impreſsione acriore expugnare, ſed longa magis obſidione, homines fame aut proditione ad deditionem adigere ſolent. Quanquam Baſilius Smolentzko ciuitatem admotis tormẽtis, quæ partim ex Moſcouia ſecum adduxerat, partim ibi in obſidione fuderat, oppugnabat, quaſſabatq́: nihil tamẽ effecerat. Obſederat & Caſan magna militum ui, admotis pariter tormentis, quæ ſecundo fluuio eò portauerat: ſed tum quoq́ uſque adeò nihil effecerat, ut dum arx incenſa funditùs conflagraret, atq́ ex integro rurſus ædificaretur: ne nudum quidem collem interim miles aſcendere, occuparé ue auſus fuerit.

Habet Princeps nunc fuſores tormentarios Alemanos & Italos, qui præter pixides, tormenta bellica, item ferreos globulos, cuiuſmodi & noſtri Principes utuntur, fundunt: quibus tamen in conflictu, quòd omnia in celeritate poſita habent, neque ſciunt neque poſſunt uti.

Omitto etiam, quòd tormentorum diſcrimen, ſeu, ut uerius dicam, uſum ignorare uidentur. Neſciunt inquam, quãdo uel maioribus, quibus muri demoliuntur: uel minoribus, quibus acies impetusq́ hoſtium diſrumpitur, uti debeant. Id quod cùm aliàs ſæpe, tum maximè eo tempore accidit, quum Tartari Moſcouiam iamiam oppugnaturi ferebantur. tum enim Locumtenens tanquam in re ſubita, maius tormentum ſub portam caſtri, ridente bombardario Germanico, collocandum iuſſerat: cum id tamen uix triduí ſpacio eò deduci potuiſſet, ad hæc ſemel duntaxat exoneratum teſtudinem & portam diſsipaſſet. C

Magna eſt hominum, ut in aliis negotiis, ita in bello gerendo, diuerſitas ac uarietas. Moſcus enim quamprimum fugam arripit, nullam ſalutem cogitat, præter eam quam fuga habere poteſt: aſſecutus, ſeu apprehenſus ab hoſte, nec ſe defendit, nec ueniam precatur.

Tartarus uerò deiectus ex equo, ſpoliatus omnib. armis, grauiſsimè etiam uul-

A etiam uulneratus, manibus, pedibus, dentibus, quoad & quacunque poteſt ratione, ad extremum uſque ſpiritum ſe defendere ſolet.

Thurcus, dum uidet ſe omni auxilio ac ſpe elabendi deſtitutum, ſupplex ueniam petit, armis abiectis, ac iunctas ad ligandum manus uictori porrigit, ſperatq; captiuitate uitam ſe impetraturum.

Caſtris collocandis ampliſsimum locum eligunt, ubi præſtantiores tentoria erigunt: alij uerò ex arbuſtis ueluti arcum in terram figunt, penuliſq; tegunt, quò ephippia, arcus, & id genus alia recondant, ſeq; ab imbre defendant. Equos ad paſcua pellunt, quorum cauſa tam latè diſiuncta tentoria habent: quæ nec curru, nec foſſa, nec alio quouis impedimento muniunt: niſi fortè locus natura ſit, aut ſyluis, aut fluminibus, paludibus ue munitus.

Poſſet fortè cuipiam mirum uideri, quòd ſe & ſuos tam exiguo ſtipendio, & tam diu, ut ſuprà dixi, ſuſtineant: ideo illorum parſimoniam & frugalitatẽ paucis aperiam. Qui habet ſex, aut aliquãdo plures equos,
B ex ijs uno tanquam baiulo, ſiue clitellario, qui uitæ neceſſaria portet, utitur. In primis habet milium contritum in ſacculo, longitudine duorum aut trium palmitum: deinde ſuillæ carnis ſalſæ libras octo, aut decem. habet & ſal in ſacculo: & ſi diues eſt, mixtum pipere. Præterea unuſquiſque ſecum fert ſecurim, fomitem, lebetes, aut ollam cupream, ut ſi aliquò fortè deueniat, ubi nihil fructuum, allij, cæpæ, aut carnis ferinæ reperiat, tum ignem accendit, ollam'que aqua replet, in quam coclear plenum milij, ſale addito, inijcit, coquitq;: eo cibo dominus & ſerui contenti uiuunt. Porrò ſi dominus nimium famelicus fuerit, totum abſumit: itaque ſerui aliquando ad totum biduum aut triduum egregiè ieiunant. Ad hæc, ſi dominus uult lautius epulari, tum addit paruam portiunculam carnis ſuillæ. Hoc nõ loquor de præſtantioribus, ſed mediocris conditionis hominibus. Duces exercitus, & alij militiæ præfecti, inuitant aliquando pauperiores illos: qui ſumpto bono prandio, interdum pòſt ad biduum, aut triduum cibo abſtinent.

Item cum habẽt fructus, aut allium, aut cæpas, tum facilè alijs omnibus
C carere poſsũt. Ingreſſuri prelium, plus ſpei ponũt in multitudine, & quantis copijs hoſtem adoriantur, quàm robore militum, ac inſtructo quàm probè exercitu: feliciuſq; eminus, quàm cominus pugnant. atque ideo hoſtem circumuenire, & à tergo adoriri, præcipuè ſtudent.

Tubicines multos habent. hi dum patrio more, omnes unà tubas inflant, intonantq;: mirum tum ac inuſitatum quendam concentum audires. Habent & aliud quoddam genus Muſices, quod gentili lingua Szurna appellant. Eo ſi quando utuntur, tum una hora, plus minus, ſine ulla reſpiratione, ſeu aeris attractione quodammodo canunt. Buccas autem primùm aere implere ſolent: dein naribus ſpiritum identidem attrahere edocti, tuba uocem abſque intermiſsione edere dicuntur.

Omnes ueſtitu, ſeu corporis cultu ſimili utuntur. tunicas oblongas ſine plicis, manicis ſtrictioribus, Hungarorum ferè more, geſtant: in quibus Chriſtiani nodulos, quib. pectus cõſtringitur in dextro: Tartari

uerò haud diſsimili ueſtitu utentes, ſiniſtro latere habent. Ocreas ferè ru A
beas, eaſq; breuiores, ut quæ genua non attingant, ſoleasq; ferreis clauiculis munitas geſtant. Induſia omnes ferè uariſs coloribus circa collum exornata habent: eaq; monilibus ſeu globulis argenteis, aut cupreis deauratis, additisq; ornamenti cauſa unionibus, conſtringunt.

Ventrem nequaquam, ſed femora cingunt: atque adeò pubetenus, quo magis promineat uenter, cingulum demittunt. Quin & nunc Itali & Hiſpani, imò & Germani ita aſſueuerunt.

Adoleſcentes & pueri pariter feſtiuis diebus, ſed in ciuitate loco amplo & celebri, unde uideri & exaudiri à pluribus queant, conuenire ſolent. quibuſdam autem ſibilis ceu ſigno dato, conuocantur: conuocati illico concurrunt, manusq; conſerunt. certamen pugnis ineunt, mox pedibus promiſcuè ac magno impetu faciem, guttur, pectus, uentrem, genitalia quatiunt: aut quacunque ratione poſſunt, alios alij inter ſe de uictoria cõcertantes proſternũt, adeò ut ſæpe inde exanimati aſportentur. Porrò quicunque plures uincit, diutius in arena durat, fortiſsimeq; uer- B
bera tolerat, is præ cęteris laudatur, uictorq; celebris habetur. Hoc certaminis genus inſtitutum eſt, ut aſſueſcant adoleſcentes uerbera ferre, ictusq; quoſcunq; tolerare.

Iuſtitiam ſtrenuè exercent in prædones: quibus comprehenſis, calcanea primùm frangere, dein in biduum aut triduum uſq;, dum intumeſcant, quieſcere: pòſt, fracta iam ac intumefacta, rurſus motare iubent. Non alio genere torquendi & flagitioſos, ad confitenda latrocinia, ſocioſq; ſcelerum indicandos, utuntur. Cæterùm ſi in quæſtionem uocatus, ſupplicio dignus fuerit repertus, ſuſpenditur. Alio genere pœnę ſontes rarò puniuntur, niſi quid immanius commiſerint.

Furta rarò capitali pœna, imò homicidia rarò, niſi prædæ gratia facta fuerint, puniuntur. Qui uerò furem in furto deprehendit, & occidit, impunè id facere poteſt: ea tamen conditione, ſi occiſum in aulam Principis detulerit, & rem ut acta eſt expoſuerit.

Cum brutis congredientes, ne illi quidẽ ultimo afficiuntur ſupplicio. C

Pauci ex præfectis habent authoritatem, ultimum ſupplicium irrogandi. Ex ſubditis nemo aliquem torquere audet. Plericq; malefactorum Moſcouiam, ſeu ad alias principales ciuitates ducuntur. Hyemali autem tempore ut plurimum in ſontes animaduertunt: æſtiuo enim, bellicis negotijs impediuntur.

SEQVVNTVR ORDINATIONES à Ioanne Baſilij Magno Duce, Anno mundi 7006 factæ.

QVVM reus fuerit in unum rublum condemnatus, ſoluat Iudici altinos duos, Notario octo dengas. Si uerò partes redeunt in gratiam, priuſquam in locum duelli uenerint, non minus Iudici & Notario ſoluant, ac ſi iudiciũ factũ fuiſſet. Si uenerint in locum duelli, quem Ocolnick & Nedelſnick duntaxat decernere poſſunt,

A possunt, ibiq; fortè in gratiam redierint, soluant Iudici, ut suprà, Ocolniko L. dengas, Nedelsnico similiter L. dengas, & duos altinos: Scribæ quatuor altinos, & unam dengam. Si uerò uenerint ad duellum, & alter uictus fuerit, tum iudici reus quantum ab eo postulatur, soluat, Ocolniko det poltinam & arma uicti, Scribæ L. dengas, Nedelsniko poltinam & quatuor altinos. Si uerò duellum committitur propter aliquod incendium, necem amici, rapinam uel furtum, tunc accusator si uicerit, ab reo accipiat quod petijt, Ocolniko detur poltina & arma uicti, Scribæ L. denge, Nedelsniko poltina, Vestono (est autem Vestor, qui ambas partes præscriptis conditionibus ad duellum committit) quatuor altinos: & quicquid uictus reliqui habuerit, uendatur, iudicibusq; detur: corpore autem, iuxta delicti qualitatem puniatur.

Interfectores dominorū suorū, proditores castri, sacrilegi, plagiarij, itē qui res in alterius domū clanculum inferūt, easdemq; furto sibi ablatas dicunt, quos Podmetzchek uocant, præterea qui incendio homines affli-
B gunt, quiq; manifesti malefactores fuerint, ultimo supplicio afficiuntur.

Qui primùm furti conuictus fuerit, nisi fortè sacrilegij aut plagij accusetur, morte non est afficiendus, sed publica pœna emendandus: hoc est, baculis cædendus, & pœna pecuniaria à iudice mulctandus.

Si iterum in furto deprehensus fuerit, & non habuerit unde accusatori aut iudici satisfaciat, morte plectatur.

Si alioqui fur conuictus, nō habeat, unde accusatori satisfacere posset, cæsus baculis, tradatur accusatori.

Si quis furti accusetur, & honestus aliquis uir iureiurando affirmet, illum antea quoq; furti conuictū, aut furti causa cuipiā reconciliatū fuisse, neglecto & omisso iudicio, morte afficiatur: de bonis eius fiat, ut suprà.

Si aliquis uilis conditionis, aut suspectæ uitæ, furti insimuletur, uocetur in quæstionem. Si uerò furti conuinci non potest, datis fideiussoribus, dimittatur ad ulteriorem inquisitionem.

Pro scripto decreto, seu lata sententia, æstimatione unius rubli soluan
C tur Iudici nouem dengæ: Secretario, qui sigillum habet, altinum unum: Notario, dengæ tres.

Præfecti, qui non habent authoritatem, causa cognita, decernere ac sententiam ferre, hi alteram partium in aliquot rublis condemnent, dein decretum ad Iudices ordinarios mittant. quod si iustum ac æquitati consonum illis uidetur, tum de singulis rublis, singuli altini Iudici, Secretario uerò IIII dengę soluantur.

Quicunque alterum furti, spolij, seu homicidij accusare uult, Moscouiam proficiscitur, petitq; ut talis in ius uocetur. Datur illi Nedelsnick, qui reo diem dicit, eundemq; Moscouiam perducit. Reus porrò in iudicio constitutus, plerunque crimen sibi obiectum negat. Si actor testes producit, tum ambæ partes interrogantur, an dictis stare uelint. Ad id communiter respondent: Audiantur testes secundum iustitiam & consuetudinem. Si contra reum attestantur, tum reus statim se opponit, & contra testimonia & personas excipit, dicens: Peto mihi decerni iura-

mentum, me que iustitiæ diuinæ permitto, petóq; campum & duellum. A
Atque illis ita, iuxta patriæ consuetudinem, duellum decernitur.

Vterque quemuis alium, suo loco ad duellum constituere, armis item uterque instruere se quibuslibet potest, pixide & arcu exceptis. Communiter autem loricas oblongas, aliquando duplices, thoracem, armillas, galeam, lanceam, securim, & ferrum quoddam in manu, instar pugionis, in utraque tamen extremitate acutum, habent: quo altera manu ita expeditè utuntur, ut in quolibet congressu non impediat, necq; manu cadat. eo autem in pedestri certamine plerunque utuntur.

Certamen primùm ineunt lancea, dein alijs utuntur armis: cum multis annis Mosci cum externis aut Germanis, aut Polonis, aut Lithvuanis certantes, plerunque succubuissent. Nouissimè autem cum Lithvuanus quidam XXVI annos natus, cùm quodam Mosco, qui plusquam XX duellis victor euaserat, congressus, occisus esset: Princeps indignatus, illum ut uideret, continuò accersiri iubet. quo uiso, in terram expuit, & statuit, ne in posterum ulli externo duellum contra suos decerneretur. Mo B
sci plurimis ac diuersis armis se onerant uerius, quàm armant: externi autem consilio magis quàm armis tecti, congrediuntur. Cauent in primis, ne manus conserant: quòd Moscos plurimum brachijs lacertisq; ualere sciunt, sola industria ac agilitate illos tandem lassos uincere solent. Vtraque partium habet multos amicos atque fautores, certaminis sui spectatores: sed prorsus inermes, exceptis fudibus, quibus interdum utuntur. Etenim si alteri horum uidetur iniuria aliqua fieri, tum ad propulsandam eius iniuriam fautores ipsius accurrunt, mox etiam alterius: atq; ita utrinque certamen spectantibus exoritur iucundum. agitur enim res capillis, pugnis, fustibus, fudibusq; præustis.

Vnius nobilis testimonium plus ualet, quàm multorum uilis conditionis hominum. Procuratores rarissimè admittuntur, quisque causam suam exponit. Princeps, quanquam seueriss imus sit, nihilominus tamen omnis iustitia, & palàm ferè, uenalis est. Audiui quendam consiliarium, qui iudicijs præerat, fuisse deprehensum, quòd ab utraque partium in C
quadam causa munera accepisset: & pro altero, qui plus dederat, iudicasset. quod factum, ad Principem delatus, non negabat: illum, pro quo iudicasset, hominem dicebat diuitem, honesto loco, atque ideo magis huic quàm illi inopi & abiecto credendum. Tandem, quamuis Princeps sententiam reuocasset, ridens tamen, illum impunè dimisit. Fortasse tantæ auaritiæ ac improbitatis causa est ipsa egestas, qua suos cum sciat Princeps oppressos, ad illorum facinora atq; improbitatem, quasi impunitate proposita, conniuet. Pauperibus non patet aditus ad Principem, sed ad ipsos consiliarios tantum, & quidem difficillimus.

Ocolnick personam Prætoris, seu Iudicis à Principe constituti sustinet: aliàs supremus consiliarius, qui semper apud Principem uersatur, eo nomine uocatur. Nedelsnick, est commune quoddã eorum officium, qui homines in ius uocant, malefactores capiunt, carceribusq; coercent. atq; hi Nobilium numero continentur.

Coloni

A Coloni ſex dies in ſeptimana domino ſuo laborãt, ſeptimus uerò dies priuato labori conceditur. Habent aliquot priuatos, & à dominis ſuis attributos agros, & prata ex quibus uiuunt: reliqua omnia ſunt dominorum. Sunt præterea miſerrimæ conditionis, quòd illorum bona, nobilium ac militum prędę expoſita ſunt: à quibus etiam per ignominiam Chriſtiani, aut nigri homunciones uocantur.

Nobilis, quantumuis pauper fuerit, turpe ſibi tamẽ ac ignominioſum eſſe putat, ſi manu laboraret. Hoc aũt turpe nõ eſſe ducit, cortices, ſeu putamina fructuũ, & præſertim melonũ, allij, ac cæparũ, à nobis & famulis noſtris abiecta, de terra leuare ac deuorare. Cæterùm ſicuti cibo parcè, ſic potu, ubicunq; ſe occaſio offert, immoderatè utunt. Omnes ferè tardi ad iram, item ſuperbi in paupertate: cuius grauem comitẽ habent, ſeruitutem. Veſtes oblongas, pileos albos apicatos ex lana coacta, qua penulas barbaricas confectas uidemus, ſolidoſq; ex officina geſtant. Veſtibula ædium ſatis quidem ampla, & alta: fores uerò habitationum humi
B les habent, ita ut ingreſſurus quiſpiam demittere ſe & inclinare cogatur.

Manuario qui uiuunt labore, & operam ſuam uendunt, mercedem unius diei referunt dengam cum dimidia: artifex duas. neque hi ſtrenuè laborant, niſi bene uerberati. Audiui ſeruitores aliquando conqueſtos, quod à dominis non eſſent probè uerberati. Credunt ſe ſuis dominis diſplicere: ſignumq; eſſe indignationis, ſi non uerberentur.

DE INGRESSU IN ALTERIUS DOMUM.

IN ſingulis ædibus & habitationibus habent imagines ſanctorum, pictas, aut fuſas, loco honorificentiore. & cum alius alium accedit, ingreſſus habitaculum, continuò caput aperit, ac ubi imago ſit, circumſpicit: qua uiſa, ter ſe crucis ſigno munit, caputque inclinans inquit: Domine miſerere. Dein ſalutat hoſpitem, his uerbis: Deus det ſanitatem. Mox porrectis manibus, de-
C oſculantur ſe mutuò, capitaq; inclinant. dein continuò alter alterum intuetur, uter nimirum ſe magis inclinaret, demitteretq;: atque ita ter quaterq; alternatim caput inclinantes, honoremq; mutuò exhibentes, quodammodo concertant. Poſt ſedent, negotioq; ſuo confecto, hoſpes rectà in medium habitaculi procedit, facie ad imaginem conuerſa: rurſusque ter ſigno ſe crucis munit, priorąque uerba inclinato capite repetit. Poſtremò data acceptąque prioribus uerbis ſalute, abit. Si eſt alicuius authoritatis uir, illum tum hoſpes ſequitur ad gradus uſque: ſin præſtantior, longius comitatur, habita & obſeruata cuiuſque dignitate. Mirabiles obſeruant cęremonias. nulli etenim tenuioris fortunę homini licet intra portam domus alicuius præſtantioris equitare. Difficilis quoque pauperioribus ac ignotis aditus eſt, etiam ad uulgares nobiles: qui uel hoc nomine rarius in publicum prodeunt, quo maiorẽ authoritatem ſuiq; obſeruantiã retineant. Nullus etiã nobilis, qui paulo ditior eſt, ad quartam uel quintam domũ pedes progreditur, niſi ſubſequatur equus.

Hyemis tamen tempore, cum equis, ſoleis carentibus, propter glaciem, A
abſq; periculo uti nõ poſſunt: aut quãdo aulam Principis, aut Diuorum
templa fortè ingrediuntur, tum equos domi relinquere ſolent.

Domini intra priuatos parietes ſemper ſedent, rarò aut nunquam in-
ambulando quicquã tractant. Mirabantur plurimùm, dum nos deam-
bulantes in diuerſorijs noſtris, atque inter ambulandũ negotia frequen-
ter tractare uiderent.

Veredarios Princeps, ad omnes ditionis ſuæ partes, diuerſis in locis
cum iuſto equorum numero habet: ut cum curſor Regius aliquò miſſus
fuerit, equum ſine mora in promptu habeat. Eſt autem curſori liberum,
ut quemcunque uoluerit, eligat equum. Mihi ex Novuogardia magna
celeriter Moſcovuiam proficiſcenti, Magiſter poſtarum, qui illorum lin
gua Iamſchnick appellatur, aliquando triginta, nõnunquam quadragin
ta, quinquaginta ue adduci mane primo curabat equos, cum ultra duo-
decim opus non haberem. Vnuſquiſque igitur noſtrũm, equum qui ſi-
bi cõmodus uidebatur, ſumebat: defeſsis dein illis, cum ad aliud in itine- B
re diuerſorium, quod Iama appellant, peruenimus, continuò ephippio
& freno retentis, permutauimus. Licet cuilibet celerrimo uti equorum
curſu: & ſi fortè aliquis concidat, aut durare non poſsit, tum ex proxi-
ma quaque domo alium rapere, aut alioqui abs quouis obuiam fortè oc
currente, Principis duntaxat curſore excepto, ſumere impunè quidem
licet. Equum porrò in itinere uiribus exhauſtum, relictumq; Iamſchnick
requirere, item alterum ei cui ereptus erat reſtituere, preciumq; ratione
itineris habita, perſoluere ſolet. Plerunq; de X uel X X uerſt, nume-
rantur ſex dengæ. Eiuſmodi porrò ueredariorum equis, ſeruitor meus
ex Novuogardia Moſcovuiam, interuallo 600 uerſt, hoc eſt C X X
Ger. miliar. LXXII horis peruenit. quod quidem eo magis mirandum
eſt, cum equuli tam parui ſint, & longè negligentius quàm apud nos cu-
rentur, tantos tamen labores perferant.

DE MONETA.

Monetam argenteam quadruplicem habent: Moſcovuiticam, No- C
vuogardenſem, Tvuerenſem, & Pleſcovuienſem. Moſcovuiticus num-
mus non rotunda, ſed oblonga & ouali quodammodo forma, Denga di
ctus, diuerſas habet imagines. antiqua, in una roſæ: poſterior, hominis
equo inſidentis imaginem. in altera autem parte utraque ſcripturam ha-
bet. Illorum porrò centum, unum Hungaricalem aureum: Altinum ſex
dengæ, Grifnam uiginti, Poltinam centum, Rublum ducentæ faciunt.
Noui nunc utrinque characteribus ſignati cuduntur, & quadringenti
ualent Rublum.

Tvuerenſis utrinq; ſcripturã habet, & ualore Moſcovuitico æquiparat.

Novuogardenſis in una parte Principis in ſolio ſedentis, hominiſq;
ex aduerſo ſeſe inclinantis imaginem: in altera ſcripturam habet, atq; Mo
ſcovuiticum ualore in duplo ſuperat. Grifna porrò Novuogardenſis
XIIII, Rublus autem ducentas uinginti duas dengas ualet.

Pleſcovuienſis, caput bouis coronatum, in altera uerò ſcripturam ha-
bet. Ha-

A bet. Habent præterea cupream monetam, quæ Polani uocatur. horum ſexaginta dengam Moſcouiticam ualent.

Aureos non habent, nec cudunt ipſi, ſed Hungaricalibus ferè, interdum etiam Renanis utuntur: precium'que eorum ſæpe mutant, præſertim cum externus auro aliquid mercaturus ſit, tum continuò precium eius minuunt. ſi uerò aliquò profecturus, auro indigeat, eius tum rurſus precium augent.

Rigenzibuſq; rublis utuntur propter uicinitatem, quorum unus ualet duos Moſcouiticos. Moneta Moſcouitica eſt ex puro & bono argento: ea quamuis nunc quoque adulteratur. Non audiui tamen, ob hoc facinus in quempiam animaduerſum eſſe. Omnes ferè aurifabri Moſcouiæ nummos cudunt: & quicunque affert maſſas argenteas puras, nummos'que cupit, tum nummos & argentum appendunt, atque æqua lance librant. Exiguum eſt, & conſtitutum precium, quod ultra æquale pondus ſoluendum eſt aurifabris, paruo alioqui laborem ſuum uenden-

B tibus. Scripſerunt quidam, prouinciam hanc rariſsimè abundare argento: Principem præterea, ne id exportaretur, prohibere. Prouincia ſanè argentum nullum habet, niſi quod (ut dictum eſt) importatur: nec Princeps uſqueadeò efferre prohibet, ſed cauet uerius. atque ideo permutationem rerum facere, & alia, ut pelles, quibus abundant, aut quid aliud eiuſmodi, pro alijs rebus dare, recipereq; ſuos iubet, quo argentū & aurum in prouincia retineat. Vix centum annis utuntur moneta argentea, præſertim apud illos cuſa. Initiò cum argentum in prouinciam inferebatur, fundebantur portiunculæ oblongæ argenteæ, ſine imagine & ſcriptura, æſtimatione unius rubli: quarum nulla nunc apparet. Cudebatur etiam moneta in Galitz principatu. ea autem cum æquabili ualore careret, euanuit. Porrò ante monetam, proboſcide & auriculis aſpreolorum, aliorumq; animalium, quorum pelles ad nos afferuntur, utebantur: ijſq; uitæ neceſſaria, ceu pecunia, emebant.

Numerandi ratione ea utuntur, ut res quaſcunq; per Sorogk, aut De-

C vuenoſto, hoc eſt, aut quadrageſimo aut nonageſimo numero, quemadmodum nos centeſimo, numerent, diuidantq;. Numerantes itaq; ſubinde repetunt, multiplicantq;, bis Sorogk, ter Sorogk, quater Sorogk: id eſt, quadraginta, aut bis, ter, quater Devuenoſto, hoc eſt nonaginta. Mille, gentili lingua Tiſſutzæ: item decem millia, una dictione, Tma: uiginti millia, Dvuetma: triginta millia, Tritma exprimunt.

Quiſquis merces qualeſcunque Moſcouiam attulerit, eas continuò apud portitores, ſeu telonij prefectos, profiteri ac indicare cogitur: quas hi ſtata hora conſpiciunt, æſtimantq;. æſtimatas uerò, nemo nec uendere nec emere audet, niſi prius fuerint Principi indicatæ. Porrò Princeps ſi quicquam emere uoluerit, tum mercatori interim res ſuas nec indicare, nec cuiquam licitari eas integrum eſt. quo fit, ut mercatores interdum diutius detineantur.

Neq; etiã cuiuis mercatori, præter Lithuuanos, Polonos, aut illorum imperio ſubiectos, Moſcouiam uenire liberum eſt. Nam Suetenſibus,

Livonien-

Liuuonienſibus, & Germanis ex maritimis ciuitatibus, Nouuogardiæ A
duntaxat: Thurcis uerò & Tartaris Chloppigrod oppido, quò nundi-
narum tempore diuerſi homines ex remotiſsimis locis confluunt, merca
turam exercere ac mercari conceſſum eſt. Quando uerò Legati ac Ora-
tores Moſcouiam proficiſcuntur, tum omnes undecunque mercatores
in illorum fidem ac protectionem ſuſcepti, Moſcouiam & liberè, & ſi-
ne portorijs ire poſſunt, ac etiam conſueuerunt.

Maior pars mercium ſunt maſſæ argenteæ, panni, ſericum, panni ſe-
ricei & aurei, uniones, gemmæ, aurum filatum. interdum uiles etiã quaſ-
dam res ſuo tempore portant, ex quibus non parum lucri referunt. Sæpe
etiam accidit, ut rei alicuius deſiderio omnes teneantur: quam qui pri-
mus attulerit, plus iuſto lucratur. Dein cũ plures mercatores earundem
rerum magnam copiam aduexerint, tanta nonnunquam uilitas conſe-
quitur, ut is qui res ſuas quamplurimo uendiderat, eaſdem rurſus uile-
ſcente precio emat, magnóq; ſuo commodo in patriam reducat. Merces
uerò quæ inde in Germaniam portantur, ſunt pelles, & cera: in Lithuua B
niam & Thurciam, corium, pelles, & albi longi dentes animalium, quæ
ipſi Mors appellant, quæq; in mari ſeptentrionali degunt, ex quibus ma
nubria pugionum Thurci affabrè conficere ſolent. noſtrates piſcium
dentes eſſe putant, & nominant. In Tartariam uerò ſellæ, frena, ueſtes,
corium: arma autem & ferrum non niſi furtim, aut ex ſingulari Præfe-
ctorum permiſsione exportantur, ad alia loca intra Orientem & Septen
trionem. Panneas tamen & lineas ueſtes, cultellos, ſecures, acus, ſpecu-
la, marſupia, aut quid aliud eiuſmodi ducunt. Mercantur fallaciſsimè ac
doloſiſsimè: nec paucis uerbis, ut quidam ſcripſerunt. Quin dum pre-
cium afferunt, ac rem minoris dimidio precio in fraudem uenditoris li-
centur: mercatores nonnunquam non uno tantum aut altero menſe ſu-
ſpenſos ac incertos detinent, uerùm ad extremam deſperationem quoſ-
dam perducere ſolent. Cæterùm qui mores illorum tenet, doloſaq; uer-
ba, quibus precium rei imminuunt, tempusq; extrahunt, non curat, aut
diſsimulat: is res ſuas ſine aliquo diſpendio uendit.

Ciuis quidã Cracouienſis, ducentos cẽtenarios cupri aduexerat, quos C
Princeps emere uoluit, & mercatorẽ tã diu detinuit, ut is tandẽ faſtidio
affectus, rurſus uerſus patriam cuprũ reduceret. Porrò cum aliquot mi
liaribus ab urbe abeſſet, ſubordinati quidã illum ſequũtur, eiusq; bona,
ac ſi portorium nõ ſoluiſſet, inhibent, interdicuntq;. Mercator reuerſus
Moſcouiam, apud conſiliarios Principis de iniuria ſibi illata conque-
ritur. illi audita cauſa, mox ſe ultro conſtituunt medios: ac negotium ſeſe
tranſacturos, ſi gratiam petat, pollicentur. Mercator callidus, qui ſcie-
bat Principi ignominioſum fore, ſi eiuſmodi merces ex ditione ſua redu
cerentur, ac ſi nõ reperiretur quiſpiã qui tantas merces mercari & exolue
re poſſet, nõ ullam gratiam petit, ſed iuſtitiam ſibi adminiſtrari poſtulat.
Tandem cum uiderent adeò obſtinatum, ut qui abduci à propoſito non
poſſet, neq; illorum dolo aut fraudi cedere uellet, cuprum Principis no-
mine emunt: ac perſoluto iuſto precio, hominem dimittunt.

Externis

A Externis ſingulas res carius uendunt: ita ut quæ uno ducato alioqui emunt, ea quinq;, octo, decem, interdum uiginti ducatis indicent. Quanquam ipſi uiciſsim, aliquando rem raram ab externis decem, aut quindecim florenis mercentur, quæ uix unum aut alterum ualet florenum.

Porrò cõtrahendis rebus, ſi quid fortè dixeris, aut imprudentius promiſeris, eorum diligenter meminerunt, præſtandaq; urgent: ipſi uerò, ſi quid uiciſsim promiſerint, minimè præſtant. Item, quamprimum iurare incipiunt, aut obteſtari, ſcias illico dolum ſubeſſe. animo enim fallendi ac decipiendi iurant. Rogaueram quendam conſiliarium Principis, ut me in emendis certis pellibus, ne deciperer, iuuaret: qui ut facilè operam mihi ſuã erat pollicitus, ita rurſum diutius me ſuſpenſum tenuit. Voluit proprias mihi obtrudere pelles. ad hæc alij ad illum concurrebant mercatores, præmia pollicẽtes, ſi eorũ merces bono mihi uẽderet precio. Ea eſt enim mercatorum conſuetudo, ut in emptione ac uenditione medios ſe conſtituant, atque utrique partium acceptis ſeparatim muneribus, o-
B peram ſuam fidelem polliceantur.

Eſt ampla & murata domus non longè ab arce, Curia dominorũ mercatorum dicta, in qua habitant mercatores, merces;q; ſuas reponunt: ubi ſanè piper, crocus, ſericij panni, & id genus aliæ merces, longè minoris quàm in Germania, uenduntur. Hoc autem tribuendum eſt rerum permutationi. Nam dum Moſci pelles alioqui uili precio comparatas, plurimi æſtimant: externi uiciſsim, fortè illorum exemplo, merces ſuas paruo quoq; emptas opponunt, cariusq; indicant. quo fit, ut utrique æquali permutatione rerum facta, res præſertim pro pellibus acceptas, mediocri precio, & ſine lucro uendere poſsint.

Pellium magna eſt diuerſitas. Zebellinorum enim nigredo, longitudo & denſitas pilorum, maturitatem arguunt. Item ſi congruo tempore, quod in pellibus aliis pariter obſeruatur, capiantur, precium augent. Citra Vſtyug & Dvuinam prouinciam rariſsimè, circa Peczoram uerò ſæpius & præſtantiores reperiuntur.

Madauricæ pelles ex diuerſis partibus, ex Sevuera bonæ, ex Heluetijs
C meliores, ex Svuetia uerò optimæ afferuntur. Illic tamen maior eſt copia. Audiui, aliquando Moſcovuiæ repertas Zebellinorum pelles fuiſſe, quarum aliæ XXX, aliæ uerò X X aureis uenditæ ſunt. At eiuſmodi ego nullas potui uidere.

Hermelinorum pelliculæ ex pluribus pariter locis inuerſę afferuntur, quibus tamen pleriſq; emptoribus imponitur. Habent ſigna quædam circa caput & caudam, ex quibus agnoſcuntur, an congruo tempore ſint captæ. Nam ſimul ubi hoc animal captum fuerit, excoriatur, pelliſque inuertitur, ne attritis pilis deterior fiat. Si quod non ſuo tẽpore captum fuerit, pelliſque ideo bono ac natiuo colore careat, tum ex capite (ut dictum eſt) & cauda, certos pilos tanquam ſigna, ne incongruo tempore captum agnoſcatur, euellunt, extrahũtq;, atque ita emptores decipiunt. ſingulę autem tribus ferè, quatuor ue dengis uenduntur: paulo ampliores carent ea albedine, quæ alioqui pura in minoribus apparet.

Vulpinæ,

Vulpinæ,& præſertim nigræ, ex quibus plerunq; tegmina capitis fa- A
cere ſolent, plurimi fiunt. decem enim nonnunquã XV aureis uendun-
tur. Aſpreolorũ pelliculæ ex diuerſis quoque partibus afferuntur, am-
pliores tamen ex Sibier prouincia: nobiliores uerò alijs quibuslibet, ex
Schvuuaij, non longè à Cazan. Porrò ex Permia, Vuiatka, Vſtyug, &
Vuolochda, faſciculis ſemper X numero colligatæ afferuntur: quarum
in ſingulis faſciculis duæ ſunt optimæ, quas Litzſchna appellant: tres ali-
quanto deteriores, quas Craſna uocant: quatuor, quas Pocraſna: una,&
ea quidẽ ultima, Moloiſchna dicta, omniũ eſt uiliſsima. Harum ſingulæ
una, aut duabus dengis emuntur. Ex his meliores & ſelectas, in Germa-
niam & alias prouincias, mercatores magno ſuo commodo portant.

Lyncium pelles, parui: luporum uerò, ab eo tempore quo in Germa-
nia ac Moſcouia in precio eſſe cœperunt, plurimi fiunt. Luporum præ-
terea terga longè in minore, quàm apud nos, ſunt precio.

Caſtorum pelles apud illos habẽtur in magno precio: omnesq; iuxtà
ex his, quòd nigro, eoq; natiuo ſint colore, fimbrias ueſtium habent. B

Pellibus domeſticorum catorum, mulieres utuntur. Eſt quoddam ani
mal, quod gentili lingua Peſſetz uocant: huius pelle, quod plurimum ca
loris àdferre corpori ſolet, in itinere, ſeu profectionibus utuntur.

Vectigal, ſeu portorium omnium mercium, quæ uel importantur, uel
exportãtur, in fiſcũ refertur. De qualibet re, eſtimatione unius rubli, pen
duntur ſeptem dengæ: extra ceram, de qua non ſolum iuxta æſtimatio-
nem, ſed pondus quoq;, uectigal exigitur. De quolibet autem pondere,
quod gentiliter Pud appellant, quatuor dengæ penduntur.

De mercatorũ itineribus, quibus in importandis ac exportandis mer
cibus, ac per diuerſas Moſcouiæ regiones utuntur, infrà in Chorogra-
phia Moſcouiæ, copioſè explicabo.

Vſura cõmunis eſt: quam licet magnũ peccatũ eſſe dicant, ab ea tamẽ
nemo ferè abſtinet. Eſt autem quodammodo intolerabilis, nimirum de
quinq; ſemper unum: hoc eſt, de centum uiginti. Eccleſiæ mitius, ut dic-
tum eſt, uidentur agere, quę decem pro centum (ut uocant) accipiunt. C

NVNC CHOROGRAPHIAM PRINCIPATVS & dominij magni Ducis Moſcouiæ aggrediar, puncto in Moſcouia principali ciuitate conſtituto: ex qua progreſſus, circumiacentes atque celebriores duntaxat principatus deſcribam. Etenim in tanta uaſtitate, prouinciarum omnium nomina exactè indagare non potui. Quare ciuitatum, fluminum, montium, quorundamq; B locorum celebrium nominibus contentus ſit Lector.

URBS Moſcouia itaque, Ruſsiæ caput & metropolis, ipſaq; prouincia, & qui hãc præterlabitur fluuius, unum idemq; nomen habent, uernaculaq; gentis lingua Moſ-
qua appellantur. Quod nam autem cæteris nomẽ præbuerit, incertũ. Veriſimile tamen eſt, ea à fluuio nomen accepiſſe. Nam etſi urbs ipſa olim caput gentis non fuerit, Moſcorum tamen nomẽ ueteribus non ignotũ fuiſſe conſtat. Porrò

Moſqua

A Moſqvua fluuius in Tvuerenſi prouincia, LXX ferè ſupra Moſaisko vuerſt (eſt autem vuerſt, Italicum ferè miliare) haud procul à loco qui Oleſchno dicitur, fontes ſuos habet: indeq; emẽſo LXXXX vuerſt ſpacio, ad Moſcovuiam ciuitatem decurrit: receptiſq; in ſe aliquot fluuijs, Orientem uerſus, Occam fluuium illabitur. Cæterùm ſex ſupra Moſaisko miliaribus, primùm nauigabilis eſſe incipit: quo loco materia ad fabric ãdas domos, alioſq; uſus ratibus impoſita, Moſcovuiam defertur. Infra autem ciuitatem merces aliaq; quæ ab externis hominibus importantur, nauibus aduehuntur. Tarda autem in fluuio, atq; difficilis, propter gyros, ſeu mæandros, quibus multis incuruatur, nauigatio eſt: præſertim inter Moſcovuiam & Columnam ciuitatem, tribus ab eius oſtijs paſſuũ millibus in littore ſitam: ubi CCLXX vuerſt ſpacio, flexionibus multis longiſq; nauigantium curſum impedit atq; remoratur. Fluuius non admodum piſcoſus, ut qui præter uiles & uulgares, nullos piſces habeat. Moſcovuia quoq; prouincia, nec lata nimis, nec fertilis eſt: cu-

B ius fœcunditati, ager ubiq; arenoſus, qui mediocri ſiccitatis aut humiditatis exceſſu ſegetes enecat, plurimum obeſt. Accedit ad hæc, immoderata aſperaq; nimis aeris intemperies, qua hyemis rigore ſolis calorem ſuperante, ſata quandoq; ad maturitatem non perueniunt. Etenim tam intenſa ibi nonnunquam ſunt frigora, ut quemadmodum æſtatis tempore apud nos æſtu nimio, ſic ibi frigore immenſo terra in hiatum diſcedat: aqua etiam tum in aerem effuſa, ſputumq; ex ore proiectum, anteaquam terram contingat, congelãtur. Nos ipſi, cum anno 1526 eò peruenijſſemus, ramos fructiferarum arborum, rigore hyemis anni præcedentis prorſus perijſſe uidimus: quæ eo anno adeò dura fuit, ut complures ueredarij (quos ipſi Gonecz uocant) in uehiculis gelu concreti, reperti ſint. Fuere qui tum pecora Moſcovuiã, funibus alligata, ex proximis pagis ducerent: uiq; frigoris oppreſsi, unà cum pecoribus perierunt. Præterea multi circulatores, qui cum urſis, ad choreas edoctis, in illis regionibus uagari ſolent, tum mortui in uijs reperti ſunt. Quin & urſi ipſi, fame eos ſtimulante, relictis ſyluis, paſsim per uicinas uillas diſ-

C currebant, inq; domos irruebant: quorum conſpectum atque uim cum ruſtica turba fugeret, frigore foris miſerè peribat. Atq; tanto frigori, æſtus quoq; nimius quandoq; reſpondet, ut anno Domini 1525, quo immoderato ſolis ardore omnia ferè ſata exuſta fuerunt, tantaq; annonæ caritas eam ſiccitatem conſecuta eſt, ut quod tribus antea dengis emebatur, id XX, aut XXX pòſt emeretur. plurimi pagi & ſyluæ, frumentaque nimio æſtu incenſa conſpiciebantur. Quorum fumus ita regionem oppleuerat, ut prodeũtium hominum oculi grauiter fumo læderentur: & abſq; fumo caligo quædam oboriebatur, quæ multos obcæcauerat.

Totam porrò regionem non ita diu admodum ſyluoſam fuiſſe, ex magnarum arborum truncis, qui etiamnum extant, apparet: quæ quamuis agricolarum ſtudio ac opera ſatis culta ſit, ijs tamen quæ in agris proueniunt exceptis, reliqua omnia ex circumiacentibus prouincijs eò affe runtur. nam frumento quidem, oleribusq; communibus abũdat: ceraſa

dulciora, nucesq; (auellanis tamen exceptis) in tota regione non repe- A
riuntur. Aliarum arborum fructus habent quidem, uerùm inſuaues.
Melones autem ſingulari cura ac induſtria ſeminant. terram fimo per-
mixtam in areolas quaſdam altiores componunt, inq; eas ſemen cõdunt:
hac arte calori ac frigori immoderato æquè ſuccurritur. Nam ſi fortè æ-
ſtus nimius fuerit, rimulas tanquam ſpiracula quædam, ne ſemen calore
nimio ſuffocetur, per fimum terræ mixtum faciũt: in frigore uerò nimio,
lætaminis calor ſeminibus reconditis præſtat auxilium.

Melle Moſcovuia prouincia, ferisq; (leporibus tamen exceptis) ca-
ret. Animalia noſtris longè minora ſunt, neq; tamen cornibus (ut quí-
dam ſcripſit) carent. Vidi enim ibi boues, uaccas, capras, arietes, cornu-
ta omnia. Iam uerò ciuitas Moſcovuia, inter alias ciuitates Septẽtriona-
les, Orientem uerſus multum porrigitur: quod nobis in profectione no
ſtra, obſeruatu haud difficile fuit. Nam cum Viẽna egreſſi, rectà Craco-
uiam, atq; inde centum ferè Ger. miliarium itinere, in Septentrionẽ pro-
greſſi fuiſſemus, itinere tandẽ in Orientem reflexo, Moſcovuiam, ſi non B
in Aſia, tamen in extremis Europæ, quà maximè Aſiam cõtingit, finibus
ſitam peruenimus. De qua re infrà in Tanais deſcriptione plura dicam.
Vrbs ipſa lignea eſt, ſatisq; ampla: quæ procul etiam amplior, quàm re
ipſa ſit, apparet. nam horti, areæq; in qualibet domo ſpacioſæ, magnam
ciuitati acceſsionem faciunt: quam fabrorum, aliorumq; opificum igni
utentium, in fine ciuitatis longo ordine protenſæ ædes, inter quas ſunt
prata & agri, etiam magis adaugent. Porrò non procul à ciuitate do-
munculæ quædam apparent, & trans fluuium uillæ, ubi non multis re-
troactis annis, Baſilius Princeps ſatellitibus ſuis nouam Nali ciuitatem
(quod eorum lingua Infunde ſonat) exædificauit, propterea quòd cum
alijs Ruthenis medonem & ceruiſiam bibere, exceptis paucis diebus in
anno, prohibitum ſit, ijs ſolis bibẽdi poteſtas à Principe ſit permiſſa: atq;
eam ob rem, ne cæteri illorum conuictu corrumperẽtur, ab reliquorum
cõſuetudine ſunt ſeiuncti. Haud procul ab urbe ſunt aliquot Monaſte-
ria, quæ uel ſola procul ſpectantibus una quędã ciuitas eſſe uidẽtur. Por C
rò uaſta ciuitatis magnitudo facit, ut nullo certo termino contineat, nec
muro, foſſa, propugnaculis ue cõmodè ſit munita. Plateæ tamẽ quibuſ-
dam in locis, trabibus per tranſuerſum ductis, obſtruuntur: adhibitisq;
cuſtodibus ad primam noctis facem ita obfirmantur, ut nemini noctu
aditus poſt ſtatam horam illàc pateat: poſt quam qui deprehenſi fortè
fuerint à cuſtodibus, aut uerberantur, ſpoliantur que, aut in carcerem
conijciuntur, niſi fortè noti honeſti que uiri fuerint. Hi enim à cuſto-
dibus ad ſua deduci ſolent. Atque tales cuſtodiæ quà liber in ciuita-
tem patet aditus, locari ſolent. Nam reliquam urbis partem Moſqua
alluit, in quem ſub ipſa urbe, lauſa fluuius illabitur, qui ob altas ripas ra-
rò uadari poteſt. In hoc molendina complura, in publicum ciuitatis u-
ſum conſtructa ſunt. his que fluuijs ciuitas nonnihil munita eſſe uide-
tur: quæ præter paucas lapideas ædes, templa & monaſteria, prorſus li-
gnea eſt. Ædiũ in ea urbe numerũ uix credibilem referunt. Aiebãt enim,

ſexto an-

A ſexto ante aduentum noſtrum in Moſcouiam anno, Principis iuſſu ædes cõſcriptas fuiſſe, eorum'que numerum 41500 ſuperaſſe. Ciuitas hæc tam lata ac ſpacioſa, admodum lutoſa eſt. quamobrem in uicis ac plateis, aliſq́ celebrioribus locis, põtes paſsim extructi ſunt. Eſt in ea caſtrum, ex lateribus coctis conſtructum, quod ab una parte Moſqvua, ab altera Neglima flumine alluitur. Neglima autem ex paludibus quibuſdam manat, qui ante ciuitatem circa ſuperiorem caſtri partẽ ita obſtruitur, ut in ſtagni formam exeat: indeq́ decurrẽs, foſſas caſtri replet, in quibus ſunt molendina: tandemq́ ſub ipſo caſtro, ut dixi, Moſqvuę fluuio iungitur. Caſtrum autem tanta magnitudine eſt, ut præter ampliſsimas ac magnificè extructas ex lapide Principis ędes, Metropolitanus epiſcopus, item Principis fratres, Proceres, aliſq́ quàm plurimi, ſpacioſas in eo ædes ligneas habeant. Eccleſiæ ad hæc in eo multæ, ut amplitudine ſua ciuitatis propemodum formam referre uideantur. Hoc caſtrũ roboribus tantum initiò circundabatur: atque ad magni Ducis Ioannis, Danielis filij,
B tempora uſq́, paruum ac ignobile erat. Is enim Petri Metropolitæ ſuaſu, primus ſedem Imperij eò tranſtulit. Nam Petrus amore Alexij cuiuſdam, qui ibi ſepultus claruiſſe miraculis dicitur, eò loci ſedem ſibi prius elegerat: eoq́ mortuo, atq́ ibidem ſepulto, cum ad eius tumulum miracula pariter fierent, locus ipſe religionis ac ſanctitatis quadam opinione adeò celebris factus eſt, ut poſteri Principes omnes, Ioannis ſucceſſores, ibi Imperij ſui ſedem habendam eſſe duxerint. Nam mortuo Ioanne, eiuſdem nominis filius, ſedem ibi retinuit: ac poſt eum Demetrius, poſt Demetrium Baſilius, is qui ducta Vuitoldi filia, Baſilium Cæcum poſt ſe reliquit. Ex quo Ioannes, eius Principis pater, apud quem Oratorem egi (qui primus caſtrum muro cingere cœpit) natus eſt: cui operi triceſimo fermè anno pòſt, ſupremam manum eius poſteri impoſuere. Eius caſtri propugnacula baſilicæ, cum Principis palatio, ex latere ab hominibus Italis, quos propoſitis magnis præmijs Princeps ex Italia euocauerat, Italico more extructa ſunt. Multæ autem, ut dixi, in
C hoc ſunt eccleſiæ, ligneæ fermè omnes: duabus tamen inſignioribus, quæ ex lateribus extructæ ſunt, exceptis: quarum altera diuæ Virgini, altera diuo Michaeli eſt ſacra. In templo diuę Virginis ſepulta ſunt duorum Archiepiſcoporum corpora, qui, ut Principes eò ſuam Imperij ſedem transferrent, ibi'que Metropolim conſtituerent, autores fuere: eamq́ maximè ob rem in diuorum numerum ſunt relati. In altero templo principes uita defuncti humantur. Conſtruebantur, nobis præſentibus, plura etiam templa ex lapide. Regionis cœlum adeò ſalubre eſt, ut ibi ultra Tanais fontes, præſertim in Septentrionem, ac etiam magna ex parte Orientem uerſus, memoria hominum, nulla unquam peſtis ſæuierit. Habẽt tamen interdum inteſtinorum & capitis morbum quendam, peſti haud diſsimilem, quem ipſi Calorem appellant. eo qui corripiuntur, paucis diebus pereunt. Is morbus in Moſcouia nobis exiſtentibus, graſſabatur, unum'que ex familiaribus noſtris abſumpſit. atq́ cum in tam ſalubri regione degant, ſi quando in Novuogardia, Smo-

lentzko,& Plescovuia pestis sæuit, quoslibet illinc ad se uenientes,regi- A
one sua metu contagij excludunt.

Gens Moscovuiæ cæteris omnibus astutior & fallacior esse perhibetur,fluxa in primis in cõtractibus fide: cuius rei ipsi haud ignari, si quando cum externis commercia habẽt, quo maiorem fidem obtineant,non Moscovuitas se,sed aduenas esse simulant.

Longissimus in Moscovuia dies in solstitio æstiuali XVII horarum, cum tribus quartalibus, esse dicitur. Certam poli eleuationem tũ ex nemine potui cognoscere: quamuis quidam LVIII graduum se accepisse, incerto tamen autore, diceret. Ipse tandem facto per Astrolabium periculo,utcũq; solem nono die Iunij in meridie obseruaui LVIII graduum. Ex qua obseruatione, cõputatione hominum harum rerum peritorum, deprehensum est, altitudinem poli L. graduum esse: longissimum autem diem, XVII horarum,& unius quartalis.

Moscovuia loco principali descripta, ad reliquas Magni Ducis Mo- B
scovuiæ subiectas prouincias progrediar,ordine primùm Oriẽtem uersus seruato:dein per Meridiem & Occidentem atq; Septentrionem circumeuntes,rectà in Orientem æquinoctialem deueniemus.

Vuolodimeria ciuitas magna primùm occurrit, quæ castrũ ligneum sibi cõiunctum habet. Hæc à tempore Vuolodimeri,qui postea Basilius dictus est,usq; ad Ioannem Danielis filium, Rusiæ metropolis fuit. Est autem inter Vuolgam & Occam,magna duo flumina, triginta sex à Moscovuia in Orientẽ miliaribus Ger. sita,loco adeò fertili,ut ex uno tritici modio sæpe XX,nõnunq; XXX modij proueniãt. Eã Clesma fluuius alluit,cætera syluæ magnę uastæq; cingunt. Clesma porrò quatuor à Moscovuia miliaribus Ger. oritur,multisq; ibi molendinis celebris ac cõmodus est: qui infra Vuolodimeriã,usq; ad Murom oppidum,in Occæ littore situm, spacio duodecim miliarib. nauigatur, Occęq; fluuio iũgitur. A Vuolodimeria uiginti quatuor miliariũ rectà in Orientem, in uastis syluis principatus olim fuit: cuius populi Muromani uocabãtur,animalium pellibus,melle & piscibus abundantes. C

Novuogardia inferior ciuitas,ampla & lignea,cum castro, quod Basilius præsens monarcha ad Vuolgę & Occę fluuiorũ confluxũ ex lapide in scopulo exædificauit. Aiũt quadraginta miliaribus Ger. eã à Murom abesse,in Orientem. quod si ita est, cẽtum miliarib. Novuogardia à Moscovuia distabit. Regio fertilitate,rerũq; copia Vuolodimeriam æquat. Atq; hic Christianæ religionis hac quidem parte terminus est. nam licet princeps Moscovuiæ ultra Novuogardiam hanc,castrum,cui Sura nomen est, habeat: tamen interiectæ gentes,quæ Czeremissæ appellantur, non Christianam,sed Machumeti sectam sequũtur. Porrò ibi & alię gentes sunt,Mordvua nomine,Czeremissis permixtæ,quę cis Vuolgam,ad Suram,bonam regionis partem occupant. Czeremissę enim ultra Vuolgam in Septentrione degunt: ad quorum differentiam,qui circa Novuogardiã habitant, Czeremissæ superiores,seu mõtani,non à mõtibus quidem,qui ibi nulli sunt,sed à collibus potius,quos accolunt,nũcupantur.

Sura flu-

A Sura fluuius Moſci & Caſanẽſis regis dominiũ diuidit, qui ex Meridie ueniens, uigintioćto miliarib. infra Novuogardiam, curſu in Orientem flexo, Vuolgam influit. in quorum cõfluxu, ad alterum littus, ijs Baſilius princeps caſtrum erexit, idq; à ſuo nomine Baſilovugorod nominauit: quod poſtea multorum malorum ſeminarium extitit. Haud procul inde eſt Moſcha fluuius, qui & ipſe ex Meridie profluens, Occam ſupra Murom illabitur, non lõgè ab oppido Caſsimovugorod, quod Moſcus Tartaris habitandum conceſsit. Horum mulieres arte quadam ungues, decoris cauſa, nigro colore inficiũt: ac aperto capite, paſsisq; crinibus perpetuò incedunt. A' Moſcha fluuio Orientem & Meridiem uerſus, ingentes occurrunt ſyluæ, quas Mordvua populi, qui proprio idiomate utuntur, ac Principi Moſcovuiæ ſubiecti ſunt, inhabitãt. Eos quidam idololatras, alij Mahometanos eſſe uolunt. Hi in pagis paſsim habitant, agros colunt, uictum ex ferina carne & melle habent, pellibus abundant precioſis: duri in primis homines. nam & Tartaros latrocinantes
B ſæpe fortiter à ſe propulſarunt, pedites ferè omnes, arcubus oblõgis conſpicui, ſagittandiq; peritia præſtantes.

Rezan prouincia inter Occam & Tanaim fluuium ſita, ciuitatem ligneam non longè à ripa Occæ habet. Erat in ea caſtrum, quod Iaroslavu uocabatur: cuius nunc, præter ueſtigia, nihil extat. Haud procul ab ea ciuitate, Occa fluuius inſulam facit, quæ Strub dicitur, magnus olim ducatus, cuius Princeps nemini ſubiectus erat. Columna ex Moſcovuia inter Orientem & Meridiem, ſeu (ut alij uolunt) in Orientem hyemalem ciuitas occurrit. Dein Rezan, quæ à Moſcovuia triginta ſex miliaribus Ger. diſtat. Hæc prouincia cæteris omnibus Moſcovuiæ prouincijs fertilior eſt: in qua, ut aiunt, ſingula grana frumenti binas quandoque, pluresue ſpicas proferunt: quarum culmi tam denſe accreſcunt, ut nec equi facilè tranſire, nec coturnices inde euolare poſsint. Mellis, piſciũ, auium, ferarumq; ibi magna copia, arborumq; fructus lõgè Moſcovuiæ fructibus nobiliores: gens audaciſsima, bellicoſiſsimaq;.

C Ex Moſcovuia ad hoc uſq; caſtrum, ultraq; ſpacio XXIIII ferè miliarium Ger. fluit Tanais, loco qui Donco dicitur: ubi mercatores in Aſoph, Capham, & Conſtantinopolim euntes, naues ſuas onerant: quod plerunq; fit in autumno, pluuioſa anni parte. nam Tanais ibi alijs anni temporibus non ita aquis abundat, ut oneratas naues bene ferre queat. Dominabatur Rezan quandoque Baſilius magnus dux, qui ſororem Ioannis Baſilij magni ducis Moſcovuiæ duxerat, ex eaque Ioannem & Theodorum ſuſceperat. Mortuo Baſilio, Ioannes filius ſuccedit: qui ex uxore Knes Theodori Babitz filia, Baſilium, Theodorum & Ioannem filios genuit. ex quibus, mortuo patre, maximi natu duo filij, dum quiſque ſibi imperium uendicare nititur, in campis Razanẽſibus congreſsi: armis decertarunt: in qua pugna alter occubuit. nec multo pòſt, qui uictor fuerat, in eiſdem cãpis moritur, in cuius rei memoriam, ſignum crucis ex robore ibi erectũ eſt. Minimus natu, qui ex tribus fratribus adhuc ſupererat, cognita fratrum ſuorum morte, adiunctis ſibi Tartaris, prin-

cipatu, pro quo fratres decertauerant, quem̃q; mater adhuc possidebat, A
ui potitur: quibus peractis, cum Duce Moscouiæ agit, ut quemadmodum maiores sui nemini obstricti, cùm principatum liberè tenuissent, possedissentq;, ita se quoq; imperare sineret. Dum hæc paciscereturad magnum Principem delatus est, quòd regis Tauricæ, quo cum Principi bellũ erat, filiam uxorem expeteret. quam ob rem cum à Principe uocatus fuisset, metu aduentum tardat, protrahitq;. tandem à Simeone Crubin, uno ex consiliarijs suis persuasus, in Moscouiam proficiscitur: ubi Principis iussu captus, liberis custodijs mãdatur. Subinde Princeps matre illius eiecta, & in monasterium intrusa, castrum cum principatu occupat: & ne aliqua quandoq; secessio Rezanẽsium fieret, bonam eorum partem per diuersas distribuit colonias. qua re totius principatus uires labefactatæ corruerunt. Porrò cum anno Domini 1521 Tartari prope Moscouiã castra posuissent, Ioannes per tumultum è custodia elapsus, in Lithvuaniam profugit: ubi etiam tum exulabat.

Tulla oppidum quadraginta ferè miliaribus Ger. à Rezan distat, à B
Moscouia uerò in Meridiem triginta sex: estq; ultimum oppidum ad campestria deserta, in quo Basilius Ioannis castrum ex lapide cõstruxit, quod fluuius eiusdem nominis præterlabitur. Vppa uerò alius fluuius, ab ortu castrũ alluit: Tullæq; fluuio iunctus, Occam supra Vuorotinski uiginti ferè miliaribus Ger. influit. à cuius ostijs haud ita procul, Odoyovu castrum situm est. Porrò oppidum Tulla, etiam Basilij tempore proprium principem habebat.

Tanais fluuius famosissimus, qui Europam ab Asia disterminat, octo fermè à Tulla in Meridiem miliaribus nonnihil in Orientem deflectendo, oritur, non ex Ripheis montibus, ut quidam prodidere: sed ex Ivuanovuosero, hoc est, Ioannis lacu ingenti, qui in longitudine & latitudine circiter 1500 vuerst patet: inq; sylua, quam quidam Okonitzkilies, alij Iepiphanovulies appellant, ortum habet. Ex hoc lacu Schat & Tanais, magna duo flumina, emergunt. Schat in Occidentem, Vppa fluuio in se recepto, Occam inter Occidentem & Septentrionem influit. Tanais au C
tẽ primo cursu rectà in Orientem fluit, atq; inter Casan & Astrachan regna sex uel septem miliaribus Ger. à Vuolga fluuio labitur: dein reflexo in Meridiem cursu paludes facit, quas Męotidis uocant. Ad eius porrò fontes proxima ciuitas est Tulla, supra ostia uerò tribus ferè in littore miliaribus Asoph ciuitas, quæ prius Tanas uocabatur. supra hanc quatuor dierum itinere Achas oppidum est, ad eundem fluuium sitũ, quem Rutheni Don appellant. Hunc ab optimorum piscium copia singulari, item amœnitate, quod utraq; fluminis ripa diuersis herbis, radicibusq; suauissimis, ad hæc arboribus fructiferis plurimis, uarijsque in modum horti, quasi industria quadam exculta atque consita sit, satis laudare non possunt. Et quòd tanta ferarum, quæ paruo negotio sagittis conficiuntur, ibi sit copia: ut per ea loca iter facientes, ad uitam sustentandam nulla alia re, igni tantum saleq; excepto, indigeãt. In his partibus non miliaria, sed dierum itinera obseruantur. Ego quantum coniectura assequi potui, à

A potui, à fontibus Tanais ad eius ostia usq́, terrestri itinere rectà eundo, sunt octuaginta ferè miliaria Ger. A' Dõco, quo loco Tanaim primùm nauigabilem esse dixi, uix uiginti diebus nauigando, peruenitur Asoph, ciuitatem Turcis tributariam: quæ quinque, ut aiunt, diætis ab Isthmo Tauricæ, quem aliàs Præcop uocant, distat. In ea multarum ex diuersis orbis partibus gentium insigne est emporium: quò ut omnibus, cuiuscunque nationis sint, liber patet accessus, libera etiam uendendi emendíq́ cuilibet datur copia: ita ciuitate egressis omnibus, quidlibet impunè facere licet. De aris autem Alexandri & Cæsaris, quas plerique scriptores in his locis fuisse commemorant, uel earum ruinis, nihil certi ex indigenis, alijśque qui ea loca sæpissimè peragrarunt, cognoscere potui. Milites quoque, quos Princeps ad Tartarorum excursiones explorandas, & coercendas, quotannis ibi in præsidijs habere solet, super hac re à me interrogati, nihil se unquam tale uel uidisse, uel audiuisse responderunt. Circa ostia tamen minoris Tanais, quatuor ab Asoph di-
B ætis, iuxta locum Velikiprevuos ad S. montes, statuas imagineśq́ quasdam marmoreas & lapideas uidisse se, non negabant. Minor porrò Tanais in Sevuerski principatu oritur, unde Donetz Sevuerski uocatur, tribuśq́ diætis supra Asoph in Tanaim illabitur. Cæterùm qui ex Moscovuia in Asoph terrestri itinere proficiscuntur, hi Tanai, circa Donco, uetus & dirutum oppidum, traiecto, à meridie nonnihil in orientem reflectuntur: quo loci, si recta ab Tanais ostijs linea ad eius fontes ducatur, Moscovuiam in Asia, non in Europa sitam reperies.

Msceneck palustris locus est, in quo olim castrum erat, cuius etiamnum uestigia extant. Circa hunc locum adhuc quidam in tuguriolis habitant, qui necessitate imminente, in paludes illas, ceu castrum refugiunt. Ex Moscovuia in Msceneck, meridiem uersus eundo, sexaginta ferè miliaria Ger. sunt: ex Tulla ferè triginta. A' Msceneck decem & octo ferè miliaribus ad partem sinistram, Occa fluuius oritur: qui primùm in Orientem, dein in Septentrionem, postremò in Orientem æsti-
C ualem (ut ipsi uocant) cursum suum dirigit. atque ita Occa, Msceneck forma circuli propemodum dimidiati claudit: multáq́ subinde oppida, Vuorotin scilicet, Coluga, Cirpach, Corsira, Columna, Rezan, Casimovugorod, & Murom alluit: tandeḿque Vuolgam infra Novuogardiam inferiorem ingreditur, syluiśque utrinque clauditur, quæ melle, aspreolis, hermelis & martibus plurimum abundant. Campi omnes quos alluit, fertilissimi sunt: nobilissimus in primis piscium copia fluuius, cuius pisces cæteris Moscovuiæ fluminibus præferuntur, maximè qui circa Murom capiuntur. Habet præterea pisces quosdam peculiares, quos ipsi sua lingua uocant Beluga, miræ magnitudinis, sine spinis, capite & ore amplo, Sterlet, Schevuriga, Osseter: postrema tria Sturionũ genera: & Bielaribitza, hoc est, album piscículum nobilissimi saporis. horum maximam partem ex Vuolga eò deuenire putant. Ex Occæ porrò fontibus duos alios fluuios oriri aiunt, Sem & Schosna: quorum Sem, Sevuera principatum perfluit: oppiduḿq́ Potivulo prę-

terlapſus, in Deſna fluuium, qui Czernigo oppidum interlabitur, atque A
infra Chiovuiam in Boryſthenem fertur, influit: Schoſna autem rectà in
Tanaim defertur.

Corſira in ripa Occæ fluminis oppidum eſt, ſex miliaribus ſupra Co-
lumnam. Habebat aliquando ſui iuris dominum: qui cum ad Principem
Baſiliũ, tanquam qui in necem eius conſpiraſſet, delatus fuiſſet, eamq; ob
rem ſub uenationis prætextu à Principe uocatus fuiſſet, illeq; que armatus
(nam à quodam, ne inermis iret, admonitus fuerat) cum ad Principem
in uenatione ueniſſet, neq; tum admiſſus eſſet, ſed cum Michaele Geor-
gij Principis Secretario ad uicinum oppidum Czirpach ire, ibiq; ſe ope-
riri iuſſus eſſet: ubi à Principis Secretario ad bibendum inuitatus, idq;
(ut ſolet) pro Principis ſui incolumitate, cum in eas inſidias quas nul-
lo modo euitare poſſet, ſe prolapſum eſſe ſentiret: accerſito ſacerdote,
hauſtoq; poculo moritur. atq; ita nephario hoc facinore, Baſilius Czir-
pach oppido, octo miliaribus à Corſira ad Occam fluuiũ ſito, ubi etiam
loco plano mineræ ferri effodiuntur, potitus eſt. B

Coluga oppidum ad Occam fluuium triginta ſex miliaribus à Moſco
uia abeſt, quatuordecim à Czirpach. Fiunt ibi affabrè cælata pocula li-
gnea, aliæq; è ligno res ad cultum domeſticum pertinentes: quæ inde in
Moſcouiam, Lithuaniã, aliasq; circumiacentes regiones paſsim defe-
runtur. Solet ibi Princeps quotannis præſidia ſua contra incurſiones
Tartarorum habere.

Vuorotin principatus eiuſdẽ nominis, cum ciuitate & caſtro, tribus
ſupra Colugam miliaribus, non procul à littore Occæ ſito, nomen ha-
bet. Hunc principatum Ioannes Knes Vuorotinski cognomento poſ-
ſidebat, uir bellicoſus, ac multarum rerum experientia excellens, quo
duce Baſilius princeps præclaras ſæpe ex hoſtibus uictorias reportaue-
rat. Sed anno 1521, quo tempore rex Tauricæ Occa traiecto, magno e-
xercitu Moſcouiam, ut ſuprà dictum eſt, inuaſerat, ad eumq; coercen-
dũ & reprimendũ Demetrius Knes Bielski, homo iuuenis, cum exerci-
tu à Principe miſſus fuiſſet, isq; Ioãnis Vuorotinski, aliorũq; ſanis con- C
ſilijs neglectis, uiſo hoſte turpi ſe fugæ mandaſſet: Principeq; poſt Tar-
tarorum diſceſſum, de fugæ autoribus diligenter inquirente, Andrea
Principis fratre (qui reuera eius fugæ autor fuerat) aliijs'que abſolutis,
Ioannes Vuorotinski non ſolum in ſummam uenit Principis indigna-
tionem, ſed captus etiam, atq; principatu ſuo exutus eſt. Poſtremò di-
miſſus quidem fuit ex cuſtodia, ea tamen conditione, ne Moſcouia un-
quam egrederetur. Hunc nos quoq; inter primarios uiros Moſcouiæ,
in aula Principis uidimus.

Sevuera magnus principatus eſt, cuius caſtrum Novuogrodek, haud
ita diu Sevuerẽſium principum, priuſquam hi ab Baſilio principatu exu
erentur, ſedes erat. eò ex Moſcouia dextrorſum in Meridiem, per Co-
lugam, Vuorotin, Serensko & Branski, centum quinquaginta milia-
ribus Ger. peruenitur: cuius latitudo ad Boryſthenem uſque proten-
ditur. Vaſtos deſertos'que paſsim campos habet: circa Branski autem

ſyluam

A ſyluam ingentem. Caſtra oppidaq́ in eo ſunt complura: inter quæ Starodub, Potiuulo, Czernigovu, celebriora ſunt. Ager quatenus colitur, fertilis eſt. Syluæ hermellis, aſpreolis & martibus, melleq́ plurimùm abundãt. Gens propter aſsidua cum Tartaris prælia, ualdè bellicoſa. Cæterùm Baſilius Ioannis, ut alios pleroſq́, ita hũc quoque principatum ſibi ſubiecit, hoc modo. Erant duo Baſilij ex fratribus nepotes: horum alter cognomento Semetzitz, caſtrum Novuogrodek: alter uerò Staradub ciuitatem tenebat. Potiuulo autem Demetrius quidam Princeps poſsidebat. Porrò Baſilium Semetzitz, cum ſtrenuus in armis, eamq́ ob rem Tartaris terrori eſſet, tanta regnandi libido inuaſerat, ut principatum ſolus expeteret. neque quieuit, donec Baſilium Staradubski afflictiſsimum redderet: eoq́ depulſo, prouinciam ſuam occuparet. quo ejecto, Demetrium alia uia aggreſſus eſt: quem apud Principem detulit, tanquam qui animum deficiendi à Principe haberet. Quare Princeps commotus, Baſilio mandat, uti Demetrium, quacunque arte captum, ad
B ſe Moſcouiam mitteret. Huius itaque fraude Demetrius in uenatione circumuentus fuit. Præmiſerat enim Baſilius equites quoſdam ad caſtri ſui portas, qui eum fuga euadere conantem excíperent, à quibus tum captus, in Moſcouiam deductus, atque in uincula coniectus fuit. Hanc iniuriam filius, quem unicum habebat, Demetrius, adeò moleſtè tulit, ut ad Tartaros confeſtim confugeret. Vtque patri illatam iniuriam celerius grauiuſq́ ulciſceretur, Chriſtiana fide abnegata, in Machumeti ritum circumciditur. Interim dum apud Tartaros ageret, accidit, ut puellam quandam uenuſtiſsimam deperiret: qua cum aliàs potiri non poſſet, inuitis eam parentibus clàm abduxit. Eam rem ſerui, qui cum eo circumciſi fuerãt, puellæ propinquis clàm indicarunt: à quibus quadam nocte ſubitò oppreſſus, cum puella ſagittis conficitur. Baſilius Princeps audita filij ipſius Demetrij fuga ad Tartaros, ſenem arctioribus uinculis conſtringi iubet. qui non multo pòſt morte filij apud Tartaros cognita, carcere mœroreque confectus, eodem anno qui à
C nato Chriſto MDXIX erat, obijt. Acq́ hæc omnia Baſilio Semetzitz autore facta ſunt: cuius impulſu antea quoque Princeps & Corſiræ dominum, & germanum ſuum fratrem, captos in carcere occidit. Cæterùm quemadmodum ſæpe fieri ſolet, ut qui alijs inſidias ſtruunt, in eaſdem tandem ipſi incidant: ita & huic Semetzitz contigit. Nam ipſe quoque apud Principem defectionis crimine inſimulatus eſt. Eam ob rem cum Moſcouiam uocatus fuiſſet, illeq́, niſi publicæ fidei literæ Principis & Metropolitæ iuramento confirmatę, ſibi prius mitterentur, eò ſe uenturum pernegaret: miſsis acceptiſq́ ex ſententia literis, XVIIII Aprilis, MDXXIII anni Moſcouiã cum ueniſſet, honorificè muneribus etiam oblatis à Principe exceptus fuit: ſed paucos poſt dies captus, in carcerem conijcitur, ubi & tunc detinebatur. Cauſam captiuitatis ſuæ hãc fuiſſe aiunt, quòd literas ad regẽ Poloniæ, quibus ſe ad eum deficere uelle ſcripſerat, præfecto Chiouienſi miſiſſet: qui reſignatis literis, cum iniquum eius erga principem ſuum animum cognouiſſet, continuò eas Principi

Moſcouiæ

Moſcouiæ miſit. Alij uerò rationem magis ueriſimilem afferunt. So- A
lus enim Semetzitz in toto Moſci Imperio ſupererat, qui caſtra & prin-
cipatus poſsidebat: quibus, ut facilius hunc eijceret, tutiusq; imperaret,
perfidiæ crimen, quo ille è medio tolleretur, in illum excogitatum eſt.
Ad quod alludens morio quidam, quo tempore Semetzitz Moſcouui-
am ingrediebatur, ſcopas & palam circumferebat. qui cum interrogare-
tur, quid ſibi hoc apparatu uellet? Imperium principis nondum prorſus
purgatum eſſe, reſpondit: nunc uerò commodum tempus uerrẽdi adeſ-
ſe, quo feces omnes eijciendæ forent. Hanc prouinciam Ioannes Baſilij,
Alexandri magni Ducis Lithuuaniæ exercitu ad Vuedroſch fluuium
profligato, primus imperio ſuo adiecit. Porrò Sevuerenſes principes ge
nus ſuũ à Demetrio magno Duce Moſcouuię ducunt. Erant Demetrio
filij tres, Baſilius, Andreas, & Georgius. Ex his Baſilius natu maximus,
iuxta patrias leges, patri in regno ſucceſsit. Ex alijs duobus, Andrea ui-
delicet & Georgio, Sevuerẽſes principes generis ſui originẽ traxerunt.

Czernigovu triginta miliaribus à Chiovuia, totidẽ uerò à Potivulo B
abeſt. Potivulo uerò diſtat à Moſcouuia cẽtum quadraginta miliaribus
Ger. à Chiovuia ſexaginta, à Branski trigintaocto. Hæc ultra ſyluã ma-
gnam, quæ uigintiquatuor miliaribus in latitudinẽ protenditur, ſita eſt.

Novuogrodeck decem octo miliaribus diſtat à Potivulo, à Staradub
quatuordecim: Staradub à Potivulo triginta duobus miliaribus.

Eũtibus ex Potivulo in Tauricam, per ſolitudinem fluuij Sna, Sama-
ra & Ariel occurrunt: ex quibus poſteriores duo latiores, profundio-
resq; ſunt: in quibus traijciendis dum uiatores diutius nonnũquam de-
tinentur, à Tartaris ſæpe circũueniuntur, capiũturq;. poſt hos Koinska-
vuoda & Moloſcha fluuij occurrũt, quos nouo quodam traiectionis ge-
nere ſuperant: reſectas arbuſculas in faſces colligant, quibus ſe ſuaq; im-
ponunt, atq; ita remigantes ſecundo fluuio in alterum littus deferuntur.
Alij huiuſmodi faſces equorum caudis alligant, qui flagris impulſi, na-
tantes in ulterius littus, homines ſecum trahunt, transferuntq;.

Vgra fluuius profundus & lutoſus, non longè à Drogobuſch in ſylua C
quadam oritur, interq; Colugam & Vuorotin in Occam exoneratur. Is
fluuius olim Lithuuaniam à Moſcouuia diuidebat.

Demetriovuitz oppidum & caſtrum inter Meridiem & Occidẽtem,
decem & octo miliaribus abeſt à Vuieſma, à Vuorotim circiter uiginti.

Smolentzko ciuitas Epiſcopalis, ad Boryſthenem fluuiũ ſita, caſtrum
in ulteriore fluminis littore Orientem uerſus habet, roboribus conſtru-
ctum, quod plurimas domos in ciuitatis formam complectitur. Hoc
quà in collem porrigitur (nam parte alia Boryſthene alluitur) foſsis,
ad hæc ſtipitibus acutis, quibus hoſtium incurſus arcetur, munitum: Ba
ſilius Ioannis ſæpius grauiſsimè oppugnauit, nunquam tamen illud ui
capere potuit. At poſtremò militum, prefecti'que cuiuſdam Bohemi, de
quo ſuprà in hiſtoria Michaelis Linski dictum, proditione eo potitus
eſt. Ciuitas in ualle ſita, colles circũquaq; fertiles habet, ſyluisq; uaſtiſsi-
mis cingit, ex quib. pelliũ diuerſarũ magnus prouẽtus. Templũ in caſtro
diuæ Vir-

A diuæ Virgini ſacrum, alia uerò ædificia lignea: in ciuitatis ſuburbio Monaſteriorum è lapidibus conſtructorum ruinæ complures uidentur. Ex Moſcovuia porrò ad Smolentzkum, inter Meridiem & Occidentem euntibus, decem & octo miliarium itinere, Moſaisko primùm occurrit: inde uiginti ſex, Vuieſma: pòſt decem & octo, Drogobuſch: atque inde totidem, in Smolẽtzko peruenimus, totum'que hoc iter octuaginta miliaribus Ger. conſtat: quamuis Lithvuani & Moſcovuitæ centum computent. Ego tamen ter loca illa peragraui, nec plura obſeruaui. Hunc principatum Baſilio imperante, Vuiltoldus magnus Dux Lithvuauiæ Moſcis anno 1413 ademerat. Eundem Baſilius Ioannis anno 1514, die XXX Iulij, Sigiſmundo regi Poloniæ eripuit.

Drogobuſch & Vuieſma, caſtra & oppida lignea ſunt, ad Boryſthenem ſita, quæ olim ſub dominio Principum Lithvuaniæ erant. Eſt ſub oppido Vuieſma eiuſdem nominis fluuius, qui haud procul inde, duobus uidelicet vuerſt, in Boryſthenem fertur: ſolent'que oneratæ merci-
B bus naues inde Boryſthenem deuehi, atque pòſt uiciſſim aduerſo Boryſthene Vuieſmam uſq; portari.

Moſaisko quoq; caſtrum & oppidum ligneum, circa quod magna diuerſicolorum copia leporum eſt: ſoleq; Princeps quotãnis uenationes ſuas ibi habere, atq; nonnũquam diuerſorũ Principũ Oratores audire: ſicuti nobis in Moſcovuia exiſtentibus, Lithvuanos Oratores audiuit: nosq; eò pariter ex Moſcovuia accerſitos, ubi mãdatis Principũ noſtrorũ confectis dimiſsi fuimus. Porrò imperiũ principũ Moſcovuię, tẽpore Vuitoldi, quinq; aut ſex miliaribus ultra Moſaisko protendebatur.

Biela principatus, cum caſtro & ciuitate eiuſdem nominis, ad fluuium Opſcha, in uaſtis ſyluis ſexaginta miliaribus Ger. magis in Occidentem à Moſcovuia diſtat: à Smolentzko triginta ſex, à Toropetz triginta. Huius olim Principes ex Gidemino oriundi erãt: ſed Caſimiro rege Poloniæ imperante, Iagellonis filij hunc principatum obtinebãt. quo tempore, Baſilius princeps Bielæ, qui aliàs Bielski appellatur, ad Ioannem pa-
C trẽ Baſilij defecit, ſe ſuaq; illi ſubdidit: uxoreq; ſua in eo motu in Lithvuania relicta, aliam, ut ſuprà dictum eſt, in Moſcovuia duxit: ex qua tres ſuſcepit filios, quos nos apud Principem uidimus, è quorum numero Demetrius propter patris ſui authoritatẽ in magno precio honoreq; habebatur. Porrò hi tres fratres, quãuis ex Bielski paterna hæreditate uiuebãt, eiusq; annuis redditib. alebantur, eò tamẽ ire nõ audebãt. nã Moſcovuiæ princeps, Bielski principatũ illis ademit, titulumq; ſibi uſurpabat.

Rſovua Demetrij ciuitas, cum caſtro, rectà in Occidentem uiginti tribus miliaribus abeſt à Moſcovuia: caſtrum, à quo Princeps titulum ſibi uſurpat, ad fluuium Vuolga ſitum eſt, habetq; latiſsimam ditionem. Eſt & alia Rſovua centum quadraginta miliaribus à Moſcovuia, à Vuelikiluki uiginti, totidem à Pleſcovuia, quæ deſerta appellatur. Vltra Rſovuam Demetrij, per certa miliaria progrediendo in Occidentem, eſt ſylua Vuolkonzki dicta, ex qua quatuor fluuij oriuntur. In ea ſylua eſt palus, quæ Frònovu uocatur: ex qua fluuius nõ ita magnus duobus ferè

miliaribus

miliaribus in lacum quendam Vuolgo influit: unde rursus aquarum A
multitudine adauctus emergit, Vuolgaque sumpto à lacu nomine uocatur: qui multis paludibus emensis, multis etiam fluminibus in se receptis, uiginti quinque, uel (ut alij uolunt) septuaginta ostijs in mare Caspium, à Ruthenis Chvualinsko morie appellatum, & non in Pontum, ut quidam scripsit, exoneratur. Porrò Vuolga à Tartaris Edel, à Ptolemæo Rha uocatur: tantaque inter hunc & Tanaim in campestribus est uicinitas, ut septem duntaxat miliaribus distare affirment. Quas autem ciuitates & oppida præterlabatur, suo loco referemus. In eadem sylua decem ferè à palude Fronovuo miliaribus est Dnyepersko pagus: circa quem oritur Borysthenes, qui ab incolis Dnieper uocatur, quem nunc Borysthenem dicimus. Haud procul ab eo loco est monasterium sanctæ Trinitatis, ubi oritur alius fluuius priore maior, Niepretz per diminutionem dictus. Ambo autem hi fluuij inter fontes Borysthenis & paludem Fronovuo confluunt, quo loco Moscovuitarum & Chloppiensium merces nauibus impositæ, in Lithvuaniam deferun- B
tur: solentque mercatores ibi in monasterium ceu diuersorium diuertere. Porrò quòd Rha & Borysthenes non ex ijsdē fontibus, iuxta quorundam opinionem, oriantur, cùm ex alijs, tum ex complurium mercatorum certa relatione, qui in illis partibus rem fecerunt, compertum habeo. Borysthenis autem cursus hic est, ut primùm Vuiesmā Meridiem uersus alluat: mox reflexo in Orientem cursu, oppida Drogobusch, Smolenczko, Orscham, & Mogilef præterlabatur: indeque rursus in meridiem tendens, Chiovuiam, Circassos & Otzakovu contingit. ubi deinceps in pontum exoneratur, uidetur eo loco mare formam lacus habere: & Otzakovu quasi in angulo est ad ostia Borysthenis. Nos enim ex Orschain Smolenczko uenimus, ubi impedimenta nostra nauibus usque Vuiesmam deduximus: & tantum inundabat, ut Monachus Comitem à Nugaroli, & me scapha piscatoria per syluas lōgè deuexerit: equi uerò natando pluries superarunt itinera.

Dvuina lacus à fontibus Borysthenis decem ferè miliaribus, & totidē à palude Fronovuo distat. Ex eo fluuius eiusdem nominis uersus Occidentem, qui à Vuilna uiginti miliarib. abest, ac dein in Septētrionem decurrit, & prope Rigā metropolim Livuonię mare Germanicū (quod Rutheni Vuareczkoie morie uocāt) illabitur: alluit Vuitepsko, Polotzko, Dunenburg: & non perfluit Plescovuiam, ut quidam scripsit. Livuonienses hunc fluuium ex bona parte nauigabilem, Duna appellant. C

Lovuat quartus fluuius, cæteris tribus minimè comparandus, oritur inter lacum Dvuina, & paludem Fronovuo, aut ex ipsa palude. non potui equidem eius fontes, etsi haud procul à Borysthenis fontibus distāt, prorsus explorare. Est autem ille fluuius, ut eorum Annales habent, in quem S. Andreas apostolus ex Borysthene per siccum nauiculam traduxit, & qui emensis quadraginta ferè miliaribus, Vuelikiluki alluit, inq; Ilmen lacum influit.

Vuolock ciuitas & castrum in Occidentem æquinoctialem uiginti quatuor

A quatuor miliaribus distat à Moscovuia, à Mosaisko duodecim ferè, à Tvuer uiginti. Huius loci titulum Princeps sibi usurpat, soletq; quotannis ibi animum, falconibus lepores infectando, relaxare.

Vuelikiluki castrum & ciuitas in Occidentẽ à Moscovuia cẽtum quadraginta miliaribus, à Novuogardia magna sexaginta ferè, à Poloczko autem triginta sex miliaribus distat. hac etiam itur ex Moscovuia in Lithvuaniam.

Toropecz est castrum, cum ciuitate, inter Vuelikiluki & Smolenzko, ad confinia Lithvuaniæ, distat à Luki decem & octo ferè miliaribus.

Tvuer, siue Otvuer, amplissima olim ditio, una ex magnis Russię principatibus ad Vuolgam fluuium sita, triginta sex miliaribus Occidentem æstiualem uersus, distat à Moscovuia: habetq; ciuitatem magnam, quam Vuolga interfluit. in altera autem ripa, qua Tvuer Moscovuiam spectat, castrum habet, ex cuius opposito Tvuertza fluuius Vuolgã influit: quò equidem in Otvuer nauigio perueni, & altero die Rha flu. nauigaui. Por-
B rò ciuitas hęc Episcopalis sedes erat, uiuẽte Ioanne Basilij patre, quo tempore Tvuerensem Principatũ magnus Dux Boris moderabatur. Cuius postea filiam Mariam princeps Moscovuiæ Ioannes Basilij uxorẽ duxerat: ex eaq; Ioannem primogenitũ, ut suprà dictum, susceperat. Boris autem mortuo, Michael filius succesit: qui postea à sororio suo magno Duce Moscovuiæ principatu depulsus, exul in Lithvuania moritur.

Tersack oppidum decem mil. à Tvuer: eius dimidia pars sub Novuogardiæ, altera Tvuerensi dominio erat, duoq; ibi Locumtenentes imperabant. Oriũtur ibi quoq;, ut suprà dixi, duo fluuij, Tvuertza & Sna: hic Novuogardiam in Occidentem, ille in Orientem decurrit.

Novuogardia magna, amplissimus totius Russię principatus est, patrio sermone Novuigorod, quasi Noua ciuitas, seu Nouum castrum dicitur. Quicquid enim muro cinctum, roboribus munitum, aut alioqui septum est, Gorod appellant. Est autem ampla ciuitas, quam Vuolchovu fluuius nauigabilis interfluit, qui ex Ilmen lacu uix duobus vuerst supra
C ciuitatẽ emergens in lacum Neoa, quem nunc Ladoga, ab oppido quod ei adiacet, appellant, illabitur. Novuogardia porrò in Occidentem æstiualem, à Moscovuia centũ uiginti miliaribus abest. quanquam sunt qui centum duntaxat cõputant: à Plescovuia triginta sex, à Vuelikiluki quadraginta, ab Ivuanovuogorod totidem. Cæterùm ciuitas hæc olim dum floreret, suiq; iuris esset, latissimam ditionẽ in quinq; partes distributam habebat: quorum quælibet pars non solum de publicis ac priuatis rebus cognoscendis, ad ordinarium ac competentem suæ partis magistratum referebat, uerùm in sua duntaxat ciuitatis regione contrahere res quascunq;, ac commodè cum alijs ciuibus suis conficere poterat: nec licebat cuiquam, ad aliquem alium eiusdem ciuitatis magistratum, quacunq; in re prouocare. Eoq; tempore totius Russiæ maximum ibi erat emporiũ. ingens enim mercatorũ turba undiq; ex Lithvuania, Polonia, Svuetia, Dania, ipsaq; Germania eò confluebat, ciuesq; ex tam frequenti multarũ gentium concursu, opes suas copiasq; augebant. Quin & nostra tempe-

ſtate licet Germanis ſuos ibi habere quæſtores, ſeu rationarios. Imperiũ A
eius magna ex parte in Orientem & Septentrionem extenditur. Livuoniam, Finlandiam, atq; Nordvuegiam ferè contingebat. Eius loci mercatores, cum uno eodemq; uehiculo Auguſta Vindelicorum profectus eò peruenisſem, me impenſe rogarunt, ut uehiculum quo tam longum iter emensus fuiſſem, in æde ipſorum ſacra perpetuę memorię ergò relinquerem. Habuit etiam Novuogardia principatus ad Orientẽ, Dvuinam & Vuolochdam: ad Meridiẽ uerò dimidiam partem Terſack oppidi, non longè à Tvueria. Et quamuis hæ prouinciæ, quòd fluuijs & paludibus oppleantur, ſteriles ſint, cõmodeq; habitari non poſsint: nihilominus ex ferarum pellibus, melle, cera, & piſcium copia magnum quæſtum faciunt. Principes porrò, qui ipſorum Reipub. præeſſent, ſuo arbitrio ac uoluntate conſtituebant, imperiumq; augebant, uicinas gentes quauis ſibi ratione deuinciendo, ac ſtipendio tanquã autoramento quodã propoſito in ſui defenſionem obſtringentes. Ex eiuſmodi gentium, quarum opera Novuogardenſes in conſeruanda Republica ſua utebantur, ſocie- B
tate factũ eſt, ut Moſci ſuos ſe ibi Præſides habere gloriarentur, Lithvua niq; uiciſsim eos ſibi tributarios aſſererent. Hunc principatum dum Archiepiſcopus ipſe conſilio ac autoritate ſua adminiſtraret, Ioannes Baſilij Moſcovuiæ Dux inuaſerat, ſeptem perpetuos annos graui eos bello premens. Tandẽ menſe Nouembri, anno Domini 1477. ad fluuiũ Scholona conflictu Novuogardenſes ſuperans, certis quibuſdam cõditionibus ad deditionem eos compulit, prefectumq; ſuo nomine urbi impoſuit. Cum autem abſolutũ in hoſce imperium nondum ſe habere putaret, neq; ſine armis id ſe aſſequi poſſe cerneret, ſub religionis prætextu, ac ſi à Rutheni-co ritu deficere uolentes, in fide contineret, Novuogardiã uenit, eamq; hac ſimulatione occupauit, inq; ſeruitutem redegit: Archiepiſcopum, ciues, mercatores, externos, omnibus bonis ſpoliauit: trecentosq; currus inde auro, argento, gemmisq; onuſtos, ut quidã ſcripſere, Moſcovuiam abduxit. Equidẽ Moſcovuię diligenter de hac re percontabar, accepiq; C
longè plures currus præda onuſtos inde abductos fuiſſe. Neque mirum. Nam capta ciuitate Archiepiſcopũ, ditiores & potẽtiores omnes, ſecum Moſcovuiam abduxerat, inq; horum poſſeſsiones, ſubditos ſuos quaſi nouas colonias remiſerat. Ex illorum itaq; poſſeſsionibus, præter communes redditus, maximum quotannis uectigal in Fiſcum percipit. De Archiepiſcopatus quoq; prouentibus, cuidam Epiſcopo tum à ſe conſtituto, paruã duntaxat reddituum portionem conceſſerat: quo mortuo, ſedes Epiſcopalis diu uacabat. Tandem ad maximam ciuium ac ſubditorum petitionem, ne perpetuò Epiſcopo carerent, rurſus quendam, nobis tum præſentibus, inſtituerat.

Novuogardenſes olim idolũ qnoddam, nomine Perun, eò loci quo nunc eſt monaſterium, quod ab eodẽ idolo Perunzki appellatur, collocatum, in primis colebant, uenerabanturq;. Dein baptiſmate aſſumpto, id loco motum, cum in flumen Vuolchovu deieciſſent, aduerſo dicitur fluuio nataſſe: & circa pontem auditam fuiſſe uocem, Hæc uobis Novuo-

gardenſes

A gardenſes in mei memoriam. ſimulq; cum dicto, fuſtem quendam mox in pontem proiectũ fuiſſe. Solet etiamnum contingere, ut certis anni diebus hæc uox Perun audiatur: qua audita, ſubitò eius loci ciues concurrunt, ſeq; fuſtibus mutuò cædunt. tantusq; inde tumultus quoq; oboritur, ut uix magno Præfecti labore ſedari poſsit. Accidit præterea, ut Annales eorum referunt, dum Novuogardenſes Corſun Græciæ ciuitatem ad ſeptem perpetuos annos graui obſidione premerent, interim uxores eorum moræ pertęſæ, tum etiam de ſalute ac aduentu maritorum dubitantes, ſeruis nuberent. Expugnata tandem ciuitate, quum uictores mariti ex bello reuerſi, æreas portas ſuperatæ urbis, ac magnam quandam campanam, quam ipſi in cathedrali eorum Eccleſia uidimus, ſecum attuliſſent: ſeruiq; dominos, quorum uxores duxerant, ui repellere conarentur: domini indignitate rei commoti, depoſitis, cuiuſdam conſilio, armis, lora & fuſtes tanquam in mancipia arriperent: quibus ſerui territi, inq; fugam conuerſi, loco quodam qui etiamnum Chloppigrod, hoc eſt Ser-
B uorum caſtrum dicitur, ſe reciperent, defenderentq;. Verùm uicti, meritis à dominis ſupplicijs affecti fuere. Habet Novuogardia in ſolſtitio æſtiuali longiſsimum diem XVIII horarum, & ultrà. Regio multo frigidior eſt, ipſa Moſcovuia. Gentem quoq; humaniſsimam ac honeſtam habebat: ſed quæ nunc proculdubio peſte Moſcovuitica, quam eò commeantes Moſci ſecum inuexerunt, corruptiſsima eſt.

Ilmen lacus, qui in antiquis Ruthenorum ſcriptis Ilmer uocatur, & quem alij Limidis lacum appellant, eſt ſupra Novuogardiam duobus uerſt: in longitudinem XII, in latitudinem uerò VIII miliaribus Germanicis patet: duosq;, præter alios, celebriores fluuios excipit, Louat & Scholona. Is ex quodam lacu emergit. unum uerò emittit Vuolchovu, qui Novuogardiam interlabitur: emenſisq; triginta ſex miliaribus, Ladoga lacum ingreditur. Is in latitudinem ſexaginta, longitudinem centum ferè miliaribus, inſulis tamen quibuſdam interiectis, patet: effunditq; magnum fluuium Neoa, qui Occidentem uerſus in Germanicum mare ſex
C ferè mil. decurrit. ad cuius oſtia, ſub dominio Moſci, in medio flumine ſitum eſt caſtrum Oreſchak, quod Germani Nutemburg appellant.

Ruſs, olim antiqua Ruſsia dicta, antiquum oppidulum eſt, ſub ditione Novuogardiæ, à qua duodecim, ab Ilmen uerò lacu tredecim miliaribus diſtat. Habet ſalſum fluuium, quem ampla foſſa in modum lacus ciues coercent, indeq; aquam per canales pro ſe quiſq; in ædes ſuas deriuant, ſalq; coquunt.

Ivuanovugorod caſtrum Ioannes Baſilij, à quo etiam nomen accepit, ad ripam Nervuæ fluuij, lapide exædificauit. Eſt ibi quoq; ex aduerſo in altera ripa Livuonienſium caſtrum, quod ab eodem fluuio Nervua appellatur. Hæc duo caſtra Narvua fluuius interlabitur, dominiumq; Novuogardenſium ab Livuonienſi diuidit. Porrò Narvua fluuius nauigabilis, ex eo lacu quem Rutheni Czutzko, ſeu Czudin, Latini Bicis, ſeu Pelas, Germani uerò Peipfues appellant, emergit: duobusq; in ſe receptis fluuijs, Pleſcovuia & Vuelikareca, qui uenit ex Meridie, Opotzka oppidũ,

Pleſcovuia à dexteris relicta, præterfluit. Facilis autem ex Pleſcovuia in A
mare Baltheum eſſet nauigatio, niſi ſcopuli quidã, non longè ab Ivuano-
vugorod & Narvua, impedimento eſſent.

Pleſcovuia ciuitas ad lacum ſita eſt, ex quo eiuſdem nominis fluuius
emergit, ac per mediam ciuitatem decurrit ſex mil. in lacum, quem Ru-
theni Czutzko uocãt, exoneratur. Sola autem Pleſcovuia, in toto Moſci
dominio, muro cingitur: eſtq; in quatuor partes diuiſa, quarum ſingulæ
ſuis mœnibus continentur. Quæ res quibuſdam occaſionem erroris præ
buit, ut eam quadruplici muro cinctã eſſe dicerent. Huius ciuitatis ditio,
ſeu principatus, gentiliter Pskovu, ſeu Obskovu uocatur. Olim ampliſ-
ſima, ſuiq; iuris erat: ſed eam tandẽ Ioannes Baſilij anno Domini M D I X.
quorundam ſacerdotum proditione occupauit, atque in ſeruitutem rede
git. item campanã, ad cuius pulſum Senatus ad rempublicam conſtituen-
dam cogebatur, abſtulit: ipſisq; per colonias alió deductis, introductisq;
in eorum locum Moſcis, libertatem eorum prorſus imminuit. Vnde fa-
ctum, ut pro cultioribus, atque adeò humanioribus Pleſcovuienſium mo B
ribus, corruptiores in omnibus ferè rebus Moſcovuienſium mores ſint
introducti. Tanta enim in contractibus Pleſcovuienſinm erat integri-
tas, candor, & ſimplicitas, ut omni uerboſitate in fraudẽ emptoris omiſ-
ſa, uno tantum uerbo res ipſas indicarent. Pleſcovuienſes autem, ut e-
tiam hoc obiter adijciam, in hunc uſque diem cæſarie non Ruthenorum,
ſed Polonorum more, bifurcata utuntur. Diſtat autem Pleſcovuia in Oc-
cidentem triginta ſex miliaribus à Novuogardia, ab Ivuanovugorod
quadraginta, totidem à Vuelikiluki. Per hanc quoq; ciuitatem ex Mo-
ſcovuia & Novuogardia itur Rigam, Livuoniæ metropolim, quæ ſexa-
ginta miliaribus à Pleſcovuia diſtat.

Vuotzka regio inter Occidentem & Septentrionem ſita, uiginti ſex,
aut ad ſummum triginta miliaribus abeſt à Novuogardia, inq; ſiniſtra
caſtrũ Ivuanovugorod relinquit. In hac regione hoc prodigij loco refer-
tur: animalia, cuiuſcunq; generis in eam inducta fuerint, colorem ſuum in
albedinem mutare. Locus hic poſtulare uidetur, ut rationem locorum & C
fluuiorum circa mare, uſq; ad fines Svuetiæ perſtringã. Nervua fluuius,
quemadmodum ſuprà dixi, Livuoniam a Moſci ditione diuidit: à quo ſi
ab Ivuanovugorod ſecundum littus maris, Septentrionem uerſus pro-
grediare, Pluſſa fluuius occurrit, ad cuius oſtia Iamma caſtrum ſitum eſt.
Duodecim miliaribus ab Ivuanovugorod, à Iamma totidem, ſpacio qua-
tuor miliarium, occurrit caſtrum & fluuius eiuſdem nominis Coporoia:
inde ad fluuium Neoa, & caſtrum Oreſchack, ſex miliaria numerãtur: ab
Oreſchak uerò ad fluuiũ Corela, unde ciuitas nomẽ accepit, ſunt ſeptem
miliaria. Atque inde tandem itinere duodecim miliarium peruenitur ad
fluuium Polna, qui dominium Moſci à Finlandia, quã Rutheni Chainska
Semla uocant, quæ ſub ditione Regum Svuetiæ eſt, diuidit.

Eſt & alia Corela præter iam nominatã, prouincia, quæ ſuum territo-
rium atque idioma habet, ſexaginta ferè & amplius miliaribus à Novuo-
gardia in Septentrionem ſita. Ea quamuis à finitimis quibuſdam genti-

bus tri-

A bus tributum exigit,nihilominus & ipſa regi Svuetiæ item, & Moſco, ratione dominij Novuogardenſis, tributaria eſt.

Solovuki inſula in Septentrionem,inter Dvuinam & Corelam prouinciam,à continenti octo miliaribus in mari ſita eſt:quæ quantum à Moſco vuia diſtet, propter crebras paludes, ſyluas,& uaſtas ſolitudines, certa interualli ratio non habetur. Quamuis ſint qui eam 300 miliaribus à Moſcovuia,à Bieloieſero autem 200 abeſſe dicãt. Sal in ea inſula copioſus decoquitur.Eſtq; ibi monaſterium,in quod mulierem aut uirginẽ ingredi, grande piaculum eſt. Eſt etiam ibi piſcatio copioſa piſcium, quos indigenæ Selgi uocant,quos nos haleces eſſe putamus.Aiunt hic Solem æſtiuali ſolſtitio perpetuo,duabus tantum horis exceptis,ſplendere.

Dimitriovu ciuitas cum caſtro, à Moſcovuia, ab Occidente in Septentrionem parũ deflectendo, duodecim miliaribus diſtat. Hanc Georgius magni Ducis frater,tunc poſsidebat.Eam Iachroma fluuius,qui Seſt fluuium influit,præterlabitur.Porrò Seſt Dubnam,qui in Vuolgã exonera
B tur,excipit. Vnde tanta fluuiorum cõmoditate, magnæ ibi mercatorum opes, qui merces ex Caſpio mari per Vuolgam, labore non ita magno, in diuerſas partes,atq; adeò Moſcovuiam uſq; inducunt.

Bieloieſero ciuitas cum caſtro, ad lacũ eiuſdem nominis ſita eſt.Sonat autem Ruthenis Bieloieſero,albus lacus. Porrò ciuitas nõ eſt in ipſo lacu ſita,ut quidam retulerunt: paludibus tamen ita undequaq; cingitur,ut inexpugnabilis eſſe uideatur.Qua re ducti Principes Moſcouiæ, theſauros ibi ſuos recõdere ſolent. Abeſt autem Bieloieſero in Septentrionem centũ miliarib.à Moſcovuia, totidemq; à Novuogardia magna. Duę uerò uiæ ſunt, per quas ex Moſcovuia itur Bieloieſero. altera propinquior per Vglitz, hyemali tempore,æſtate per Iaroslavu altera. Vtraq; autem uia, propter crebras paludes, & ſyluas fluuijs obſitas, haud cõmodè, niſi ſtratis pontibus,concretis glacie,conficitur.quo fit,ut ibi locorum difficultate miliaria ſint breuiora.Accedit ad hanc itineris difficultatẽ,ut propter crebras paludes,ſyluas,ac undiq; concurrentes fluuios,loca inculta
C ſint,nulliſq; ciuitatibus frequentata.Lacus ipſe duodecim miliaribus in longitudinem, totidemq; in latitudinẽ patet: in quem trecenti, ut fertur, & ſexaginta fluuij exonerantur. Vnus autẽ Schockſna tantum ex eo emergit, qui quindecim miliaribus ſupra Iaroslavu,& quatuor infra Mologã oppida, Vuolgam influit.Piſces qui ex Vuolga in hunc fluuium ac lacum perueniunt, meliores fiunt: imò tanto nobiliores, quanto diutius in eo fuerint,redduntur.In quibus agnoſcendis ea eſt piſcatorum peritia, ut piſces in Vuolgam reuerſos,captosq;,quanto tẽpore in eo fuerint,agnoſcant. Huius loci indigenę propriũ habent idioma:quamuis nunc fermè omnes Ruthenicè loquantur.Longiſsimum hi diem in Solſtitio æſtiuali dicuntur habere,decem & nouem horarum.Retulit nobis quidam haud parui nominis uir, ſe primo uere,cum arbores iam frondeſcerent, celeri curſu ex Moſcovuia Bieloieſerum contendiſſe: ſuperato'que Vuolga fluuio,reliquum itineris, quòd omnia ibi niuibus glacieq; oppleta eſſent, uehiculis confeciſſe. Et quãquam longior ibi hyems ſit,fruges tamen eo,

quo in Moſcovuia, tempore & matureſcunt, & colliguntur. A' lacu Bie- A
loieſero, intra teli iactum, eſt alius lacus ſulphur proferens: quod fluuius quidam ex eo manans, ceu ſpumas ſupernatantes, affatim ſecum defert. Inſcitia tamen populi, eius ibi nullus uſus eſt.

Vglitz ciuitas cum caſtro, ad littus Vuolgæ ſita eſt: diſtatq; à Moſcovuia uiginti quatuor, à Iaroslavu triginta, à Tvuer quadraginta miliaribus. Cæterum hæc prædicta caſtra ſunt in meridionali Vuolgæ ripa, ciuitas uerò ex utraq; parte.

Chloppigrod locus, in quem Novuogardenſium ſeruos confugiſſe ſuprà dixi, duobus miliaribus diſtat ab Vglitz. Haud procul inde caſtrum nunc demolitũ conſpicitur, ad fluuium Mologa, qui ex Novuogardiæ magnæ ditione octuaginta miliaribus fluens, Vuolgam ingreditur: in cuius oſtijs eſt eiuſdem nominis ciuitas & caſtrum, à quo duobus miliaribus in eiuſdem fluminis ripa Chloppigrod eccleſia tantum ſita eſt. Eo loci nundinæ in toto Moſci dominio, quarum etiam aliàs memini, ſunt frequentiſſimæ. eò etenim, præter Svuetenſes, Livuonienſes, atq; Mo- B
ſcovuitas, Tartari, aliiq; quàm plurimæ gentes, ex Orientalibus Septentrionalibusq; partibus confluunt, quæ rerum tantum permutatione utuntur. Rarus enim, ac fermè nullus apud has gentes eſt auri, argentiue uſus. Veſtes factas, acus, cultellos, cochlearia, ſecures, aliaq; eiuſmodi, utplurimum pellibus permutant.

Pereaslavu ciuitas & caſtrum, à Septentrione aliquantum uergens in Orientem, uigintiquatuor miliaribus abeſt à Moſcovuia: ſita autem eſt ad lacum, in quo, ut in inſula Solovuki, Selgi piſciculi, quorum ſuprà memini, capiuntur. Ager ſatis fertilis eſt, & copioſus, in quo perceptis frugibus, Princeps uenatione tempus fallere ſolet. Eſt in eodem agro lacus, ex quo ſal decoquitur. Per hanc ciuitatem proficiſcuntur, quibus Novuogardiam inferiorem, Caſtroma, Iaroslavu, & Vglitz eundum eſt. In his partibus uera itinerum ratio propter crebras paludes & ſyluas haberi non poteſt. Eſt etiam ibi Nerel fluuius, ex lacu quodam profluens, qui ſupra Vglitz Vuolgam influit. C

Roſtovu ciuitas & caſtrum, Archiepiſcopalis ſedes, cum Bieloieſero & Murom, inter præcipuos & antiquiores Ruſsiæ principatus, poſt Novuogardiam magnam habetur. Eò ex Moſcovuia, rectà per Pereaslavu itur, à qua decem miliarib. diſtat. Sita eſt ad lacum, ex quo Cotoroa fluuius, qui Iaroslavu præterlabitur, emergit, Vuolgamq; influit. Soli natura fertilis eſt, piſcibus in primis ac ſale abundans. Regio hæc olim ſecundogenitis magnorum Ducum Ruſsiæ propria erat: quorum poſteri nouiſsimè per Ioannem Baſilij patrem ea depulſi, exutiq; ſunt.

Iaroslavu ciuitas & caſtrum ad ripam Vuolgæ, diſtat à Roſtovu duodecim mil. rectà itinere ex Moſcovuia ſumpto. Regio ſatis fertilis eſt, ea præſertim parte, qua uergit ad Vuolgam: quæ etiam, quemadmodum Roſtovu, ſecundogenitorũ Principũ erat: quas monarcha ipſe ui oppreſſit. Et quanquam prouinciæ Duces, quos Kneſos appellant, adhuc ſuperſint: titulum tamen Princeps, Kneſis, uelut ſubditis regione conceſſa,

ſibi

A ſibi uſurpat. Tres autem Kneſi ſecundogenitorū poſteri, quos Rutheni Ioroslavuski appellant, eam regionem poſsident. Primus eſt Baſilius, is qui nos ex hoſpitio ad Principem duxit, & reduxit. Alter eſt Simeon Fœderovuitz, à Kurba patrimonio ſuo Kurbski dictus, homo ſenex, ſobrietate ſingulari, ac ipſa uitę rigiditate, qua ab ineunte ętate uſus eſt, ualde exhauſtus. multis enim annis eſu carnis abſtinuit: piſcibus quoq; Solis, Martis & Saturni tantum diebus ueſcebatur: Lunæ uerò, Mercurij & Veneris, ab eiſdem ieiunij tempore abſtinebat. hunc magnus Dux aliquando per Permiam, in Iuhariam, ad longinquas gentes debellandas, cum exercitu ſupremum Imperatorem mittebat. qui bonam eius itineris partem, propter niuis magnitudinem, pedes confecit: quibus diſſolutis, reliquum itineris nauigijs peregit, & montem Petzoram tranſgreſſus. Vltimus eſt Ioannes cognomento Poſſetzen, qui Principis ſui nomine Oratorem apud Carolum Cæſarem in Hiſpanijs agebat, & nobiſcum reuerſus eſt: qui adeò pauper erat, ut ueſtes, & Kolpackh (quod capitis
B tegumentum eſt) aliunde (quod certò ſcimus) pro conficiendo itinere commodatò ſumeret. Quare multum erraſſe uidetur, qui ſcripſit, hunc Principi ſuo in quacunq; neceſsitate triginta milia equitum ex ditione, ſeu patrimonio ſuo mittere poſſe.

Vuolochda prouincia, ciuitas & caſtrum, in qua Epiſcopi Permiæ ſedem quidem ſuam, ſed ſine imperio habent, ab eiuſdem nominis fluuio nomen accepere. ſita eſt inter Orientem & Septentrionem, ad quam ex Moſcouia per Iaroslavu itur. Abeſt aūt à Iaroslavu quinquaginta miliaribus Ger. à Bieloieſero ferè quadraginta. Regio tota paluſtris & ſyluęſtris eſt. unde fit, ut exactam itineris rationē propter crebras paludes & fluuiorum anfractus, hoc quoq; in loco uiatores obſeruare non poſsint. Quo enim magis progrediare, hoc plures & inuiæ paludes, fluuij ac ſyluę occurrūt. Porrò Vuolochda fluuius in ſeptentrionem, ciuitatem prætерlabitur: cui Suchana fluuius ex lacu cui Koinzki nomen eſt, emergens, octo mil. infra ciuitatem iungitur, nomenq; Suchanæ retinet, atq; inter
C Septentrionem & Orientem labitur. Vuolochda prouincia olim ſub ditione Novuogardiæ magnæ erat, quæ cum caſtrum natura loci firmum habeat, aiunt Principem partē theſauri ſui illic reponere ſolere. Eo anno quo nos Moſcouiæ eramus, tanta illic erat annonæ caritas, ut unus quo ipſi utuntur frumenti modius, XIIII dengis uenderetur: qui alioqui in Moſcouia IIII, V, aut ſex dengis emi ſolet.

Vuaga fluuius piſcoſus, inter Bieloieſero & Vuolochdam, in paludibus denſiſsimisq; ſyluis oritur, ac Dvuinam fluuium influit. Fluuij accolæ, quòd panis uſu ferè careant, uenatione uiuunt. Capiuntur autem ibi uulpes nigræ, & coloris cinericei. Porrò compendiario itinere inde ad prouinciam & fluuium Dvuina peruenitur.

Vſtyug prouincia, à ciuitate & caſtro, quæ ad fluuium Suchana ſita ſunt, nomen accepit. à Vuolochda abeſt centum miliaribus, à Bieloieſero centum quadraginta. Hæc prius ad oſtia fluuij Iug, qui ex Meridie in Septentrionem fluit, ſita erat. Poſtea propter loci cōmoditatem, ad dimi-

dium ferè miliare ſupra oſtia poſita eſt, uetuſq; nomen adhuc retinet. A
Nam Ruthenis Vſteie oſtium eſt: unde Vſtyug, quaſi oſtium Iug dicitur.
Hæc prouincia olim ſubiecta erat Novuogardiæ magnæ, in qua rarus &
propemodum nullus panis uſus: piſcibus & feris pro cibo utuntur. Sal
ex Dvuina habent. Idioma quoque proprium, quamuis Ruthenico ma-
gis utuntur. Zabellinorum ibi pelles nec multæ, nec admodum excel-
lentes: aliarum tamen ferarum pellibus abundant, uulpinis præſer-
tim nigris.

Dvuina prouincia & fluuius ab Iug & Suchana fluuiorum confluxu
Dvuinæ nomen accepit. nam Dvuina Ruthenis duo, uel bini ſonat. Is flu-
uius emenſis centum miliaribus Oceanum Septentrionalem, quà Svue-
tiam & Nordvuegiam alluit, atque à terra incognita Engraneland diui-
dit, ingreditur. Hęc prouincia in ipſo Septentrione ſita, olim Novuogar-
denſium ditionis erat. Numerantur aũt à Moſcovuia ad Dvuinę oſtia tre
centa miliaria: quamuis ut antea dixi, in regionibus quæ trans Vuolgam
ſunt, propter crebras paludes, fluuios, ac uaſtas ſyluas, itineris ratio obſer B
uari non poteſt: coniectura tamen ducimur, ut uix ducenta miliaria eſſe
putemus. quãdoquidem ex Moſcovuia in Vuolochdam, ex Vuolochda
in Vſtyug, in Orientem aliquantulum: ex Vſtyug poſtremò per Dvui-
nam fluuium rectà in Septentrionem peruenitur. Hæc prouincia, præter
Colmogor caſtrum, & Dvuinam ciuitatem, quæ inter fontes & oſtia in
medio propemodum ſita eſt, caſtrumq; Pienega in ipſis Dvuinę oſtijs ſi-
tum, oppidis & caſtris caret. Pagos tamen complures habere dicitur, qui
propter terræ ſterilitatem longè lateq; diſtant. Victum hi ex piſcibus, fe-
ris, ferarumq; pellibus quærunt, quibus omnis generis abundant. In ma-
ritimis huius regionis locis, urſos albos, & eos pro maiori parte in mari
degentes reperiri aiunt: quorum pelles in Moſcovuiam ſæpius deferun-
tur. Ego binas mecum, prima mea in Moſcovuiam legatione, reportaui.
Regio hæc ſale abundat.

ITINERARIVM AD PETZORAM, C
Iugariam, & Obi uſq; fluuium.

PRincipis Moſcovuiæ ditio longè in Orientem, & aliquanto
in Septentrionem, ad loca quæ ſequuntur, protenditur: ſu-
per qua re ſcriptum quoddam, quo eius itineris ratio conti-
nebatur, lingua Ruthenica mihi oblatũ fuit, quod & tranſtu-
li, & hic certa ratione ſubiunxi. Quanquam qui ex Moſcovuia eò profici-
ſcuntur, ab Vſtyug & Dvuina, per Permiam, uſitato magis & cõpendia-
rio itinere utantur. A' Moſcovuia ad Vuolochdam quingenta vuerſt
numerantur, à Vuolochda ad Vſtyug dextrorſum ſecundo fluuio, &
Suchana, cui iungitur, deſcendendo, ſunt quingenta vuerſt, quibus ſub
Streltze oppido duobus vuerſt, ſub Vſtyug coniungitur fluuio Iug, qui
fluit ex Meridie: à cuius oſtijs uſque ad fontes, ultra quingenta vuerſt
computantur. Cæterùm Suchana & Iug poſtquam confluxerint, amiſsis
prioribus nominibus, Dvuinę nomen aſſumunt. Per Dvuinam deinceps

quingenta

A quingenta vuerſt,ad Colmogor peruenitur: à quo infrà itinere ſex dierum,Dvuina ſex oſtijs Oceanum ingreditur. Atq; huius itineris maxima pars nauigatione conſtat. nam itinere terreſtri à Vuolochda uſq; ad Colmogor,traiecto Vuaga,ſunt mille vuerſt.Haud procul à Colmogor,Pienega fluuius,qui ab Oriente à dextris fluit:emenſiſq; ſeptingētis vuerſt, Dvuinam illabitur. Ex Dvuina ad locum qui dicitur Nicolai,per Pienegam fluuium ducēta vuerſt, peruenitur,ubi itinere dimidij vuerſt naues in fluuiū Kuluio transferuntur. Kuluio uerò fluuius ex eiuſdem nominis lacu in Septentrione oritur,à cuius fontibus iter ſex dierū eſt,uſque ad oſtia, ubi Oceanum ingreditur. Nauigatione ſecundum dexterum littus maris, ſequentes poſſeſsiones præterleguntur: Stanuvuiſche, Calunczſcho, & Apnu. Circumnauigata'que Chorogoski Noſz promontorio, & Stanuvuiſche, Camenckh & Tolſtickh,tandem in fluuium Mezen,quò ſex dierum itinere ad eiuſdem nominis pagum in oſtijs fluuij Piesza ſitum peruenitur. per quem rurſus à ſiniſtra Orientem æſtiualem
B uerſus aſcendendo, trium hebdomadarum itinere Pieſcoya fluuius occurrit. Vnde translatis per quinque vuerſt, in duos lacus nauibus, geminæ patent uiæ: quarum altera, parte ſiniſtra in fluuium Rubicho, per quem in fluuium Czircho peruenitur, ducit. Alij uia altera, & breuiore, ex lacu naues rectà in Czircho deferunt: à quo niſi tempeſtate detineantur, trium hebdomadarum ſpacio in fluuium oſtia'que Czilme, magnum Petzora fluuium, qui eò loci duarum vuerſt latitudine extenditur, influentem deueniunt: quò delapſi, ſex dierum itinere ad oppidum & caſtrum Puſtooſero, circa quod Petzora ſex oſtijs Oceanum ingreditur, peruenitur. Huius loci accolæ, ſimplici ingenio homines, anno Domini M.D.XVIII. primùm baptiſmum ſuſceperunt. A' Czilmæ oſtijs,uſque ad oſtia fluuij Vſſa,per Petzoram eundo,eſt iter unius menſis. Vſſa autem fontes ſuos habet in monte Poyas Semnoi,qui ab ortu æſtiuali ad læuam eſt, fluit'que exingenti eiuſdem montis ſaxo, quod Camen Bolſchoi uocant. Ab Vſſæ fontibus, uſq; ad eius oſtia, ul-
C tra mille vuerſt numerantur. Porrò Petzora à Meridionali hac hyemali parte fluit,à quo ex Vſſæ oſtijs aſcendendo,uſque ad oſtia Stzuchogora fluuij, eſt iter trium hebdomadarum. Qui hoc itinerarium conſcripſerant, dicebant, inter Stzuchogore & Potzſcheriema fluuiorum oſtia ſe quieuiſſe: atq; ad uicinum caſtrum Strupili, quod ad littora Ruthenica in montibus ad dextram ſitum eſt, comeatum,quem ex Ruſsia ſecum portauerant,depoſuiſſe. Vltra Petzora & Stzuchogora fluuios ad montem Camenipoias, item mare, inſulas uicinas, caſtrum'que Puſtooſero, uariæ & innumeræ gentes ſunt,quæ uno ac communi nomine Samoged (quaſi diceres ſeipſos comedentes) nuncupantur. Apud hos magnus prouentus auium, diuerſorum'q; animalium, ut ſunt zabellini, martes, caſtores, hermelli, aſpreoli, & in Oceano Mors animal, de quo ſuprà, præterea ueſs. Item albi urſi, lupi, lepores, equivuoduani, cete, piſcis'que nomine Semſi, alij'que quàmplurimi. Hæ uerò gentes in Moſcovuiam non ueniunt: ſunt enim feræ,quæ aliorum hominum cœtum,

uitæq;

uitæq́ ſocietatem refugiunt. Ab Stzuchogoræ oſtijs aduerſo flumine A
uſque ad Poiaſſa, Artavuiſche, Cameni, maioremq́ Poiaſſa, iter trium hebdomadarum. Porrò ad montem Camen trium dierum aſcenſus eſt, à quo deſcendendo ad fluuium Artavuiſcha, inde ad Sibut fluuium, à quo caſtrum Lepin, à Lepin ad Soſſam fluuium peruenitur. Huius fluuij accolæ Vuogolici nuncupantur. Soſſa autem à dexteris relicto ad fluuium Oby, qui oritur ex Kitaisko lacu, peruenitur: quem uix uno die & celeri curſu traiecerunt, adeò uaſta huius fluuij latitudo eſt, ut ad octoginta ferè vuerſt extendatur. Hunc quoque Vuogulici & Vgritzſchi gẽtes accolunt. Ab Obea caſtello ſecundum Oby fluuium aſcendendo, uſq́ ad Irtiſche fluuium, in quem Soſſa ingreditur, oſtia, eſt trium menſium iter. In his locis duo caſtra ſunt, Ierom & Tumen, quibus præſunt domini Kneſi Iuhorski, magno Duci Moſco (ut aiunt) uectigales. Multa ibi animalia, pelleſq́ quamplurimæ.

Ab Irtiſche fluuij oſtijs ad caſtrum Gruſtina, duorum menſium iter: à
quo ad lacum Kitai, per Obi fluuium, quem fontes ſuos in hoc lacu habe- B
re dixi, eſt plus quàm trium menſium iter. Ab hoc lacu plurimi homines nigri, communis ſermonis expertes, ueniunt: merces uarias, in primis autem uniones, lapides precioſos, ſecum adferẽtes, quas populi Gruſtintzi & Serponovutzi mercantur. hi à caſtro Serponovu Lucomoryæ ultra Obi fluuium in montibus ſitę nomen habent. Lucomoryę autem hominibus mirabile quiddam ac incredibile, & fabulæ perſimile aiunt accidere, quos in ſingulos annos, nempe XXVII die Nouembris, quæ apud Ruthenos S. Georgio ſacra eſt, mori aiunt: ac uere inſequenti, maximè ad XXIIII Aprilis, ranarum inſtar, denuò reuiuiſcere. Cum his quoq́ Gruſtintzi & Serponovutzi populi noua, & aliàs inconſueta habent cõmercia. Cum enim ſtatum tempus moriendi, ſeu dormiendi ipſis imminet, merces certo loco deponunt, quas Gruſtintzi & Serponovutzi, relictis ſuis interim æqua commutatione mercibus, auferunt: eas illi rediuiui, ſi iniquiore æſtimatione abductas eſſe uiderint, rurſus repetunt: unde lites plurimæ ac bella inter eos oriuntur. Ab Obi fluuio, parte ſiniſtra C
deſcendendo, ſunt Calami populi, qui ab Obiovua & Pogoſa eò commigrarunt. Infra Obi ad Auream anum, ubi Obi Oceanum ingreditur, fluuij ſunt, Soſſa, Berezvua, & Danadim, qui omnes ex monte Camen, Bolſchega, Poiaſſa, ſcopuliſq́ coniunctis oriuntur. Ab his fluminibus quæcunque ad Auream anum uſq́ gentes habitant, uectigales dicuntur Principi Moſcovuiæ.

Slata baba, id eſt Aurea anus, idolum eſt, ad Obi oſtia, in prouincia Obdora, in ulteriori ripa ſitum. Secundũ Obi littora, uicinisq́ circum fluminib. multa paſsim caſtra ſita ſunt, quorũ domini omnes Principi Moſcovuiæ (ut ferunt) ſubijciuntur. Narrant, ſeu, ut uerius dicam, fabulantur, hoc idolum Auream anum ſtatuam eſſe, in formam cuiuſdam anus, quæ filium in gremio teneat: atq́ ibi iam denuò alterum cerni infantem, quem eius nepotẽ eſſe aiunt. Præterea inſtrumenta quędam ibi poſuiſſe, quæ perpetuũ ſonum in modum tubarũ edant. Quod ſi ita eſt, equidem

uentorum

A uentorum uehementi & perpetuo in ea inſtrumenta flatu fieri puto.

Coſsin fluuius ex montibus Lucomoryæ delabitur. in huius oſtijs Coſsin caſtrum eſt, quod olim Knes vuentza, nunc uerò illius filij poſsident. Eò à Coſsin magni fluuij fontibus, eſt iter duorũ menſium. Porrò ex eiuſdem fluuij fontibus alter fluuius Caſsima oritur, emenſáque Lucomorya in magnum fluuium Tachnin influit: ultra quem prodigioſæ formę homines habitare dicuntur, quorum alij ferarum more, toto corpore pilis horrẽt: alij caninis capitibus, alij prorſus ſine collo pectus pro capite habent, longasq; ſine pedibus manus. Eſt & in Tachnin fluuio piſcis quidam, capite, oculis, naſo, ore, manibus, pedibus, alijsq; humana prorſus forma, nulla tamen uoce: qui, ut alij piſces, ſuaue ex ſe præbet obſonium.

Hactenus, quæcunque retuli, ex oblato Itinerario Ruthenico, à me ad uerbum traducta ſunt: in quibus etſi fabuloſa quædam, uixq; credibilia eſſe uideantur, ueluti de hominibus mutis, morientibus & reuiuiſcentibus, Aurea anu, monſtroſis hominum formis, piſcéque humana effi-
B gie: de quibus etſi ipſe quoque diligenter inueſtigauerim, nihil tamen certi à quopiam, qui ea oculis ſuis uidiſſet (quamuis omnium fama rem ita ſe habere prædicarent) cognoſcere potui: tamen ut alijs ampliorem harum rerum præberem inueſtigandi occaſionem, nolui quicquam obmittere. unde & locorum uocabulis ijſdem, quibus à Ruthenis nuncupantur, uſus ſum.

Noſs, Ruthenis naſus dicitur: quo nomine promontoria ad naſi ſimilitudinem in mare prominentia, uulgò appellant.

Montes circa Petzoram fluuium Semnoi poyas, id eſt Cingulus mundi uel terræ uocantur. Poyas enim Ruthenis cingulum ſignificat. Lacus Kithai: à quo magnus Chan de Chathaia, quem Moſci Czar Kythaiski appellant, nomen habet. Chan autem Tartaris regem ſonat.

Lucomoryę loca maritima ſylueſtria ſunt, quę ab accolis ſine ullis ædibus habitantur. Quamuis autem Itinerarij author plurimas Lucomoryę gentes principi Moſcovuiæ ſubiectas eſſe referebat: tamen cum in pro-
C pinquo Regnum Tumen ſit, cuius princeps Tartarus eſt, & uernacula eorum lingua Tumẽski Czar, id eſt Rex in Tumen appellatur, magnáq; damna haud ita pridem principi Moſcovuiæ intulit: ueriſimile eſt, propter uiciniam has gentes ipſi potius ſubiectas eſſe.

Ad Petzoram fluuium, cuius in Itinerario mentio fit, ciuitas & caſtrũ Papin, ſeu Papinovugorod ſitum eſt: huius accolæ Papini, qui diuerſum à Ruthenico idioma habent, nuncupantur. Vltra hunc fluuium altiſsimi montes ad ripas uſq; protenduntur, quorum uertices ob continuos uentorum flatus omni prorſus materia gramineq; ferè carent. hi etſi uarijs in locis uaria habeant nomina, communiter tamen Cingulum mundi uocantur. In his montibus nidificant Gerofalcones, de quibus infrà, cum de Principis uenatione uerba facturus ſum. Creſcunt etiam illic arbores cedri: circa quas nigerrimi Zebelli reperiuntur. Atque in Principis Moſcovuiæ ditione hi montes ſoli uiſuntur, qui ueteribus Rhiphæi forte, uel Hyperborei montes uiſi ſunt: & quòd perpetuis niuibus

ac glacie

ac glacie rigeant, tranſiríq; facile non poſsint, Engroneland prouinciam A
incognitam faciunt. Baſilius Ioãnis filius Moſcouiæ dux, aliquando ad
exploranda ultra hos montes loca, gentesq; debellandas, duos Præfe-
ctos ex ſuis per Permiam & Petzoram miſerat, Simeonem Pheodoro-
uuitz Kurbski à patrimonio ſuo ita nuncupatum, ex Iaroslavuski genere
oriundũ: & Knes Petrum Vſchatoi. quorum Kurbski me in Moſcouia
exiſtente, adhuc in uiuis erat: mihiq; de hac re percontanti, decẽ & ſeptẽ
in aſcendẽdo monte dies ſe conſumpſiſſe dicebat: neq; tamen montis uer-
ticẽ, qui patrio nomine Stolp, hoc eſt columna nuncupatur, ſuperare po
tuiſſe. Extenditur mons ille in Oceanũ, uſq; ad oſtia Dvuinę & Petzora
fluuiorum. Et hæc de Itinerario ſatis.

AD PRINCIPATVS MOSCO-uiæ redeo.

VSdali principatus, cum eiuſdem nominis caſtro & ciuitate, B
in qua ſedes Epiſcopalis eſt, inter Roſtovu & Vuolodimeriã
ſita eſt. Quo tẽpore Moſci imperij ſedes Vuolodimeria erat,
inter præcipuos hic principatus numerabatur, ac reliquarũ
adiacentium urbium metropolis erat. Creſcente pòſt imperio eius, ſede
Moſcouiam translata, Principũ ſecundogenitis eſt attributus: quorum
tandem poſteri, ex quibus Baſilius Schuiski cum nepote ex fratre (qui
dum nos Moſcouiæ eſſemus, adhuc uiuebant) per Ioannem Baſilij eo
ſunt exuti. Inſigne in ea urbe Veſtalium monaſteriũ eſt, in quo Solomea
à Baſilio repudiata, erat incluſa. Inter omnes Principis Moſcouiæ prin-
cipatus ac prouincias, ubertate ſoli, rerũq; omnium copia, Reſan primas
ſibi uindicat: ſecundum hanc ſunt, Iaroslavu, Roſtovu, Pereaslavu, Suſ-
dali, Vuolodimeria: quæ fertilitate terræ, proximè accedunt.

Caſtromovugorod ciuitas cum caſtro, in Vuolgę littore ad orientem
æſtiualem uiginti ferè miliaribus abeſt ab Ioroslavu, Novuogardia infe-
riori circiter quadraginta. Fluuius, à quo ciuitas nomen habet, ibi Vuol
gam influit. C

Galitz alius principatus cum ciuitate & caſtro, ex Moſcouia in Orien
tem per Caſtromovugorod euntibus occurrit.

Vuiathka prouincia ultra Kamam fluuium, in Orientẽ æſtiualem cen
tum quinquaginta ferè miliaribus abeſt à Moſcouia: ad quam itinere
breuiore quidem, ſed difficiliore, per Caſtromovugorod & Galitz per-
uenitur. nam præter paludes ac nemora, quę inter Galitz & Vuiathkam
ſunt, iterq; impediunt, Czeremiſſę populi paſsim ibi uagantes latrocinan
tur. Quare fit, ut itinere per Vuolochdam & Vſtyug longiore, ſed faci
liore tutioreq; eò proficiſcantur. Diſtat aũt Vuiathka ab Vſtyug centũ
uiginti miliaribus, à Cazan ſexaginta. Regioni eiuſdem nominis fluuius
nomen dedit, in cuius littore ſunt Chlinovua, Orlo, & Slovuoda. Et Or-
lo quidẽ quatuor miliaribus eſt infra Chlinovuam. Dein ſex miliaribus
Occidentem uerſus deſcendendo, Slovuoda. Cotelnitz autẽ octo à Chli
novua miliaribus, ad Rhecitzan fluuiũ, qui ex Oriente fluens inter Chli-

novua

A novua & Orlo, in Vuiathkã exoneratur. Regio paluſtris & ſterilis eſt, ſeruorum fugitiuorum uelut aſylum quoddã: melle, feris, piſcibus, aſpre oliſq; abũdans. Hæc olim Tartaricæ ditionis erat, adeò ut adhuc hodie ultra citraq; Vuiathkam, maximè in oſtijs quibus Kamam fluuiũ ingreditur, Tartari imperent. Itinera illic cõputãtur per Czunckhas. Czunckhas autem continet quinq; vuerſt. Kama fluuius exoneratur in Vuolgã duodecim miliarib. infra Cazan. huic fluuio adiacet Sibier prouincia.

Permia magna & ampla prouincia, à Moſcovuia ducẽtis quinquaginta (ſeu, ut quidam uolunt, trecentis) miliaribus rectà inter Orientem & Septẽtrionem diſtat. Ciuitatem eiuſdem nominis ad Viſchora fluuium habet, qui decem miliaribus infra Kamam influit. Eò propter crebras paludes & fluuios, terreſtri itinere uix, niſi hyeme, peruenitur: æſtate uerò per Vuolochdam, Vſtyug, Vitzechdaq; fluuium, qui duodecim ab Vſtyug miliaribus Dvuinam influit, nauigijs iter hoc facilius cõficitur. Cęterùm qui ex Permia in Vſtyug proficiſcuntur, ijs aduerſo Viſchora na-

B uigandum eſt: emenſisq; aliquot fluuijs, nauibusq; terra quandoq; in alios fluuios translatis, ad Vſtyug tandem trecẽtis ab Permia miliaribus deueniunt. Rariſsimus in ea prouincia panis uſus: loco tributi equos & pelles quotannis Principi pendunt. Idioma proprium habent: characteres item proprios, quos Stephanus epiſcopus, qui eos in fide Chriſti uacillantes cõfirmarat (nam antea in fide adhuc infantes, epiſcopum quendam idẽ attentantem excoriauerant) primus adinuenit. Hic Stephanus poſtea Demetrio Ioannis filio imperante, apud Ruthenos in numerum deorum relatus eſt. Superſunt adhuc ex ijs in ſyluis paſsim plures idololatræ, quos monachi & heremitæ eò proficiſcẽtes, non ceſſant ab errore uanoq; cultu reuocare. Hyeme in Artach ferè, quemadmodum in plurimis Ruſsiæ locis, iter faciunt. ſunt autem Artach, ligneæ quædam & oblongæ ſoleæ, ſex fermè palmarum longitudine, quibus in pedes inductis feruntur, magnaq; celeritate itinera conficiunt. Canibus, quos in hũc uſum magnos habẽt, pro iumentis utũtur, quibus ſarcinas, quẽadmodum

C infrà de ceruis dicetur, uehiculis circũuehunt. Aiũt eam prouinciã Orientẽ uerſus, Tartarorũ prouincię quæ Tumẽ dicitur, eſſe conterminam.

Iugariæ prouinciæ ſitus ex ſupradictis patet. Rutheni per aſpirationem Iuhra proferunt, & populos Iuhrici uocãt. Hæc eſt Iuharia, ex qua olim Hungari progreſsi, Pannoniam occuparunt, Attilaq; duce multas Europæ prouincias debellarũt. Quo nomine Moſcovuitę multum gloriantur, quòd eorum ſubditi magnã Europæ partem olim ſint depopulati. Referebat Georgius Paruus dictus, natione Græcus, in priori mea legatione inter tractatus uolẽs ius Principis ſui deducere ad magnũ Ducatũ Lithvuaniæ, regnum Poloniæ, &c. Iuharos ſubditos magni Ducis Moſcovuiæ extitiſſe, & ad paludes Mæotidis cõſediſſe: deinde Pannoniam ad Danubium, & inde nomen Hũgariæ accepiſſe: demum Moravuiã, ex fluuio ſic nominatam: & Poloniam à Polle, quod eſt planicies, occupaſſe: de fratris Attilæ nomine Budam nominaſſe. Relata ſaltem uolui referre. Aiunt Iuharos in hunc diem eodem cum Hungaris idiomate

uti quod an uerum sit, nescio. Nam etsi diligenter inquisierim, neminem A
tamen eius regionis hominem habere potui, quo cum famulus meus lin
guæ Hungaricæ peritus colloqui potuisset. Hi quoq; pelles pro tributo
Principi pendunt. Quamuis uniones gemmæq; illinc in Moscovuiam
afferantur, non tamen in eorum Oceano colliguntur, sed aliunde, præci-
puè uerò à littoribus Oceani, ostijs Dvuinæ uicinis afferuntur.

Sibier prouincia Permiam & Vuiathkam contingit, quæ an castra &
ciuitates aliquas habeat, compertum non habeo. In hac oritur laick flu-
uius, qui in mare Caspium exoneratur. Regionem propter uiciniã Tar-
tarorum desertam, aut si qua parte colitur, à Tartaro Schichmamai occu
patam esse aiunt. Huius indigenæ proprio idiomate utuntur. quæstum
faciunt maximè ex aspreolorum pellibus, quæ aliarum prouinciarum a-
spreolos magnitudine & pulchritudine excellunt: quarũ tamen copiam
in Moscovuia tum nullam habere potuimus.

Czeremissæ populi sub Novuogardia inferiore in syluis habitãt. pro-
priam hi linguam habent, Machumeticq; dogma sequuntur. Regi Caza- B
nensi nunc parent, quamuis maxima eorum pars duci Moscovuiæ olim
tributaria esset: unde subditis Moscovuiæ adhuc annumerantur. Addu
xerat inde Moscovuiam Princeps illorũ multos, defectionis crimine su-
spectos: quos ibi uidimus. Hi autem cum ad fines Lithvuaniã uersus mis-
si fuissent, tandem in uarias partes dilapsi sunt. Hæc gens à Vuiathka &
Vuolochda, ad fluuiũ Kamã usq;, lõgè lateq; sine ullis ædibus habitant.
Omnes tã uiri quàm fœminæ cursu sunt uelocissimi, sagittarij; porrò pe-
ritissimi omnes, arcu nunquã è manibus depositò: quo adeò oblectãtur,
ut etiam filijs cibum non præbeãt, nisi præfixum scopum sagitta feriant.

Duobus miliaribus à Novuogardia inferiore plurimæ erant domus
ad ciuitatis oppidiq; similitudinem, ubi sal decoquebatur. Hæ paucos
ante annos à Tartaris exustæ, Principis iussu restitutæ sunt.

Mordvua populi ad Vuolgam sunt, infra Novuogardiam inferio-
rem in littore Meridionali, Czeremissis, nisi quòd frequentiores domos
habent, per omnia similes. Atq; hic nostrę digressionis, Mosciciq; impe- C
rij terminus esto.

Nunc de uicinis ac conterminis populis certa quædã subiungam, eo-
dem quo ex Moscovuia egressus sum ordine in Orientem seruato. Hac
autem parte Tartari Cazanenses primi occurrunt: de quibus, antequam
ad peculiaria ipsorum perueniam, in genere quædam referenda sunt.

DE TARTARIS.

De Tartaris, eorumq; origine, præter ea quæ in Annalibus Polono-
rum, & duobus de Sarmatijs libellis cõtinentur, multi passim multa scri
psere: quæ hoc loco repetere, magis tędiosum quàm utile esset. Quæ au-
tem ipse in Ruthenorum annalibus, multorumq; hominũ relatione cõ-
gnoui, paucis adscribenda censui. Aiunt Moabitenos populos, qui po-
stea Tartari dicti sunt, homines lingua, moribus, habituq; à reliquorum
hominum ritu cõsuetudineq; dissidentes, ad fluuium Calka peruenisse:
qui unde uenissent, quo religionis dogmate uterẽtur, omnibus ignotum
fuisse.

A fuisse. Quanquam à quibusdam Taurimeni, ab alijs Pitzenigi, alijs alio nomine appellarentur. Methodius Patanczki episcopus, ex leutriskie desertis inter Septentrionem & Orietem eos processisse dicit, causam'q; migrationis talem refert. Gedeonem quendam, primi nominis uirum, terrorem ipsis de fine mundi, quē imminere dicebat, quandoq; iniecisse: cuius oratione inducti, ne amplissimę orbis opes cū mundo simul interirent, innumera cū multitudine ad spoliandas prouincias exiuisse: & quic quid ab Oriente ad Euphratem, sinum'q; Persicum cōtinetur, crudeliter diripuisse. atq; ita prouincijs passim uastatis, Polovutzos gētes, quæ adiunctis sibi Ruthenorū auxiliaribus copijs, solæ occurrere ausæ erant, ad fluuium Calka profligasse: anno mundi 6533. Quo loco autorem libelli de duabus Sarmatijs, de Polovutzis populis, quas uenatores interpretatur, errasse clarum est. Polovutzi enim campestres dicuntur. nam Polle, campus est: Lovuatz, & Lovutzi, uenatores. adiuncta autē tzi, uel ksi syllaba, non mutat significationem: neq; enim ab ultimis, sed primis syllabis
B significatio deducenda est. Et quòd eiusmodi Ruthenorum dictionibus syllaba generalis ski adijci solet, ea res homini imposuit: atq; ita Polovutzi, campestres, & non uenatores interpretari oportet. Polovutzos Rutheni Gotthos fuisse perhibēt: quorum tamen sentētię non accedo. Qui Tartaros describere uelit, multas nationes describat necesse est. Nam ex sola secta hoc nomen habent: & diuersæ nationes sunt, longè ab inuicem distantes. Atqui ad institutum redeo. Bathi Tartarorum rex magna manu à meridie in Septentrionem egressus, Bulgariam, quæ ad Vuolgam infra Cazan est, occupauit. Anno dein sequenti, qui erat 6745, sequutus uictoriam, in Moscouiam usq; peruenit, urbem Regiā aliquandiu obsessam per deditionem tandem accepit: sed fide quam dederat, non seruata, omnibus cæsis, ultra progressus, uicinas prouincias, Vuolodimeriam, Pereaslavu, Rostovu, Susdali, complura'q; castra & oppida, cæsis, aut in seruitutem abductis inhabitatoribus, exusit: Georgiū magnum Ducem instructo exercitu sibi occurrentem profligauit, & occi-
C dit: Basilium item Constantini, captiuum secum abduxit, interemit'que. quæ omnia, ut suprà dictum est, anno mundi 6745. gesta sunt. Ab eo tempore omnes ferè Russiæ principes, à Tartaris inaugurabantur, illis'que parebant, usq; ad Vuitoldum magnum Lithvuanię Ducem, qui prouincias suas, & quæ in Russia occupauerat, à Tartarorum armis fortiter defendit, uicinis'q; omnibus terrori fuit. Magni autem duces Vuolodimeriæ & Moscouiæ, usq; ad modernum Basilium Ducem, semper in præstita semel Tartarorum Principū fide & obedientia permanserunt. Hūc Bathi, annales referunt, ab Vulaslavu Hungarorū rege, qui post baptismum Vuladislaus dictus, in'q; diuorū numerū relatus est, occisum fuisse in Hungaria. nam cum regis sororē, quam in regni depopulatione fortè nactus fuerat, secū abduxisset, rex'q; & sororis pietate, & indignitate rei commotus, hunc insecutus fuisset: impetu'q; in Bathi facto, cum soror arreptis armis, adultero cōtra fratrem auxilio esset: iratus rex, sororem unà cum Bathi adultero interfecit. Hæc gesta sunt anno mundi 6745.

Asbeck ipsi Bathi in imperio succesit, moriturq; anno mundi 6834. A cui filius Zanabeck suffectus est: qui fratribus suis, ut solus sine metu regnaret, occisis, moritur anno 6865. Huic Berdebeck sequutus, qui fratrib. duodecim pariter occisis, obijt 6867. Post quem Alculpa, à Narusis quodam regulo, cum liberis statim ab inito imperio occisus, non ultra mensem imperauit. Ad hunc regnum iam possidentẽ, omnes Principes Russiæ conuenerunt, imperandiq; in sua quisque prouincia potestate impetrata, abierunt. Occiditur anno 6868. Cui Chidir in regno succedens, à filio Themerhoscha occisus est: qui regno per scelus parto, uix septem diebus potitur. Etenim à Temnick Mamai eiectus, cum ultra Vuolgam fugisset, ab insequentibus militibus occisus est, anno 6869. Post hos Thachamisch imperium adeptus, anno mundi 6890, cum exercitu XXVI Augusti egressus, Moscouiam ferro igniq; uastauit. Is à Themirkutlu profligatus, ad Vuitoldum magnum Lithuaniæ ducem profugit. Themirkutlu porrò regno Sarai anno mundi 6906 præfuit, moritur 6909. Cui Schatibeck filius in imperio succesit. post quem Themiraslack, cum exercitum maximum in Retzan, ad depopulandam Moscouiam duxisset, tantum terrorem principibus Moscouiæ iniecit, ut desperata uictoria, abiectis armis, ad diuorũ tantum auxiliũ cõfugerent. In Vuolodimeriam statim pro imagine quadam diuæ Mariæ Virginis, quæ multis miraculis editis ibi celebris erat, mittunt: quę cum in Moscouiam duceretur, Princeps omni cum multitudine honorificè illi obuiam procedit, eaq; primùm ut hostem auerteret humilimè implorata, maxima ueneratione ac reuerentia in ciuitatem deducit. quo cultu se impetrasse dicunt, quòd Tartari ultra Retzan non fuerint progressi. In cuius rei perpetuam memoriam eò loci, ubi imago expectabatur, susceptaq; fuit, templum exædificatum est: diesq; is quem Rutheni Stretenne, id est obuiationis diem uocant, XXVI Augusti quotannis solenniter celebratur. Acta sunt hæc anno 9903. B

Narrant Rutheni, hunc Themiraslack obscuro genere natum, ex latrocinijs ad tantum dignitatis gradum peruenisse, furemq; in adolescentia egregium fuisse, indeq; nomen acquisiuisse. Et quòd aliquãdo ouem furatus, deprehensusq; à domino ouis, iactu lapidis uehementiore crus illi fractum fuisset: idq; cum ferro quodam colligasset, à ferro & claudicatione nomẽ sibi inditum fuisse. Themir enim ferrum, Aslack claudum significat. Is Constãtinopolitanis à Turcis grauiter obsessis, filium suum cum auxiliaribus copijs misit: qui profligatis Turcis, soluta obsidione, ad patrem uictor reuersus est, Anno 6909. C

Tartari in hordas diuiduntur, in quibus Savuolhensis horda & celebritate & multitudine primas tenuit: nam reliquę hordę omnes ex ea originem traxisse dicuntur. horda autem illis conuentum, seu multitudinem significat. Quamuis autem quælibet horda peculiare nomen habeat, scilicet Savuolhensium, Prȩcopensium, Nahaisensium, & aliæ multę, quæ omnes Mahometani sunt: Turcas tamen se uocari ægrè ferũt, probriq; loco ducunt. sed Besermani appellari gaudent, eoque nomine &

Turci

A Turci ſe appellari uolunt. Vt autem uarias longè lateq; prouincias Tartari incolunt, ita etiam moribus, ipſoq; uitæ genere non in omnibus conueniũt. homines ſtatura mediocri, lata facie, obeſa, oculis intortis & concauis, ſola barba horridi, cætera raſi. inſigniores tantum uiri crines cõtortos, eosq; nigerrimos ſecundum aures habẽt, corpore ualido, animo audaci: in Venerem, eamq; præpoſteram, putres: equis, aliſq; animalibus quoquo modo interemptis ſuauiter ueſcũtur: demptis porcis, à quibus lege abſtinent. inediæ ſomniq; adeò patientes, ut toto nonnunq; quatriduo ea perferant, laboribus neceſſariſq; nihilominus intenti. Rurſus aliquid fortè ad uorandum nacti, ſupra modum ſe ingurgitãt, eaq; crapula priorem inediam quodãmodo reſarciunt, nihil reliqui facientes: atq; ita cibo laboribusq; obruti triduo, quatriduo ue perpetuo dormiũt. quos ſic altùm dormientes, Lithvuani & Ruthẽi, in quorum regionem derepẽtè irruũt, prædasq; inde abigunt, inſequuti, omni amoto metu paſsim ſine excubiis, ordine, cibo, ſomnoq; ſepultos, opprimũt incautos. Equi-
B tantibus porrò ſi fames ſitisq; moleſta fuerit, quibus inſident equis, uenas ſolent incidere, hauſtoq; eorum ſanguine famem pellũt, atq; iumẽtis hoc prodeſſe putant. Et quoniam incertis omnes ferè uagantur ſedibus, ſtellarũ, in primis uerò poli arctici, quem ipſi ſua lingua Seleſnikoll, hoc eſt ferreum clauum uocãt, aſpectu curſum ſuum dirigere ſolent. Lacte equino in primis delectantur, quòd eo homines & fortes & pingues fieri credunt. Herbis quãplurimis, præſertim iis quæ circa Tanaim creſcunt, ueſcuntur. ſale pauciſsimi utuntur. Horum reges ſi quando ſuis commeatum diſtribuant, quadraginta hominibus uaccam unam aut equum dare ſolent: quibus mactatis, inteſtina præſtantiores tantum ſumunt, ac inter ſe diuidunt. quæ ad ignem eatenus calefacta, ut adhærentia ſtercora decuti poſsint, abſtergíque, uorant. Non ſolum autem digitos pinguedine unctos, ſed etiam cultrum lignum'ue, quo ſtercus deterſum fuerat, ſuauiter lingunt, ſugũtq;. Capita equorum, ut apud nos aprorum, in deliciis habentur, præſtantioribusq; tantum apponuntur. Equis ceruice
C depreſſa, puſillisq;, ſed fortibus abundant. qui æquè inediam laboremq; bene ferre poſſunt: ramisq; & corticibus arborũ, herbarumq; radicibus, ungulis è terra excuſsis, euulſisq; alũtur. His ita ad laborem aſſuefactis, Tartari commodiſsimè utuntur: aiũtq; Moſci, perniciores hos ſub Tartaris, quàm ſub aliis eſſe. Hoc genus equorum Pachmat uocãt. Sellas, ſtapedesq; ligneas habent, niſi ſi quas alias à uicinis Chriſtianis rapuerint, aut emerint. Et ne equorum dorſa atterantur, gramine, ſeu arborum foliis eas ſuffulciunt. Flumina tranſnatant: qui ſi fortè fugientes inſequentium hoſtium uim extimuerint, ſellis, ueſtibus, aliſq; impedimentis omnibus abiectis, armis tantum retentis, effuſiſsimè fugiunt. Porrò arma illorum ſunt, arcus & ſagitta: framea apud eos rara. Pugnam cum hoſtibus eminus audaciſsimè ineunt: in qua tamen non diu perſeuerant, ſed ſimulata fuga, hoſtibus inſequentibus, occaſione data primùm in eos à tergo tela torquent: dein conuerſis derepentè equis, in diſsipatos hoſtium ordines denuò impetum faciunt. Cum in patentibus campis pugnandum

est, hostemq; intra teli iactum habent, non structa acie prælium ineunt, A
sed sinuoso agmine in gyrum, quo certior & liberior hostem iaculandi
uia pateat, circumferuntur. Estq; euntium & redeũtium mirus quidam
ordo, in quam quidem rem ductores, quos sequuntur, harum rerum pe-
ritos habẽt: qui si uel hostium telis icti succubuerint, aut fortè metu per-
culsi, in ducẽdo ordine aberrauerint, tanta totius exercitus fit cõfusione,
ut nec amplius in ordinẽ reduci, nec tela in hostẽ torquere possint. Hoc
genus certaminis ipsi à rei similitudine choream appellant. In angustijs
autem si fortè decertandum est, nullus huius stratagematis est usus. atq;
ideo fugæ se mandant: quoniam nec clypeo, nec lancea, nec galea muniti
sunt, ut hostem in stataria pugna sustinere possint. In equitãdo hunc mo
rem seruant, ut contractis in sellam sedeant pedibus, quo facilius in u-
trumq; latus se possint conuertere: & si quid fortè delapsum, de terraq;
tollendum fuerit, stapedibus innixi, nullo negotio tollũt. in quo adeò e-
xercitati sunt, ut etiam currentibus celeriter equis id efficiant. Hastis im-
petiti, in alterum latus ad declinandum ictum aduersarij subitò se demit- B
tunt, altera duntaxat manu pedeq; equo adhærentes. Dum uicinorum
prouincias infestãt, quisq; duos aut tres, pro opibus, equos secum ducit,
ut uno scilicet defatigato, altero sterno'ue uti possit: lassos interim ma-
nu ducunt. Frena leuissima habent, flagellis pro calcaribus utuntur. Ca
stratos tantum equos habent, quòd tales arbitrantur plus laboris inedi-
æq; ferre posse. Vestimentis ijsdem tam uiri quàm fœminæ utũtur, nec
in cultu à uiris quicquam differunt, nisi quòd caput uelo lineo tegunt, ca
ligisq; itidem lineis nautarum maritimorum instar utũtur. Eorum regi-
næ dum procedunt in publicum, facies solent obtegere. Reliqua turba,
quæ in campis passim degit, uestes ex ouium pellibus confectas habent:
quas non mutãt, nisi longo usu prorsus attritæ, laceræq; fuerint. Vno in
loco non diu cõmorantur: rati grauem esse infœlicitatem, diu in eodẽ lo-
co hærere. Vnde irati quandoq; liberis, graue malum imprecãtes, solẽt
dicere: Vt eodem in loco perpetuò tanq; Christianus hæreas, propriũq; C
fœtorem haurias. quare depastis uno in loco pascuis, cum armentis, uxo
ribus & liberis, quos in plaustris secum circũferunt, aliò migrant. quam-
uis hi qui in oppidis & urbibus degunt, aliam uiuendi rationẽ sequãtur.
Si bello aliquo grauiore implicantur, uxores, liberos, senesq; in loca col-
locant tutiora. Iustitia apud illos nulla. nã ut quisq; re aliqua indiguerit,
eam ab altero impunè rapere potest. Si quis apud iudicem de ui, illataq;
iniuria conqueritur, reus non negat, sed ea re se carere non potuisse dicit.
tum iudex huiusmodi proferre solet sententiam: Si tu uicissim re aliqua
indigueris, rape ab alijs. Sũt qui dicũt, eos non furari. an uerò furẽtur, a-
liorum esto iudicium: certè homines rapacissimi sunt, nẽpe pauperrimi,
ut qui alienis semper inhiant, aliorum pecora abigũt, homines spoliant,
abducuntq;, quos Turcis alijsq; quibuscunq; aut uendunt, aut redimen
dos cõcedunt, puellis tantũ seruatis. Ciuitates & castra rarò oppugnãt:
uillas, pagosq; comburunt: adeoq; de illatis damnis sibi placent, ut quo
plures prouincias desolauerint, hoc se regna sua ampliora reddidisse pu-
tent. Et

A tent. Et cum quietis impatientiſsimi ſint, mutuò ſe tamẽ nõ interimunt, niſi reges inter ſe diſſideant. Si in diſſenſione aliqua quiſpiam occidatur, autoresq; ſceleris capti fuerint, equis, armis, ueſtibus tantũ ablatis, dimittuntur. Homicida porrò, accepto uili equo & arcu, his uerbis à iudice dimittitur: I, & rem tuam cura. Auri argentiq; apud illos uſus, extra mercatores, ferè nullus: rerum tantum permutatione utũtur. Quod ſi quid pecuniæ ex rebus uenditis uicini corraſerint, ea Moſcovuiæ ueſtes aliaq; uitæ neceſſaria emũt. Fines inter ſe (de campeſtribus Tartaris loquor) nullos habent. Erat aliquando à Moſcis pinguis Tartarus quidam captus, cui cum Moſcus dixiſſet, Vnde tibi, canis, tãta pinguedo, cum non habeas quod edas? Cur nõ habeã, inquit Tartarus, quod edã, cum tam uaſtam ab Ortu uſq; ad Occaſum terram poſſideam: ex qua non ne affatim nutriri poſſum? tibi potius, qui tam paruam orbis portionem tenes, & quotidie pro illa contendis, deeſſe puto quod edas.

Cazan regnum, ciuitas & caſtrũ eiuſdẽ nominis, ad Vuolgã, in ulteri-
B ore fluminis ripa, ſeptuaginta ferè miliarib. Ger. infra Novuogardiã inferiorem ſita ſunt: ſecundum Vuolgam, in Oriẽtem & Meridiẽ deſertis cãpis terminatur: ad Orientem autẽ æſtiualẽ Tartaros, quos Schibanski & Koſatzki uocant, cõterminos habent. Huius prouincię rex exercitum triginta miliũ habere poteſt, pedites præſertim, in quibus Czeremiſſę & Czubaſchi ſagittarij peritiſsimi ſunt. Czubaſchi aũt, nauigãdi arte excellunt. Cazan urbs à Vuiathka principali caſtro ſexaginta miliarib. Ger. abeſt. Porrò Cazan Tartaris ollã cupream bullientẽ ſonat. Cultiores hi Tartari reliquis ſunt, utpote qui & agros colãt, in domibus degãt, mercaturasq; uarias exerceãt: quos Baſilius Moſcovuiæ princeps eò adegit, ut ſe ſibi ſubijcerent, atq; eius arbitrio reges acciperẽt: quod illis partim ob opportunitatẽ fluuiorũ, qui ex Moſcovuia in Vuolgam influũt, partim ob mutua cõmercia, quib. illi carere non poterãt, factu haud difficile fuit. Cazanenſib. quondã rex erat Chelealeck: qui cũ relicta uxore Nurſultan ſine liberis deceſsiſſet, Abrahemin quidã ducta uidua regno potitur. Ex
C hac Abrahemin duos ſuſcepit filios, Machmedemin & Abdelativu. Ex priore aũt uxore, quæ Batmaſſa ſoltan uocabatur, Alegã filiũ habuit. Is patre defuncto, ut primogenitus in regnum ſucceſsit: cumq; mandatis Moſci nõ ubiq; obtemperaret, à Moſci conſiliarijs, quos ibi ut regis animũ obſeruarent, habebat, aliquando in conuiuio inebriatus, atq; in uehiculum, ac ſi domũ ueheretur, poſitus, ea nocte ductus eſt Moſcovuiam uerſus. quem aliquandiu detentum, Princeps tandem in Vuolochdam miſit, ubi reliquum ætatis peregit. Eius autẽ matrem cum Abdelativu & Machmedemin fratribus, Bieloieſero relegauit. Codaiculu unus ex Alegæ fratribus baptiſatus, nomen Petri accepit: cui poſt Baſilius, modernus princeps, ſororem ſuam matrimonio iunxit. Meniktair autem alter ex Alegæ fratribus, in ſua, quoad uixit, ſecta permanſit: pluresq; genuit liberos, qui poſt deceſſum patris cum matre omnes baptiſati & mortui ſunt: uno Theodoro, qui nobis in Moſcovuia exiſtentibus adhuc ſupererat, excepto. Alega porrò ita in Moſcovuiam abducto, Abdelativu

ſufficitur: qui cum pari ratione, ut Alega, regno amotus fuiſſet, Machme A
demin ex Bieloieſero emiſſum, Princeps in eius locum ſubſtituit. Is regno uſq; ad annum Domini 1518 præfuit. Nurſultan, quam Chelealeck & Abrahemin regum uxorem eſſe dixi, poſt Alegæ mortẽ Mendligero regi Præcopienſi nupſit. Hæc deinde cum ex Mẽdligero prolem non haberet, priorumq; filiorũ deſiderio teneretur, ad Abdelativu uenit in Moſcoviam. Inde progreſſa, ad Machmedemin alterũ filium in Gazan regnantem profecta eſt, anno Domini 1504. Cazanẽſes à Principe Moſcouiæ defecerunt. Eam defectionem cum multa bella ſecuta ſint, uarieq; à Principibus, qui ſe in ſocietatem huius belli iunxerant, diu utrinq; pugnatum, neq; in hunc uſq; diem finis bello impoſitus ſit, altius huius belli rationem repetere uiſum eſt. Cum Cazanenſium defectio Baſilio Moſcouiæ Principi innotuiſſet, rei indignitate & ulciſcẽdi libidine motus, ingentem exercitum adiunctis tormentis bellicis in eos miſit. Cazanenſes, quibus pro uita & libertate cum Moſcis pugnãdum erat, audito terribili Principis in ſe apparatu, cum hoſtibus in pugna ſtataria ſe haud pa B
res fore uiderent, aſtu eos circumueniendos cenſuere. Quare collocatis palàm contra hoſtem caſtris, optima copiarum ſuarũ parte locis opportunis in inſidias abdita, ipſi ueluti terrore perculſi, relictis derepentè caſtris, fugæ ſe mandarunt. Moſci, qui non ita procul aberãt, cognita Tartarorum fuga, ſolutis ordinibus, citato curſu in hoſtium caſtra irruunt. in quibus diripiendis dum occupati, rerumq; ſuarum ſecuri eſſent, Tartari cum Czeremiſsis ſagittarijs, ex inſidijs progreſsi, tantam in eos ſtragem ediderũt, ut Moſci relictis tormentis, machinisq; bellicis, aufugere cogerentur. In ea fuga machinarum magiſtri duo relictis tormẽtis, cum alijs euaſere. quos Princeps in Moſcouiam reuerſos beneuolè accepit. Horum alterum Bartholomæum, natione Italum, qui aſſumpta poſt Ruthenorum fide, magna etiam tunc apud Principem erat autoritate & gratia, liberaliter donauit. Rẹdierat ex ea clade tertius bombardarius, cum tormento ſibi commiſſo: ſeque magnam & ſolidam apud Principem gratiam initurum, ſeruato diligenter & reducto tormento, ſperabat. C
quem Princeps iurgijs adortus: Tu, inquit, cum me & te tanto expoſueris periculo, aut fugere uolebas, aut te cum tormento hoſtibus dedere, quorſum iſta præpoſtera in ſeruando tormento diligentia? cuius ego iacturam nihili facio, dummodo homines mihi ſuperſint, qui ea fundere, ijſque uti ſciant. Cæterùm Machmedemin rege, ſub quo Cazanenſes defecerãt, mortuo, Scheale ducta eius uxore uidua, Principis Moſcouiæ & fratris uxoris auxilio, Cazan regnum obtinuit: cui quatuor tantũ annis, magno ſubditorũ & odio & inuidia præfuit. Augebant hęc turpis & mollis corporis cõſtitutio. erat enim homo uẽtre prominenti, rara barba, facie penè muliebri: quæ eum bello haud quaquam idoneum eſſe oſtenderent. Accedebat ad hæc, quòd contempta ac neglecta ſubditorum ſuorum beneuolentia, Principi Moſcouię plus æquo faueret, ac externis plus quàm ſuis fideret. Quibus reb. Cazanẽſes ducti, Sapgirei, Mendligeri filio, uni ex Tauricæ regibus, regnũ deferũt, quo aduenien-
te, Scheale

A te, Scheale regno cedere iussus, cũ se uiribus inferiorem, infestos q; suorum in se animos cerneret, fortunæ cedere optimum ratus, cũ uxoribus, cõcubinis, omni q; supellectili in Moscouiã, unde uenerat, rediit. hęc acta sunt anno Domini 1521. Scheale ita è regno profugiẽte, Machmetgirei rex Tauricæ, Sapgirei fratrẽ magno exercitu in Cazan introducit: firmatis q; Cazanensiũ erga fratrẽ animis, Taurică rediens, traiecto Tanai, Moscouiã uersus cõtendit. Eo tẽpore Basilius rerũ suarum securior, ni hil q; tale metuẽs, audito Tartarorum aduentu, coacto pro tẽpore exercitu, cui Demetriũ Bielski ducẽ præfecit, ad Occã fluuiũ, ut Tartarorum transitum impediret, præmittit. Machmetgirei uiribus superior, Occa celeriter traiecto, ad piscinas quasdam tredecim uerst ab ipsa Moscouia castrametatus est. Inde eruptione facta, omnia rapinis incendiis q; compleuit. Sub id temporis Sapgirei pariter cum exercitu ex Cazan profectus, Vuolodimeriam & Novuogardiam inferiorem depopulatus est. His peractis, fratres Reges ad Columnam ciuitatem conueni-

B unt, uires q; coniungunt. Basilius cum ad tantum hostem propulsandum imparem se esse uideret, Petro sororio suo, ex regibus Tartarorum oriundo, alijs q; nonnullis proceribus, in castro cum præsidio relicto, ex Moscouia fugit: adeò timore perculsus, ut rerum suarũ desperatione, aliquãdiu sub aceruo fœni, ut quidam referunt, latuerit. Vicesima nona Iulij, Tartari ultrà progressi, latè omnia incẽdijs cõpleuerãt: tãtũq; terrorẽ Moscis incusserãt, ut se in castro & in ciuitate parũ tutos putarent. In ea trepidatione à mulieribus, pueris, aliaq; imbelli ętate, qui curribus, uehiculis ac sarcinis in castrum confugiebant, tantus in portis tumultus oboritur, ut nimia festinatione se inuicem & impedirent, & conculcarent. Ea multitudo tãtum fœtorem in castro fecerat, ut si hostis triduò aut quatriduò sub urbe permansisset, etiam peste obsessis pereundum fuisset. nam in tanta hominum colluuie, ut quisque locum occuparat, ita naturæ satisfacere cogebatur. Erant tum temporis Moscouiæ Orato-

C res Livuonienses: qui cum conscensis equis fugæ se mandassent, & circumquaq; nihil præter ignes & fumum uiderent, se q; à Tartaris circundatos esse arbitrarentur, adeò properarunt, ut una die in Tvuer, quæ triginta sex miliaribus Ger. à Moscouia abest, peruenirẽt. Magnam tum laudem meruerunt bombardarij Alemanni, præsertim Nicolaus, prope Rhenũ, non longè à Spira, Imperiali Germaniæ ciuitate, natus: cui à præfecto, alijs q; consiliarijs, qui nimio timore iam ferè confecti erant, tuendæ urbis negotium blandissimis uerbis committitur: orantibus, ut tormentis maioribus, quibus mœnia deijci solent, sub portam castri deductis, Tartaros inde arceret. Horum autem tam uasta erat magnitudo, ut uix triduí spacio eò perduci potuissent. Sed neque pulueres bombardicos tam multos habebant paratos, quibus uel semel maius tormentum exonerari potuisset. Solent enim Mosci perpetuò hunc morem seruare, ut omnia in recõdito, nec quicquam tamen præparatum habeant: uerùm urgente necessitate, omnia tum demum celeriter conficere studeant. Visum est ergo Nicolao, ut tormenta minora, quæ procul à castro

erant

erant recondita, humeris hominum celeriter in medium adducerentur. A
Iis dum detinerentur, clamor derepentè exoritur, Tartaros adesse: quæ
res tantum timorem oppidanis incusserat, ut proiectis per uicos bõbar-
dis, etiam mœnium defendendorum curam omitterent. Quòd si tum
centum hostium equites impetum in ciuitatem fecissent, paruo negotio
eam funditùs igni consumpsissent. In ea trepidatione, præfectus, quí que
cum eo in præsidio erãt, optimum rati, ut Machmetgirei regis animum,
missis muneribus plurimis, in primis autem medone, placarent, & ab
obsidione auerterẽt: acceptis muneribus, Machmetgirei se obsidionem
soluere, & prouincia uelle decedere respondit, si datis literis Basilius sese
obstringat, perpetuum se tributarium regi fore, quemadmodum eius pa
ter & maiores sui fuissent. Quibus literis pro uoluntate scriptis, acce-
ptisq́, Machmetgirei exercitum ad Rezan reduxit. ubi data Moscis re-
dimendi & permutandi captiuos copia, reliquam prædam sub auctione
uendidit. Erat tum temporis in Tartarorum castris Eustachius, cogno-
mento Taskovuitz, qui regis Poloniæ subditus, cum auxiliaribus co- B
pijs ad Machmetgirei uenerat. Nam inter regem Poloniæ ac Mosco-
uiæ ducem nullæ tum inducíæ erãt. Is spolia quædam ad castrum sub-
inde deferebat uenalia, eo consilio, ut data occasione, unà cum ementi-
bus Ruthenis in castri portas irrueret, id́que depulsis inde custodibus
occuparet. Huius conatum rex simili astu adiuuare uoluit. Ad præfe-
ctum arcis, quendam ex suis, hominem sibi fidum, mittit, qui Præfecto
tributarij sui seruo mandet, ut ea quæ petebat, sibi administret, atque ad
se ueniat. Præfectus autem Ioannes Kovuar, rei bellicæ eiusmodí que
artium non ignarus, nulla conditione induci potuit, ut castro exiret: ue-
rùm simpliciter respondit, se nondum edoctum esse, Principem suum
Tartarorum tributarium & seruũ esse. quòd si edoceretur, scire se quid
facto opus foret. Quare illico Principis sui literæ, quibus se regi ob-
strinxerat, proferuntur, atque exhibentur. Interim dum ostensis lite-
ris præfecti animus ita sollicitatur, Eustachius suum agens negotium,
castro magis ac magis appropinquabat: quóue magis fucus latêret, C
Knes Theodorus Lopata, homo primarius, alíq́ complures Ruthe-
ni, qui in Moscovuiæ depopulatione in hostium manus deuenerãt, cer-
ta pecunia redempti restituebantur. Ad hæc, plerique ex captiuis negli-
gentius seruati, ac de industria quodammodo dimissi, in castrum eua-
serant: ad quos repetendos cum Tartari magna multitudine castro ap-
propinquassent, Rutheni metu perculsi, profugos denuò restituissent,
Tartarí que nihilominus à castro adeò non recederent, ut pluribus sub-
inde aduenientibus, eorum numerus adaugeretur: Rutheni propter
imminens periculum, in magno terrore, summá que rerum desperatio-
ne erant, neque quid facto opus esset satis uidebant. Tum Ioannes Ior-
dan, natione Alemanus, ex ualle Oeni oriundus, machinarum magi-
ster, periculi magnitudinem magis quàm Mosci perpendens, ex suo ar-
bitrio collocatas ordine machinas in Tartaros & Lithuuanos exone-
rauit: eosq́ ita terruit, ut relicto castro omnes diffugerẽt. Rex per Eusta-
chium,

A chium, huius technæ artificē, de illata iniuria cum præfecto expostulat: qui quū se inscio ac inconsulto bōbardariū machinas exoneraſſe dixiſſet, omnemq; huius facinoris culpam in illum trāſtuliſſet, mox bombardarium tradi ſibi rex poſtulat. atq;, ut plerunq; in rebus deploratis fit, maxima pars, quo hoſtili terrore liberarentur, hunc dedendum cenſuere: ſolo Ioanne Kovuar præfecto renuente. atque eius maximo beneficio tum Alemanus ille ſeruatus fuit. Nam rex ſiue moræ impatiens, ſiue quòd milites præda onuſtos haberet, re ſua id exigente, ſubitò (literis etiam Moſcovuiæ Principis, quibus ſe tributarium perpetuo ſibi fore obſtrinxerat, in arce relictis) ſolutis caſtris, in Tauricam diſceſſit. Porrò tantam captiuorum multitudinem ex Moſcovuia ſecum duxerat, ut ea uix credibilis eſſe uideatur. Aiunt enim numerum octingentorum millium exceſsiſſe, quam in Capha partim Turcis uendiderat, partim interfecerat. nam ſenes & infirmi, qui uendi magno non poſſunt, adeq; laborē perferendum inutiles ſunt, apud Tartaros iuuenibus, non ſecus ac catulis le
B pores, quo primæ militiæ tyrocinia inde addiſcant, aut lapidandi, aut in mare præcipitandi, aut alio quouis mortis genere interficiendi obijciuntur. qui autem uenduntur, perpetuo ſexennio ſeruitutem ſeruire coguntur: quo exacto, liberi quidem fiunt, prouincia tamen decedere non audēt. Sapgirei rex Cazan, quoſcunq; ex Moſcovuia captiuos abduxerat, in Aſtrachan emporio non longè ab oſtijs Vuolgæ ſito, Tartaris uendidit. Tartarorum regibus ita ex Moſcovuia profectis, Baſilius princeps rurſus Moſcovuiam redijt: atq; cum in ingreſſu Nicolaum Alemanum, cuius ſolertia & diligētia caſtrum ſeruatū fuiſſe dixi, in ipſa caſtri porta, quò ad excipiendum Principem ingens multitudo confluxerat, ſtantem uidiſſet, clara uoce: Tua, inquit, fides erga me & diligentia, quā in ſeruando caſtro præſtitiſti, nobis cognita ſunt, huiusq; officij gratiā cumulatè tibi reponemus. Alteri quoq; Alemano, Ioāni, qui ab caſtro Rezan Tartaros exoneratis repētè machinis depulerat, aduenienti: Saluus ne es? inquit. Deus nobis uitam dedit, hāc tu denuò nobis conſeruaſti: magna e-
C rit erga te gratia noſtra. Vterq; ſe liberaliter donatū iri à Principe ſperabat: nihil tamē illis datum eſt, quāuis Principē hac de re ſæpe fatigaſſent, promiſſorūq; admonuiſſent. Qua Principis ingratitudine offenſi, dimiſſionē, ut patriam, à qua diu abfuiſſent, cognatosq; ſuos poſſent inuiſere, efflagitant. ea re effectum eſt, ut decē priori ſtipendio cuiq; floreni, iuſſu Principis, adijcerētur. Interea cum in aula Principis de Ruthenorum fuga ad Occam, quis eius autor extitiſſet, cōtentio fuiſſet orta: Seniores in Knes Demetrium Bielski exercitus ducem, hominem iuuenē, à quo conſilia ſua ſpreta fuiſſent, omnē culpā transferebāt, eiusq; incuria Tartaros Occam tranſijſſe: cōtrà ille depulſa à ſe culpa, Andreā iuniorem fratrem Principis primum omnium fugam inijſſe, cæteroſq; hūc ſequutos fuiſſe dicebat. Baſilius, ne ſeuerior in fratrem, quem autorem fugæ fuiſſe conſtabat, eſſe uideretur, ex prefectis unū, qui unà cū fratre profugerat, inie ctis cathenis, dignitate & principatu priuauit. Ineunte deinde æſtate, ut acceptam à Tartaris cladē ulciſceretur Baſilius, ignominiamq; quā fugiens

& ſub

& ſub fœno latitans ſuſceperat, deleret, coacto ingẽti exercitu, adiuncto A
etiam magno tormentorum & machinarum apparatu, quibus antea in
bellis Ruthenĩ nũquam uſi fuerant, profectus ex Moſcovuia cum omni
exercitu, ad Occam fluuium, Columnamq; ciuitatem conſedit. inde miſ-
ſis ad Machmetgirei in Tauricam caduceatoribus, ad certamẽ eum pro-
uocat. ſuperiore enim anno, ſe, nõ indicto bello, ex inſidijs, furum latro-
numq; more oppreſſum fuiſſe. ad ea rex reſpondit: Sibi ad inuadendam
Moſcovuiam ſatis multas uias patêre: bella non magis armorum, quàm
temporum eſſe: proinde ea ſe ſuo magis quàm alieno arbitrio, gerere ſo-
lere. Quibus uerbis irritatus Baſilij animus, tum etiam quòd ulciſcendi
libidine arderet, motis caſtris, anno Domini 1523, in Novuogardiam, in-
feriorem ſcilicet, ut indè Cazan regnũ depopularetur, occupareq;, con
tendit. Inde profectus ad fluuium Sura, in finibus Cazanẽſium, caſtrum
quod à ſuo nomine appellauit, erexit: neq; tũ ultra progreſſus, exercitũ
reduxit. Sequenti uerò anno Michaelẽ Georgij, unũ ex præcipuis conſi-
liarijs ſuis, maioribus quàm prius copijs, ad ſubigendũ Cazan regnũ mi B
ſit. Eo apparatu adeò terribili, Sapgirei rex Cazani perculſus, accerſito
ad ſe ex fratre nepote, rege Tauricę, iuuenem tredecim annorum, qui in-
terim regno præeſſet, ad Turcarum Imperatorem, eius auxilium opemq;
imploraturus, confugit. Cum autem iuuenis auunculi monitis parens,
iter aggreſſus, ad Goſtinovuoſero, id eſt inſulam quæ mercatorum dici-
tur, intra Vuolgæ meatus, non longè à caſtro Cazan ſitam peruenĩſſet,
liberaliter honorificeq; à regni principibus ſuſceptus eſt. Nam Seyd, ſu-
premus Tartarorum ſacerdos (qui in tanta apud eos autoritate ac ue-
neratione eſt, ut etiã reges aduenienti occurrant, ſtantesq; huic equo in-
ſidẽti manũ porrigant: capiteq; inclinato, quod ſolis cõceſſum eſt regib.
tangãt: nam Duces non eius manum, ſed genua: nobiles uerò pedes, ple-
beij ueſtes tantum, aut equũ manu attingũt) in eo comitatu fuit. Is Seyd,
cum Baſilij partes clàm foueret, ſequereturq;, iuuenem capere, & Mo-
ſcovuiam uinctũ mittere ſatagebat: ſed deprehenſus, captusq;, cultro in
publico occiditur. Michael interea, dux exercitus, coactis in inferiore C
Novuogardia ad machinas commeatumq; deferendũ nauibus, quarum
tãta multitudo erat, ut fluuius alioqui amplus, nauigantium multitudi-
ne opertus undiq; eſſe uideretur: ad Cazanũ cum exercitu properabat.
cumq; ad mercatorum inſulam Goſtinovuoſero peruenĩſſet, locatis ſe-
ptima die Iulij caſtris, uiginti diebus, dum equitatũ expectat, ibi cõmo-
ratus eſt. Interea Cazan caſtrum, quod ex lignis exſtructũ erat, per quoſ-
dam à Moſcis ſubornatos incenditur, ac intuente Ruthenorum exercitu
funditùs exuritur. Tanta occupãdi caſtri occaſio, adeò formidine ac igna
uia Ducis neglecta fuit, ut nec militem ad expugnandum caſtri collem e-
duxerit, nec Tartaros id denuò ædificantes impediuerit: uerùm uigeſi-
ma octaua eiuſdem menſis die traiecto in eam partem qua caſtrum ſitum
eſt, Vuolga, ad Cazanca fluuium cum exercitu conſedit, uiginti diebus
bene gerendæ rei occaſionem captans. Ibi moratus, nec longè ab eo Ca-
zanenſis quoque Regulus ſua caſtra locat: emiſsisq; Czeremiſsis pediti-

bus, Ru-

A bus, Ruthenos sæpius, frustra tamẽ, infestat. quẽ Scheale rex, qui quoq; ad id bellum nauibus uenerat, scriptis literis admonet, ut regno suo hæreditario cedat. Ad quæ ille paucis: Si regnum hoc meum (respondit) habere cupis, age ferro decernamus utriq;. id cui fortuna dederit, habeat. Dum Ruteni ita frustra moras trahunt, absumpto quẽ abduxerant cõmeatu, fame laborare incipiũt. nam Czeremisis omnia circumquaq; uastantibus, hostiumq; itinera diligenter obseruãtibus, nihil adferri poterat: adeò ut nec Princeps de exercitus sui, qua premebatur, necessitate cognoscere, nec ipsi quicq; illi significare possent. Huic rei duos Basilius præfecerat: unum, Knes Ioannem Paliczki, qui ex Novuogardia instructis commeatu nauibus, secundo fluuio ad exercitum descenderet: relictoq; ibi commeatu, statu etiam rerum præsenti considerato, ocyus ad se reuerteretur. alter eandem ob rem cum quingentis equitibus terrestri itinere missus fuerat, qui à Czeremisis, in quos inciderat, cũ suis cæsus est, uix nouem per tumultum fuga elapsis. Præfectus grauiter saucius, tertio
B post die in manibus hostium obijt. Huius cladis fama cum ad exercitum peruenisset, tãta in castris consternatio, quam uanus de toto equitatu ad internecionem cæso subitò obortus rumor etiam adauxerat, coorta est, ut nihil nisi de fuga cogitarent. in quam cum omnes consensissent, hæsitabant adhuc, aduerso ne fluuio, quod difficillimum erat, redirent, an secundo tantisper descenderent, donec alios fluuios attingerẽt, ex quibus post terrestri itinere longo circuitu reuerterentur. In his dum fame, supra modum eos urgente, essent consultationibus, nouem, quos ex quingentorum cæde elapsos fuisse dixi, fortè superueniunt, Ioãnemq; Palitzki cum commeatu aduenturum nunciant: qui etsi cursum suum maturaret, sinistra tamen fortuna usus, maiore parte nauium amissa, cum paucis in castra peruenit. Etenim cum diutino labore fatigatus, una nocte quietis causa in Vuolgæ littus se recepisset, Czeremissæ continuò magno accurrentes clamore, quis nam præternauigaret, scisciantur: quos Palitzki seruitores, nautarum seruos esse rati, iurgijs increpantes, flagris se
C postero die cæsuros minantur, quòd domini sui somnum ac quietẽ importunis uociferationibus interturbarent. Ad quæ Czeremissæ: Cras, inquiunt, aliud nobis uobiscum negotium erit: nam uinctos uos omnes Cazan ducemus. Manè igitur sole nondum apparente, cum densissima nebula totum littus occupasset, Czeremissæ derepentè in naues impetu facto, tantum terrorem Ruthenis incusserant, ut Palitzki præfectus classis, relictis in manu hostium nonaginta maioribus nauibus, in quibus singulis triginta uiri erant, soluta à littore naui, medium Vuolgæ teneret, nebulaq; tectus ferè nudus ad exercitum perueniret. Atq; inde post, plurium nauium comitatu rediens, haud dispari fortuna usus, in Czeremissarum insidias iterum prolapsus est. Nauibus enim, quibus deducebatur, amissis, ipse uix cum paucis incolumis euasit. Dum Ruteni ita fame hostili que ui undequaq; urgentur, à Basilio missus equitatus Vuiega fluuio, qui à Meridie Vuolgam influit, octo que miliaribus à Cazan abest traiecto, ad exercitũ contenderet, à Tartaris & Czeremisis bis ex-

cipitur: cum quibus congressi, multis utrinq; desideratis, Tartaris dein- A
de cedentibus, se reliquo exercitui coniunxerunt. atq; ita exercitu equi-
tatu firmato, Cazan castrū quintadecima Augusti obsideri cœptum est.
Qua re cognita, regulus ad alterum oppidi latus in conspectu hostium,
sua quoq; castra locauit: emisso'q; subinde equitatu hostium, castra obe-
quitare, eos'q; lacessere iubet. atq; ita crebrę utrinq; uelitationes fiebant.
Narratum est nobis ab hominibus fide dignis, qui ei bello interfuerūt,
sex aliquādo Tartaros in planiciem ad Moschi exercitū processisse: quos
cum rex Scheale cētum quinquaginta equitibus Tartaricis aggredi uel-
let, à duce exercitus prohibitum fuisse: duobus'q; milibus equitum an-
te eum collocatis, occasionem rei bene gerendæ prę reptam sibi fuisse. Hi
cū Tartaros circūuenire, et quasi concludere, ne fuga elaberētur, uellent:
Tartari eorum conatū hoc astu eludere, insequētibus Moschis paulatim
cedere, parum'q; progressi subsistere. Idem Moschi cum facerent, eorum
Tartari timiditatem animaduertentes, mox arreptis arcubus tela in eos
torquebant: in'que fugam conuersos persequuti, complures sauciabant. B
Moschis denuò in se conuersis, paululum cedere, iterum'q; subsistere, atq;
ita hostem simulata fuga ludificare. Hæc dum fiunt, duo Tartarorum e-
qui, tormenti ictu prostrantur, illæsis tamen equitib., quos reliqui qua-
tuor saluos ac incolumes, duobus milibus Moscorum spectantibus, ad
suos reduxere. Dum equites se ita mutuò ludificāt, magna ui interea ad-
motis tormentis, castrum oppugnabatur: neq; obsessi segnius, exonera-
tis pariter in hostem tormentis, se defendebant. In eo certamine bombar
darius, quem unicum in castro habebant, ex Ruthenorum statione sphę
rula bombardica ictus, occubuit. Qua re comperta, mercenarij ex Ger-
manis & Lithvuanis milites, magnam spem ad occupādum castrum con
cipiunt: quibus si prę fecti animus respondisset, haud dubiè eo die castro
potiti fuissent. Verùm is cum suos inedia, quæ quotidie etiam magis ad-
augebatur, premi cerneret, priusquam per internuncios de ineundis in-
ducijs clām cum Tartaris egisset, adeò militum conatum non probauit,
ut eos etiam cum iracundia corriperet, uerberaq; minaretur, quòd se in- C
scio & inconsulto castrum oppugnare auderent. Bene enim in tanta re-
rum angustia Principis sui rebus consultum fore putabat, si initis cum
hoste quibuscunq; inducijs, tormenta & exercitum saluum reportaret.
Tartari quoq; cognita præfecti uoluntate, in spem bonam adducti, con-
ditiones quas præfectus offerebat, scilicet ut missis in Moscovuiam lega
tis, pacem cum Principe transigerent, libenter susceperūt. quibus ita con
stitutis, Palitzki prę fectus soluta obsidione, cum exercitu in Moscovui-
am reuersus est. Fama erat, præfectū à Tartaris muneribus corruptum,
obsidionem soluisse, quam quidam natione Sabaudiensis adauxerat: qui
cum tormento sibi commisso, ad hostes deficere uoluisset, deprehensus
in itinere, atq; seuerius examinatus, confessus est, se deficere uoluisse: atq;
ut plures ad hanc defectionem sollicitaret, argenteos se nummos & po-
cula Tartarica ab hostibus accepisse. in quem tamē in tam manifesto sce-
lere deprehensum, Præfectus nihil durius statuit. Reducto ita exercitu,

quem

A quem centum octoginta millium fuisse perhibẽt, Cazan regis Oratores ad pacem firmandam ad Basilium ueniunt. qui etiam tum, dum nos Moscouiæ essemus, aderant: neq; adhuc ulla tũc futuræ pacis spes inter eos erat. nam & nũdinas, quę circa Cazan in mercatorum insula fieri consue uerant, in Cazanensium iniuriam Basilius Novuogardiam trãstulit: graui indicta pœna, si qui in posterum ex suis ad mercatũ in insulã proficiscerẽtur. eamq; nundinarum translationẽ magno Cazanensibus incommodo futuram sperabat: atq; uel salis (cuius Tartari illis tantum nundinis copiam à Ruthenis habebant) emptione adempta, ad deditionem eos cogi posse. Verùm huiusmodi nundinarum translatione non minus incommodi sensit Moscouia, quàm ipsi Cazanẽses. Plurimarum enim rerum, quæ ex mari Caspio, Astrachan emporio, ad hæc Persia & Armenia per Vuolgam importabantur, cõsequuta est caritas ac penuria: maximè autem nobilissimorum piscium, ex quorũ numero Beluga est, qui citra & ultra Cazan in Vuolga capiuntur.

B Hactenus de bello Principis Moscouiæ cum Tartaris Cazanẽsibus gesto. Nunc ad intermissam de Tartaris narrationem denuò redeo.

Post Tartaros Cazanenses, primi Tartari cognomento Nagai occurrunt, qui ultra Vuolgam, circa mare Caspium, ad fluuium Iaick ex prouincia Sibier decurrẽtem habitant. Hi reges non habent, sed duces. Nostra tempestate tres fratres, æquali diuisione prouinciarum facta, ducatus illos obtinebant: quorum primus Schidack, ciuitatem Scharaitzick ultra fluuium Rha, Orientem uersus, cum adiacente ad Iaick fluuium regione obtinebat: alter Cossum, quicquid inter Kamam Iaick & Rha fluuios esset: Schichmamai tertius fratrum Sibier prouinciæ partem, & omnem circumiacẽtem regionem possidet. Schichmamai interpretatur sanctus, uel potẽs. Atq; hæ quidem regiones omnes ferè syluosæ sunt: extra eam quæ ad Scharaitzick uergit, quæ campestris est.

Inter Vuolgam & Iaick fluuios, circa mare Caspium, habitabãt quondam Savuolhẽses reges, de quibus postea. Apud hos Tartaros rem admirandam, & uix credibilem, Demetrius Danielis, uir (ut inter Barbaros) grauis ac fide singulari, nobis narrauit: patrem suum aliquando à Principe Moscouiæ ad Zavuolhensem regem missum fuisse: in qua dum esset legatione, semẽ quoddam in ea insula, melonum semini, paulo maius ac rotũdius, alioqui haud dissimile, uidisse: ex quo in terram condito, quiddam agno persimile, quinque palmarum altitudine succrescere: idq; eorum lingua Boranetz, quasi agnellum dicas, uocaretur. nam & caput, oculos, aures, cæteraq; omnia in formam agni recens editi, pellem præterea subtilissimã habere, qua plurimi in eis regionibus ad subducenda capitis tegumenta uterentur. eiusmodi pelles uidisse se, multi coram nobis testabantur. Aiebat insuper, plantam illã, si tamen plantam uocari phas est, sanguinem quidem habere, carnem tamen nullam: uerùm carnis loco, materiam quandam cancrorum carni persimilem. ungulas porrò nõ ut agni corneas, sed pilis quibusdã ad cornu similitudinẽ uestitas: radicem illi ad umbilicũ, seu uentris medium esse. uiuere aũt tãdiu,

donec depastis circum se herbis, radix ipsa inopia pabuli arescat. Miram A
huius plãtæ dulcedinem esse: propter quam à lupis, cæterisq; rapacibus animalibus multum appeteretur.

Ego quamuis hoc de semine & planta pro commento habuerim, tamen & antea tanquam à uiris minimè uanis auditum retuli: & nunc tanto libẽtius refero, quòd mihi uir multæ doctrinæ Guilhelmus Postellus narrauit, se audiuisse à quodã Michaele, apud rempub. Venetã publico Turcicę & Arabicę linguæ interprete, quòd uiderit à finibus Samarcandæ ciuitatis Tartaricæ, cæterarumq; regionum quæ ad Euroaquilonem mare Caspium respiciũt, usq; in Chalibontidem, deferri quasdam pelles delicatissimas, plantæ cuiusdam in illis regionibus nascentis, quæ aliqui Mussulmani ad capita sua rasa fouenda mediis pileis inserere, ac pectori quoq; nudo applicare soleãt. Plantã sibi tamẽ nõ uisam esse, nec nomen se scire, nisi quòd illic Samarcãdeos uocetur: eamq; esse ex animali instar plantæ in terram defixo. Quæ cum ab aliorũ narratione non dissideant, mihi (inquit Postellus) penè persuadent, ut hanc rem minus fabulosam B
esse putem, ad gloriam Creatoris, cui omnia sunt possibilia.

A' Principe Schidack, progrediendo in Orientem uiginti diebus, occurrunt populi quos Mosci appellãt Iurgẽci, quibus Barack Soltan, magni Cham seu regis de Cataia frater imperat. A' domino Barack Soltan, decem diætis itur ad Bebeid Chan. Hic est ille magnus Chan de Cataia.

Astrachan urbs opulenta, magnumq; Tartarorum emporium, à qua tota circumiacens regio nomen accepit, decem dierum itinere infra Cazan in citeriore Vuolgæ ripa, ad eius ferè ostia sita est. Quidã hanc non ad Vuolgę ostia, sed aliquot dierum itinere inde distare aiunt. Equidem eo loco quo Vuolga fluuius in multos ramos, quos quidẽ septuaginta esse aiunt, scinditur, pluresq; insulas facit, totidemq; ferè ostijs Caspium mare tanta aquarũ copia ingreditur, ut procul spectãtibus mare esse uideatur, Astrachan sitam esse puto. Sunt alij, qui eam Citrahan appellant.

Vltra Vuiatkam & Cazan, ad Permię uiciniam Tartari habitant, qui Tumenskij, Schibanskij, & Cosatzkij uocantur. ex quibus Tumẽskij in C
syluis habitare, decemq; milium numerum aiunt non excedere. alij præterea Tartari trãs Rha fluuium sunt, qui quòd soli capillos nutriant, Kalmuchi uocantur: & ad mare Caspium Schamachia, à qua etiam regio nomen accepit, ita appellati, homines in texendis sericeis uestibus excellentes, quorum ciuitas sex dierũ itinere abest ab Astrachan, quam unà cum regione rex Persarum haud ita diu (ut aiunt) occupauit.

Asoph ciuitas ad Tanaim, de qua suprà, septem dierum itinere distat ab Astrachan: ab Asoph autem, Taurica Chersonesus, præcipuè autem Pręcop ciuitas, abest quinq; dierum itinere. Inter Cazan autem & Astrachan, longo secũdum Vuolgam tractu, ad Borysthenem usq;, campi deserti sunt, quos Tartari nullis certis sedibus inhabitant: præter Asoph & Achas ciuitatem, quę est duodecim miliaribus supra Asoph ad Tanaim: & minori Tanai uicinos Tartaros, qui terram colunt, certasq; sedes habent. Ab Asoph ad Schamachiam sunt duodecim diætæ.

Ab Ori-

A Ab Oriente Meridiem uersus reflectẽdo, circa Mæotidis paludes & Pontũ, ad fluuium Cupa, qui paludes influit, Aphgasi populi sunt, quò loci usq; ad Merula fluuium, qui Pontũ illabitur, montes occurrũt, quos Circasi, seu Ciki incolunt. Hi montium asperitate freti, nec Turcis, nec Tartaris parent. Eos tamẽ Christianos esse, suis legibus uiuere, in ritu & cæremoniis cum Græcis cõuenire, lingua Slavuonica (qua utuntur) sacra peragere, Rutheni testantur. Audacissimi piratæ sunt. nã fluuijs, qui ex eorum montibus fluunt, nauibus in mare delapsi, quoscunq; possunt spoliant: eos præsertim, qui ex Capha Cõstantinopolim nauigant. Vltra Cupa fluuiũ est Mengarlia, quã Eraclea fluuius interlabitur: deinde Cotatis, quam quidã Colchim esse arbitrantur. Post quem Phasis occurrit, qui priusq; mare illabatur, haud procul ab ostijs Satabellum insulã facit: in qua fama est, Iasonis naues quõdam stetisse. Vltra Phasim, Trapezus.

Tauricæ Chersonesi paludes, quæ ab ostijs Tanais in longitudinem trecenta miliaria Italica habere dicuntur, ad caput S. Ioannis, promon-
B torium, quà in arctum coeunt, duo tantum miliaria Italica continent. In ea Krijm ciuitas, olim regum Tauricę sedes: à qua Krijmskij nominabantur. Postea toto Isthmo, spacio mille ducentorum passuum ad insulæ formam perfosso, reges non Krijmskij, sed Præcopskij, ab illa nimirum perfossione sumpto uocabulo, nomen accepere. Præcop enim, lingua Slavuonica perfossum sonat. Vndę apparet, scriptorem quendam errasse, qui Procopium quendam ibi regnasse scripsit. Porrò tota Chersonesus, sylua quadam per medium scinditur: eaq; pars quæ Pontum respicit, in qua Capha insignis urbs, olim Theodosia dicta, Genuẽsium colonia, tota à Turca possidetur. Capham autem Mahumetes, qui expugnata Constantinopoli, Græcorum imperium destruxit, Genuensibus ademit. Alteram peninsulæ partem Tartarus possidet. Omnes autem Tartari, Tauricæ reges, originem suam ex Savuolhensibus regibus ducunt: & cum domestica seditione aliqui regno pulsi fuissent, nec usquam in uicinia firmam sedem habere possent, hanc Europæ partem occupauere:
C ueteris' que iniuriæ haud immemores, diu cum Savuolhensibus dimicabant: donec patrum nostrorum memoria, Alexandro magno duce Lithvuaniæ in Polonia imperante, Scheachmet rex Savuolhensis in partes Lithvuaniæ uenit, scilicet ut inito cum Alexandro rege fœdere, coniunctis uiribus Mahmetgirei regem Tauricæ ejicerent. In quam rem uterque quidem princeps consensit. Cum autem Lithvuani iuxta eorum consuetudinem longius quàm par est, bellum differrent, uxor Savuolhensis regis, eius' que quem in campis habebat exercitus, moræ, tum etiam frigoris impatientes, eorum regem in oppidis quibusdam agentem sollicitant, obmisso Poloniæ rege, ut in tempore rebus suis prouideat. Quod cum illi persuadere non possent, uxor relicto marito, cum parte exercitus ad Mahmetgirei Præcopensem regem deficit: cuius impulsu, Præcopensis exercitum ad proflígandas reliquas Savuolhensis copias mittit, quib. dissipatis, Scheachmet Savuolhensis rex infœlicitatem suã uidens, sexingẽtis ferè equitibus comitatus, Albã ad Thijrã fluuium

ſitam, ſpe auxilij à Turca implorandi cõfugit. In ea ciuitate cum ſtructas A
ſibi, ut caperetur, inſidias intellexiſſet, conuerſo itinere, uix media parte equitum aſſumpta, Chiovuiam peruenit. ubi à Lithvuanis circumuẽtus, captusq́, cum regis Poloniæ iuſſu Vuilnam deduceretur, obuiam ſibi rex progreſſus, honorificè ſuſceptum, ad Polonorum conuentum ſecum duxit: quo quidẽ conuentu bellum aduerſus Mendligerei decernitur. Sed cum Poloni in cogendo exercitu tempus longius, quàm par erat, extraherent, Tartarus uehemẽter offenſus, denuò de fuga cogitare cœpit: in qua deprehenſus, ad Trokij caſtrum, quatuor à Vuilna miliaribus retractus eſt. quẽ ego ibi uidi, unaq́, cum eo pranſus ſum. Atq́ hic Savuolhenſium regum imperij finis fuit: cum quibus & Aſtrachan reges, qui quoq́ ex eiſdem regibus originem traxerunt, unà perierunt. quibus ita oppreſsis & extinctis, regum Tauricæ potentia maiorẽ in modum adaucta, uicinis gentibus terrori erat, adeò ut & regem Poloniæ ad certum ſtipendium pendendum cogerent, ea conditione, ut eorum opera quauis urgẽte neceſsitate utatur. Quin & Moſcovuiæ Princeps, miſsis ſub- B
inde muneribus illum ſibi deuincire ſolebat. quod ideo fit, quia cum mutuis aſsiduè bellis implicentur, uterq́ Tartarorum ope armisq́ alterum ſe ſperat opprimere poſſe. Cuius ille haud ignarus, acceptis muneribus utrũq́ uana ſpe lactabat. id quod uel eo tempore, dum ego Cæſaris Maximiliani nomine apud Moſcovuiæ Principem de pace cum rege Poloniæ ineunda tractarem, apparuit. Nam cum Moſcovuiæ Princeps ad æquas pacis conditiones induci non poſſet, rex Poloniæ Præcopenſem regem pecunia conduxit, ut Moſcovuiam cum exercitu ab una parte adoriretur, ſe quoq́ ex altera Opotzkam uerſus impetum in Moſci ditionem facturum, qua arte Poloniæ rex Moſcum ad tolerabiles pacis conditiones cogi poſſe ſperabat. Quod Moſcus animaduertens, miſsis Oratoribus ſuum uicisſim apud Tartarum egit negotium, ut ſcilicet in Lithvuaniam, quam tum omni metu uacuam ac præſidio deſtitutam eſſe dicebat, uires ſuas conuerteret. Cuius conſilium Tartarus, ſui commodi duntaxat ratione habita, ſecutus eſt. Atq́ is eiuſmodi Principum C
diſſenſionibus potentior factus, cum imperij augẽdi libidine teneretur, neq́ quieſcere poſſet, ad maiora animum applicuit: Mamai'que Nahaicẽſi principe ſibi adiuncto, Tauricam anno Domini 1524, menſe Ianuario, cum exercitu egreſſus, regem Aſtrachan adortus eſt. cuius urbem, cum ea relicta, metu profugiſſet, obſedit, & occupauit, manſitq́ victor in ciuitate ſub tectis. Interim Agis Nahaicenſium quoq́ princeps, fratrem ſuum Mamai increpat, quòd tam potentem uicinum ſuis copijs iuuaret. Præterea eum monet, ut Machmetgirei regis indies ereſcẽtem potẽtiam ſuſpectam haberet. poſſe enim, ut inſanabili ille animo eſſet, fieri, ut conuerſis in ſe fratrem q́ armis, utrũq́ regno depulſum aut interimat, aut in ſeruitutem deducat. Quibus uerbis Mamai permotus, fratri nunciat, eũq́ hortatur, ut quàm magnis poſſet copijs ad ſe properaret. poſſe enim nunc, cum Machmetgirei magno rerũ ſucceſſu elatus, ſecurius ageret, utroſq́ eo metu leuari. Agis fratris monitis parens, ad præſcriptum

tempus

A tempus ſe cum exercitu, quem ad defendẽdas in tot bellis regni ſui fines iam prius coegerat, affuturum omnino promiſit. Qua re intellecta, Mamai continuò regem Machmetgirei monet, ne militem ſoluta diſciplina ſub tectis aleret, corrumperetq́; : ſed urbe relicta, in cãpis potius, ut mos eſt, degeret. Cuius conſilio acquieſcens rex, militem in caſtra educit. aduolat Agis cũ exercitu, ſeq́; fratri iungit: atq́; hi non ita multo poſt Machmetgirei regem nihil tale timentẽ, cum Bathir Soltan filio, uigintiquinq́ annos nato, prandentem, facto derepentè impetu obtruncant, eiusq́; maiorem exercitus partem fundunt, & reliquos in fugam uertunt: ac ultra Tanaim, Tauricã uſq́; inſequentes, cędunt, fugantq́; : Præcop ciuitatem, quam in Cherſoneſi ingreſſu eſſe dixi, obſident: tentatisq́; omnibus, cum ea nec ui nec deditione potiri poſſe uiderẽt, ſoluta obſidione domum redeunt. Horum ergo opera rex Aſtrachan regno ſuo iterum potitus eſt: uiresq́; regni Tauricæ, cũ Machmetgirei fortiſſimo & fœliciſſimo rege, qui potenter aliquãdiu imperauit, conciderũt. Machmetgirei occiſo, fra

B ter eius Sadachgirei, Turcarum imperatoris (cui tum ſeruiebat) auxilio Præcopẽſe regnũ occupauit: qui cum Turcarũ moribus imbutus, rarius præter Tartarorum morẽ in publico uerſaretur, neq; ſubditis ſuis ſe conſpiciendum exhiberet, à Tartaris, qui hanc inſolitã rem in Principe ferre non poterant, eiicitur, inq́; eius locum ex fratre nepos ſubſtituitur. à quo cum Sadachgirei captus fuiſſet, nepotẽ, ne cæde in ſe ſæuiat, ſed à ſuo ſanguine abſtineat, ſenectutis ſuæ miſereatur, deniq́; ut priuatus reliquũ uitæ in caſtro aliquo deducere, nomenq́; dũtaxat regium, tota regni adminiſtratione nepoti permiſſa, retinere poſsit, ſupplex orat, & impetrat.

Nomina dignitatum apud Tartaros hæc ferè ſunt. Chan, ut ſuprà dixi, rex eſt: Soltan, filius regis: Bij, dux: Murſa, filius ducis: Olboud, nobilis, uel conſiliarius: Olboadulu, alicuius nobilis filius: Seid, ſupremus ſacerdos: homo uerò priuatus, Kſi. Officiorum uerò, Vlan, ſecunda è rege dignitas: nam reges Tartarorum quatuor uiros, quorum conſilio in rebus grauibus potiſsimum utuntur, habent. ex his primus, Schirni uoca-

C tur: ſecũdus Barni, tertius Gargni, quartus Tziptzan. Hactenus de Tartaris: nunc de Lithvuania, Moſcovuiæ uicina, dicendum eſt.

DE LITHVUANIA.

Lithvuania Moſcovuiæ proxima eſt. non autem de ſola prouincia, ſed regionibus illi adiacentibus, quæ ſub Lithvuaniæ nomine comprehenduntur, nunc loquor. Hæc longo tractu ab oppido Circaſs, quod ad Boryſthenem ſitum eſt, in Livuoniam uſq́; protenditur. Porrò Circaſsi, Boryſthenis accolæ, Ruthenì ſunt, alij ab his quos ſuprà ad Pontum in montibus habitare dixi. His noſtra tempeſtate præficiebatur Euſtachius Taſcovuitz, (quem cum Machmetgirei rege in Moſcovuiam unà profectum fuiſſe, ſuprà dixi) uir belli peritiſsimus, aſtutia ſingulari: qui cum crebra cum Tartaris commercia haberet, ſæpius tamen eos fudit. quin & ipſum Moſcum, cuius aliquando captiuus fuerat, in magna ſæpe pericula adduxit. Eo anno, quo nos Moſcovuiæ eramus, miro aſtu Moſcos profligauit: digna q́; mihi res uiſa eſt, quę hoc loco aſcriberetur. Tar

taros quosdam habitu Lithvuanico in Moscovuiam deduxit, in quos, A
ceu Lithvuanos, nullo metu Moscos irruituros sciebat. Ipse dispositis
loco opportuno insidijs, Moscos ulciscentes præstolatur. Tartari depo
pulata parte Sevueræ prouinciæ, Lithvuaniam uersus iter arripiunt: in-
deq; mutato itinere, cum Lithvuaniam tenuisse cognouissent, Mosci Li-
thvuanos esse rati, mox uindictæ cupiditate magno impetu in Lithvua-
niam irruunt. qua uastata, cum præda onusti redirēt, ab Eustachio ex in-
sidijs circumuenti, ad unum omnes cæduntur. Qua re cognita, Moscus
Oratores ad Poloniæ regē, qui de illata sibi iniuria conquererentur, mi-
sit. quibus rex: Suos non intulisse, sed iniuriā ultos esse, respōdit. Ita Mo-
scus utrinq; delusus, damnum cum ignominia ferre coactus est.

Infra Circassos nullæ habitationes Christianorum sunt. Ad Borysthe
nis ostia, Otzakhovu castrum & ciuitas, quadraginta miliaribus à Cir-
cass, quam Tauricæ rex non ita diu Polonię regi ademptam possidebat.
Hanc nunc Turcus tenet. Ab Otzakhovu ad Albam, circa ostia Thiræ,
quæ ueteri nomine dicitur Moncastro, quatuordecim miliaribus ab Ot B
zakhovu, in Pręcop quatuordecim miliarib. A Cercass circa Borysthe-
nem ad Præcop quadraginta miliarib. Supra Circassos septem mil. per
Borysthenem ascendendo, Cainovu oppidum occurrit: à quo decem &
octo miliarib. est Chiovuia, uetus Russię metropolis: quam magnificam
& planè regiā fuisse, ipsæ ciuitatis ruinæ, monumētaq;, quæ in ruderibus
uisuntur, declarant. Apparent adhuc hodie in uicinis montibus eccle sia-
rum, monasteriorumq; desolatorum uestigia, præterea cauernæ multæ,
in quibus uetustis. sepulchra, corporaq; in his nondum absumpta uisun
tur. Ab hominibus fide dignis accepi, puellas ibi ultra septimū annū ra-
rò castitatem seruare. rationes uarias audiui, quarum nulla mihi satisfa-
cit: quibus, mercatoribus abuti quidē, sed abducere minimè licet. Nam
si quis abducta puella deprehensus fuerit, & uita & bonis, nisi Principis
clementia seruatus fuerit, priuat. Lex etiā ibidē est, qua externorū merca
torū (si qui ibi fortè decesserint) bona aut regi cedūt, aut eius præfecto:
id quod apud Tartaros & Turcas, in Chiovuiē sib. apud se mortuis ob- C
seruatur. Ad Chiovuiam monticulus quidam est, per quem mercatori-
bus uia aliquanto difficiliore transeundum est: in cuius ascensu, si fortè
currus aliqua pars frangatur, res quæ in curru portabantur, Fisco uin-
dicantur. Hæc omnia D. Albertus Gastol Palatinus, Vuilnensis regis
in Lithvuania uicegerens, mihi retulit. Porrò à Chiovuia ascendendo
per Borysthenē triginta miliaribus, Mosier ad fluuiū Prepetz, qui duo-
decim miliarib. super Chiovu Borysthenem influit, occurrit. Thur flu-
uius piscosus influit Prepetz. à Mosier autem ad Bobranzko, triginta.
Inde ascendendo uigintiquinque miliaribus, peruenitur in Mogilevu,
à qua Orsa sex miliaribus abest. Hæc iam enumerata secundum Bory-
sthenem oppida, quæ omnia in Occidentali littore sita sunt, regi Polo-
niæ: Orientali uerò, Moscovuiæ principi subijciuntur: præter Dobro-
vunam, & Mstislavu, quæ Lithvuaniæ ditionis sunt. Traiecto Bory-
sthene quatuor miliarib. Dobrovunam, indeq; uiginti Smolēzko deue-
nitur. Ex

A nitur. Ex Orſa nobis iter fuit in Smolẽczko,& tum Moſcouiam uſq;.

Boriſouuo oppidũ uiginti duobus ab Orſa in Occidẽtem miliaribus abeſt,quod Bereſina fluuius, qui infra Bobrãtzko Boryſthenem influit, præterlabitur. Eſt autem Bereſina,ut oculis conſpexi, amplior aliquãto Boryſthene, ad Smolẽtzko. Planè puto hunc Bereſinam, id quod etiam uocabuli ſonus indicare uidetur, ab antiquis Boryſthenem habitum fuiſſe.nam ſi Ptolemęi deſcriptionem cõſpexerimus,Bereſina fontibus magis quàm Boryſthenis,quem Nieper appellant,conueniet.

Lithvuania porrò quos Principes habuerit,quãdo Chriſtianiſmo initiata fuerit,ab initio ſatis dictum eſt. Huius gentis res ad Vuitoldi uſq; tempora,ſemper florebant.Si bellum aliũde ipſis immineat, ſuaq; aduerſus hoſtium uim defendere debeãt, uocati quidem, ad oſtẽtationem magis quàm ad bellum inſtructi, magno apparatu ueniunt: uerùm delectu habito,citò dilabuntur. Quod ſi qui remãſerint,hi equis ueſtibusq; melioribus,quibus inſtructi nomina dederunt,domum remiſsis, cum pau-
B cis quaſi coacti, ducem ſequuntur. Cæterùm magnates, qui certum militum numerum ſuis ſumptibus in bellum mittere coguntur, data duci pecunia, ſe redimentes,domi remanent: eaq; res adeò dedecori non eſt, ut militiæ præfecti, ducesq; publicè in conuentibus caſtrisq; proclamari faciãt,ſi qui uelint, numerata pecunia exautoratos domum redire poſſe. Tanta autem inter hos quidlibet agendi eſt licentia, ut immodica libertate non uti,ſed abuti uideantur, Principũq; bona impignorata poſſideant:adeò,ut Principes in Lithvuaniam uenientes,ſuis, ni prouincialium ope ſubleuentur,uectigalibus ibi uiuere non potuerint. Gentis habitus oblongus, arcumq; Tartarorum, haſtam uerò & ſcutum Hungarico more gerunt. equis bonis,iiſdemq; caſtratis,ſine ſoleis ferreis,quos mollibus coercent lupatis,utuntur.

Vuilna eſt caput gentis: ciuitas ampla, intra colles ſita, ad confluxum fluuiorum Vueliæ & Vuilnæ. Vuelia autem fluuius aliquot infra Vuilnam miliaribus, Crononem influit. Cronon autem, oppidum Grod-
C no,nomine haud ita diſsimili,prętерlabitur,Prutenosq; populos quondam ordini Teutonicorum ſubiectos (quibus nunc Albertus Marchio Brandenburgenſis,poſteaquam ſe regi Poloniæ ſubdidit, crucemq; & ordine depoſito,hæreditarius præeſt) à Samogitis, eo loci quo Germanicum mare illabitur, dirimit: ubi eſt oppidum Mumel. nã Germani Crononem Mumel,patrio uerò uocabulo Nemen appellant. Vuilna porrò nũc eſt muro cincta. multa templa ædesq; lapideæ in ea exædificãtur,in qua epiſcopalis ſedes eſt, quã tũc Ioãnes regis Sigiſmũdi filius naturalis, uir ſingulari humanitate prędituſ, tenebat,nosq; in reditu noſtro humaniter excepit.Prętерea parochialis eccleſia,& aliquot monaſteria,& prę-cipuũ Frãciſcanorũ de obſeruãtia cœnobiũ, maximis ſumptibus extructũ,excellit. Multo plura tamẽ ſunt Ruthenorũ tẽpla in ea,quàm Romanæ obediẽtię.In Lithvuanię principatu ſunt tres Romanę obediẽtię epiſcopatus: Vuilnẽſis ſcilicet,Samogithię,& Chiovuiẽſis.Rutheni uerò epiſcopatus in regno Polonię & Lithvuania,aut ſuis incorporatis principatibus


patibus, sunt, archiepiscopus Vuilnæ nunc degens, Polocensis, Vuolo- A
dimerensis, Lucensis, Pinski, Chomensis, Premisiensis. Lithvuani mel-
le, cera, cinere, quibus potissimum abundant, quæstum faciunt, quæ ma
gna ab eis copia Gedanum, deinde in Holandiã deferũtur. Picem quoq;
& asseres ad fabricandas naues, frumentum quoq; Lithvuania abundè
præbet. Sale caret, quod uenale ex Britannia habet. Quo tempore Chri
stiernus Daniæ regno eiectus, mare'que piratis infestum esset, sal non ex
Britannia, sed ex Rusia portabatur: quo etiamnum utuntur apud Lith-
vuanos. Nostra tempestate apud Lithvuanos duo potissimum uiri
bellica laude clari fuere: Constantinus Knes Ostroski, & Knes Michael
Linzki. Constantinus ut plurimum Tartaros fudit: non occurrendo
multitudini prędantium, sed præda onustos sequebatur. cum'que redi-
rent ad eum usq; locum, in quo se omni metu solutos, respirandi & quie-
scendi commodum spacium habere putabant (is locus erat illi notus)
cum'q; eos inuadere constituisset, monuit suos, ut sibi ea nocte cibaria pa
rarẽt. nam se eis nullam ignis copiam in noctem futuram, esse facturum. B
Itaq; sequenti die continuato itinere, cum Tartari noctu nulla flãma aut
fumo apparente, putarent hostes regressos, aut dilapsos, eo'q; & equos
in pascua dimitterent, mactarent, uorarent, & se somno derent: Con-
stantinus primo diluculo inuadens, magnis cladibus eos affecit. Knes
uerò Michael Linski, qui cum adolescens adhuc in Germaniam uenisset,
& apud Albertum Saxoniæ ducem eo tempore in Frisia bellum geren-
tem strenuè se gessisset, ac per omnes militiæ gradus magnum sibi no-
men peperisset, Germanorum'q; apud quos adoleuerat moribus imbu-
tus, in patriam redijsset, apud Alexandrum regem magna authoritate
ac summo loco fuit: adeo' ut rex arduas quasque res ex eius iudicio ac ar-
bitrio constitueret. Accidit autem, ut cum Ioanne Savuersinski Pala-
tino Trocensi, regis causa in dissensionem ueniret, ubi compositis tan-
dem rebus, in uita regis omnia quieta inter illos manebant: at mortuo
rege, manebat Ioanni alta mente repositum odium. nam ex eo priuatus
erat Palatinatu. Tum ipse & complices, atq; amici, apud Sigismundum C
regem, qui Alexandro successerat, crimine affectati imperij, ab æmulis
quibusdam delatus est, & proditor patriæ nominatus. Cuius iniuriæ
Knes Michael impatiens, cum sæpe regem appellasset, rogasset'q; ut com
muni iudicio, quo tantum crimen à se depellere posse dicebat, causam in-
ter se & Savuersinski actorem discerneret: cum'que rex illius petitioni
locum non daret, in Hungariam ad Vuladislaum regis fratrem profi-
ciscitur: à quo literis & Oratoribus, quibus ad cognoscendam suam cau
sam rex ad monebatur, impetratis, tentatis'que omnibus, cum causæ suæ
cognitionem à rege impetrare non posset, indignitate rei permotus Mi-
chael, tale facinus se aggressurum, regi dixit, quod ipsi sibi'que aliquan-
do foret mœrori. At cum domum iratus se recepisset, quendam ex suis
hominem sibi fidum, cum literis mandatis'q; ad Moscouiæ Principem
mittit. Scripserat autem, si Princeps securam liberam'que ad se uiuendi
copiam, datis in hanc rem literis, atq; addito iuramento, sibi promitte-
ret, ea'q;

A ret, eaq; res honori emolumenti' que ſibi apud Principem foret, ſe caſtris
que in Lithvuania poſsideret, aliiſq; ui aut deditione occupatis, ad ſe de-
ficere uelle. Eo nuncio Moſcus, qui uiri fortitudinem & dexteritatem co
gnitam haberet, mirificè exhilaratus, omnia que à ſe Michael peteret, da-
tis ut uolebat literis, iuramentoq; addito, ſe facturum recepit. Rebus ita
apud Moſcum ex ſententia confectis, Michael ulciſcendi libidine flagrãs
in Ioannem Savuerſinski, qui tum in uilla ſua circa Grodno erat (in qua
ego poſtea ſemel pernoctaui) toto impetu fertur, eumq; ne elabi poſ-
ſet, diſpoſitis circum ędes militum ſtationibus, immiſſo percuſſore quo-
dam Mahumetano, in lectulo dormientẽ opprimit, obtruncatq;: qua re
peracta, ad caſtrum Miensko cum exercitu progreſſus, ui illud, aut de-
ditione occupare nitebatur: ſed Miensko occupatione fruſtratus, alia
ſubinde caſtra oppida' que aggreſſus eſt. Interea cum regis in ſe copias
aduenire, ſeq; illi longè imparem eſſe intelligeret, obmiſſa caſtrorum op-
pugnatione, in Moſcouiam ſe contulit: ubi à Principe honorificè exce-
B ptus eſt. nam Lithvuaniam illi parem non habere ſciebat. Vnde ma-
gnam de eo ſpem concœperat, ſe eius conſilio, opera, induſtria, uniuer-
ſam Lithvuaniam poſſe occupare. qua ſpe haud prorſus fruſtratus eſt.
Nam communicatis cum eo conſilijs, Smolenzko inſignem Lithvuaniæ
principatum denuò obſedit, & eam uiri huius induſtria magis quam ui-
ribus cæpit. Vnus enim Michael, militibus qui in præſidio erant, om-
nem urbis defendendæ ſpem, ſua præſentia ademit: eosq; & metu & pol
licitationibus, ut caſtrum proderent, permouit. Quòd eo audacius ma-
ioreq; ſtudio faciebat, quoniã Baſilius, ſi Michael Smolenzko quacunq;
arte potiri poſſet, ſe caſtrũ cum prouincia adiacẽte perpetuò ſibi cõceſſu
rum promiſerat. Quibus tamen promiſsis adeò ille poſtea non ſtetit, ut
Michaelem de pactione ſe appellantem, uana tantum ſpe lactaret, atq; il-
luderet. Qua re uehementer Michael offenſus, nõdum abolita è pecto-
re Sigiſmundi regis memoria, cuius gratiam, opera amicorum quos in
eius aula tum haberet, ſe facilè conſequi poſſe ſperabat, ex ſuis quendam
C ſibi fidum ad regem mittit, ſeq;, ſi quæ grauius in ſe commiſiſſet, condo-
naret, rediturum pollicetur. Grata hæc legatio regi fuit: nuncioq; conti-
nuò publicæ fidei, quas petebat, literas dari mandauit. Verùm cum Mi-
chael literis regijs non prorſus fideret, quo tutius redire poſſet, à Geor-
gio Piſbeck & Ioanne de Rechenberg, equitibus Germanis, quos ea au-
thoritate apud regem, eiusq; conſiliarios eſſe ſciebat, ut regem uel inui-
tum poſſent ad ſeruandam fidem cogere, ſimiles literas efflagitauit, im-
petrauit' que. Sed cum eius rei nuncius in Moſci cuſtodias incidiſſet, ca-
ptusq; eſſet, re patefacta, Principi'q; celeriter ſignificata, Michael Princi-
pis iuſſu capitur. Eodem tempore nobilis quidam ex Trepkonum fami-
lia, adoleſcens Polonus, à Sigiſmundo rege ad Michaelem Moſcouiam
miſſus erat: qui ut mandata regis commodius exequi poſſet, perfugam
ſe ſimulabat. Is quoq; haud meliore fortuna uſus, à Moſcis capitur: &
cum perfugam ſe diceret, neq; ſibi fides adhiberetur, adeò arcani conti-
nẽs fuit, ut etiã grauiter tortus, id non reuelaret. Porrò cum Michael ca-


ptus, in

ptus, in cõſpectum Principis in Smolenzko adductus fuiſſet: Perfide, in- A
quit, digna te pro meritis pœna afficiã. ad quæ ille: Perfidiæ crimẽ, quod
mihi impingis, non agnoſco. nam ſi tu mihi fidem promiſſáq; ſeruaſſes, ſi
deliſsimum me in omnibus ſeruitorem habuiſſes. ſed cum te eam flocci-
facere, méq; à te inſuper eludi uiderem, graue mihi in primis eſt, ea quæ
animo in te concœperam, me exequi non potuiſſe. mortem ego ſemper
contempſi, quam uel ea cauſa libenter ſubibo, ne uultum tuum Tyranne
amplius conſpiciam. Deinde Principis iuſſu in magnã populi frequen-
tiam in Vuieſma abductus, ubi ſupremus belli Præfectus proiectis in
medium grauibus, quibus uinciendus erat, cathenis: Princeps te, inquit,
Michael maxima (ut ſcis) dum fideliter ſeruires, gratia proſequebatur.
Poſtquam autem proditione fortis eſſe uoluiſti, hoc te ſecundum meri-
ta tua munere donat. ſimuĺq; cũ dicto, cathenas illi iniici iubet. qui dum
ita ſpectante multitudine cathenis conſtringeretur, ad populum conuer
ſus: Ne captiuitatis, inquit, meæ falſa apud uos fama ſpargatur, quid fece
rim, cuŕq; captus ſim, paucis aperiam: ut uel meo exemplo, qualem Prin B
cipem habeatis, quid́q; quiſq; ueſtrũm de eo ſperare debeat, aut poſsit,
intelligatis. Ita orſus, totius fui in Moſcouiam itineris rationẽ, quǽq;
Princeps ſcriptis literis, addito iuramẽto, ſibi promiſiſſet, neque ulla ex
parte promiſsis ſtetiſſet, referebat. Cuḿq; ſua de Principe expectatione
falſus eſſet, uoluiſſe denuò in patriã redire: ideo ſe captũ eſſe. qua iniuria
cum præter meritum afficeretur, mortẽ ſe nõ magnopere refugere, præ-
ſertim cum ſciret, communi lege naturæ omnibus æquè moriendum eſ-
ſe. Et cum corpore ualido, ingenióq; ad omnia uerſatili eſſet, multum e-
tiam ualebat conſilio, ſeriis iocoſiśque rebus æquè idoneus, planéq; (ut
aiunt) omniũ horarum uir: qua animi dexteritate multum ſibi gratię au
thoritatiśq; apud omnes, Germanos prę ſertim, ubi educatus fuerat, con
ciliauerat. Tartaros, Alexãdro rege imperante, inſigni clade profligaue-
rat: neq; à Vuitoldi morte, Lithuuani tam præclaram à Tartaris uicto-
riam unquã reportarunt. Hunc Germani uoce Bohemica, Pan Michael
uocabant: qui cum, ut homo Ruthenus Græcorum in fide ritum ab ini- C
tio, eóq; poſt obmiſſo, Romanũ ſequutus fuiſſet, quo Principis in ſe irã
indignationeḿq; leniret, mitigaret́q;, in uinculis denuò Ruthenicum aſ-
ſumpſit. De eius liberatione, nobis in Moſcouia exiſtentibus, multi
præclari uiri, in primis autem Principis coniunx, quæ ſibi ex fratre ne-
ptis erat, apud Principem laborabat. intercedebat pro eo etiam Cæſar
Maximilanus, literaśq; ſpeciales in priore mea legatione ad Principem
nomine ſuo dederat: quibus tamen uſq; adeò nihil effectum eſt, ut mihi
tum nec aditus ad ſe patêret: imò ne uidendi ſui copia dabatur. In altera
uerò legatione, cum fortè de liberatione eius tractaretur, ſæpius à Mo-
ſcis interrogabar, an hominem nouiſſem? quib. equidẽ, quod in rẽ ſuam
fore putabã, nomen me duntaxat eius aliquando audiuiſſe, reſpõdi. Atq;
Michael tũ liberatus ac dimiſſus fuit: cuius neptim Princeps, uiuente ad-
huc priore uxore cum duxiſſet, tantã ſpem in eo ponebat, ut filios ſuos il
lius uirtute à fratrib. in regno tutos fore crederet: tutorẽ denićq; filiorum

ſuorum



VRVS SVM, POLONIS TVR, GERMANIS AVROX:
IGNARI BISONTIS NOMEN DEDERANT.



BISONS SVM, POLONIS SVBER, GERMANIS BI-
SONT: IGNARI, VRI NOMEN DEDERANT.

In

A In deſertis campis circa Boryſthenem, Tanaim & Rha, eſt ouis ſyluestris, quam Poloni Solhac, Moſci Seigack appellãt, magnitudinis capreolæ, breuioribus tamen pedibus: cornua in altum porrecta, quibuſdam circulis notata, ex quibus Moſci manubria cultellorum tranſparentia faciunt: uelociſsimi curſus, & altiſsimorum ſaltuum.

Samogithia proxima Lithvuaniæ eſt prouincia, in Septentrionem ad mare Baltheum, quæ Pruſsiam quatuor miliarium Germanicorum ſpacio à Livuonia diuidit: nullo oppido, aut caſtro munito inſignis. huic ex Lithvuania à Principe Præfectus, quem ſua lingua Staroſta, quaſi ſeniorem appellant, præficitur: neq; temerè is, niſi grauiſsimas ob cauſas, officio mouetur: ſed quoad uiuit, perpetuò manet. Epiſcopum habet Romano Pontifici ſubiectum. In Samogithia hoc in primis admirandum occurrit, quòd cum eius regionis homines procera utplurimum ſtatura ſint, filios tamen alios corporis magnitudine excellentes, alios perpuſillos, ac planè nanos, ueluti uiciſsitudine quadam, procreare ſolent. Samo-
B githæ ueſtitu uili, eóq; ut plurimum cinericio utuntur. In humilibus caſis, ijſq; oblongioribus uitam ducunt, in quibus ignis in medio conſeruatur: ad quem cum paterfamilias ſedet, iumenta, totamq; domus ſuæ ſupellectilem cernit. Solent enim ſub eodem, quo ipſi habitant, tecto, ſine ullo interſtitio pecora habere. Maiores urorum cornibus pro poculis etiam utuntur. Audaces ſunt homines, & ad bellum prompti: loricis, aliiſq; plurimis armis, præcipuè aũt cuſpide, & eo breuiore, uenatorum more, in bello utuntur. Equos adeò paruos habent: ut uix credibile ſit, ad tantos labores eos ſufficere poſſe: quibus foris in bello, domiq; in colendis agris utuntur. Terram non ferro, ſed ligno proſcindunt: quod eo magis mirandum, cum terra eorum tenax, & non arenoſa ſit, quáque pinus nunquam creſcit. Araturi ligna complura, quibus terram ſubigunt, locoq; uomeris utuntur, ſecum portare ſolent: ſcilicet, ut uno fracto, aliud atq; aliud, ne quid in mora ſit, in promptu habeant. Quidam ex prouinciæ præfectis, quo prouinciales grauiore labore leuaret, mul-
C tos ferreos uomeres adferri fecerat. Cum autem eo, ſequentibusq; aliquot annis, ſegetes aliqua cœli intemperie expectationi agricolarum non reſponderent, uulguſq; agrorum ſuorum ſterilitatem ferreo uomeri adſcriberet, nec aliud quicquam in cauſa eſſe putaret, Præfectus ueritus ſeditionem, amoto ferro, ſuo eos more agros colere permiſit. Prouincia hæc nemoribus, ſyluiſq; abundat, in quibus horrendæ quandoq; uiſiones fieri ſolent. Sunt etiamnum illic idololatræ complures, qui ſerpentes quoſdam quatuor breuibus, lacertarum inſtar, pedibus, nigro obcœſoq; corpore, trium palmarum longitudinem non excedentes, Givuoites dictos, tanquam penates domi ſuæ nutriunt: eosq; luſtrata domo ſtatis diebus ad appoſitũ cibum prorepentes, cum tota familia, quoad ſaturati in locum ſuum reuertantur, timore quodam uenerãtur. Quod ſi aduerſi quid illis accideret, ſerpentẽ Deum domeſticum malè acceptum ac ſaturatum eſſe credunt. Cum priori ex Moſcovuia itinere rediens, in Troki ueniſſem, referebat hoſpes meus, ad quem fortè diuerteram, ſe eodem

quo ibi eram anno, ab eiusmodi quodam serpentis cultore aliquot aluea- A
ria apum emisse: quem cum oratione sua ad uerum Christi cultum ad-
duxisset, utq; serpentem quem colebat occideret, persuasisset, aliquanto
pòst cum ad uisendas apes suas eò reuersus fuisset, hominem facie defor-
matum, ore aurium tenus miserabilem in modũ diducto offendit. Tanti
mali causam interrogatus, respondit, se, quòd serpenti deo suo manus ne-
pharias iniecisset, ad piaculũ expiandũ, luendamq; pœnã, hac calamitate
puniri: multaq; grauiora, si ad priores ritus suos non rediret, eum pati
oportere. Hæc quamuis non in Samogithia, sed in Lithvuania sunt acta,
pro exemplo tamen adduxi. Mel nusquam melius, nobiliusue, quodq;
minus ceræ habeat, albumq; sit, quàm in Samogithia, reperiri aiunt.

Mare quod Samogithiam alluit, quodq; Baltheum, quidam Germani-
cum, alij Prutenicum, nonnulli Veneticũ: Germani uerò alludentes Bal-
theo, Pelts appellant: Sinus propriè dicitur. interluit namq; Cimbricam
Chersonesum, quam hodie Yuchtland, & Sunder Yuchtland Germani:
Latini uerò, nomine inde pariter sumpto, Iuciam uocant. Alluit & Ger- B
maniam, quam Bassam dicunt, incipiendo ab Holsatia, quæ Cimbricam
contingit: dein Lubicensem terram, item Vismariam, & Rostok, Magno
polensium Ducum ciuitates, totumq; Pomeraniæ tractum. id quod no-
men eius loci indicat. Pomorijæ enim Slavuonica lingua idem est, ac si
diceres, Iuxta mare, seu maritimum. Inde Prussiam, cuius metropolis est
Gdanum, quod & Gedanum & Dantiscũ appellatur, alluit. Porrò Ducis
Prussię sedes est, quam Germani Regium montẽ appellant. Eò loci certo
anni tempore, succinum mari innatans, magno hominum periculo, pro-
pter subitum maris accessum & recessum aliquando, piscatur. Samogi-
thiam uix IIII miliaribus contingit: atq; longo tandem tractu Livuo-
niam, & eam partẽ quã uulgo Khurland, Curetos absq; dubio uocant, &
regiones quæ Mosco subsunt: Vuinlandiã denicq;, quæ Svuetensiũ ditio
nis est, unde etiam Venedicũ nomen originẽ duxisse arbitrãtur, circum-
luit. Ab altera autẽ parte Svuetiã contingit. Totũ autem Danię regnum,
quod insulis maximè constat, in hoc sinu cõtinetur: exceptis Iucia & Scan C
da, quæ continenti adhærent. Gotlandia quoq; insula regno Daniæ sub-
iecta, in hoc sinu est: ex qua plerique Gotthos prodijsse putabant: cum ta-
men longè angustior sit, quàm quę tantam hominum multitudinẽ capere
potuisset. Præterea si Gotthi ex Scandia progressi fuissent, ex Gotlandia
in Svuetiam, & iterum reflexo per Scandiã itinere (quod rationi minimè
consentaneũ est) oportuisset eos reuerti. In Gothia insula adhuc Vuijsby
ciuitatis ruinæ extant, in qua omnium illac præternauigantiũ lites ac con-
trouersiæ cognoscebantur, ac constituebantur: eò etiam ex longinquis
illis maritimis locis causæ ac negotia deferebantur, prouocabanturq;.

Livuonia prouincia in longitudine secundum mare protenditur. Hu-
ius metropolis est Riga, cui Teutonici ordinis magister prę est. In ea, prę-
ter Rigensem archiepiscopum, Riualiensis & Osiliensis episcopi sunt.
Oppida habet complura: præcipuè autem ciuitatem Rigam ad fluuium
Dvuina, non longè ab ostijs: item Revualiã & Derbteñ ciuitates. Revua-

liam

A liam Rutheni Rolivuan: Derbt uerò Iuryovugorod appellant. Riga nomen ſuum utraq; lingua retinet. Fluuios nauigabiles, Rubonem & Nervuam habet. Huius prouinciæ Princeps, fratres ordinis, quorum primi Commendatores uocantur, item proceres & ciues, Germani ferè omnes ſunt. Plebs ut tribus ferè linguis utitur, ita in tres ordines ſeu tribus eſt diuiſa. In Livuoniam ex Germaniæ principatibus, Iuliacenſi, Geldrenſi, & Monaſterienſi, quotannis noui & ſeruitores & milites deducuntur: quorum pars in demortuorum, alij in eorum locum qui defuncti annuo officio, quaſi manumiſsi in patriam redeunt, ſuccedunt. Inſigni equorum copia adeò abundãt, firmiq; ſunt, ut hactenus tam regis Poloniæ, quàm magni Ducis Moſcovuiæ hoſtiles & frequentes in agros eorum incurſiones fortiter ſuſtinuerint, ſeq; ſtrenuè defenderint.

Anno Domini 1502, menſe Septembri, Alexander Poloniæ rex, magnusq; Lithvuaniæ Dux, Magiſtrum Livuonienſem Vualtherum à Pleterberg, pactionibus quibuſdam induxit, ut ipſe inſtructo exercitu Mo-
B ſcovuiæ Ducis prouincias aggrederetur: pollicitus, ubi is hoſtilẽ terram attigiſſet, cum magno ſe exercitu affuturum. Sedenim Rex cum ad conſtitutum tempus, ſicuti receperat, non ueniſſet, Moſciq; cognito hoſtium aduẽtu, ingenti multitudine magiſtro occurriſſent, isq; cum ſe deſertum uideret, neq; ſine ſumma turpitudine periculoq; retrocedere poſſet, ſuos primùm pro tempore paucis adhortatus, mox exoneratis tormentis, ſtrenuè hoſtẽ aggreditur: primoq; impetu Ruthenos diſsipat, atq; in fugam conuertit. Cum autem pro numero hoſtium pauciores eſſent uictores, grauioreq; armatura præpediti, hoſtem longius perſequi non poſſent: Moſci re cognita, recuperatis animis, denuò in ordines redeunt, atq; Pleterbergij peditatum, qui circiter mille quingenti inſtructa phalange hoſti ſe oppoſuerunt, aggreſsi ſtrenuè cædunt. In ea pugna Præfectus Matthæus Pernauer, cum fratre Henrico, & uexillifero Conrado Schvuartz, periere. Huius uexilliferi egregium facinus memoratur. nam cum hoſtium telis obrutus, confectusq; diutius ſtare non poſſet, priuſquam occum-
C beret, alta uoce uirum aliquem fortem, qui uexillum à ſe reciperet, inclamabat. ad cuius uocem Lucas Hamerſteter, qui ſe ex Braunſuicenſibus ducibus, illegitimo tamen thoro, oriundum gloriaretur, illicò accurrens, uexillum ex moribundi manibus capere nitebatur. quem Conradus, ſiue quòd ſuſpectam haberet illius fidem, ſiue quòd tanto honore indignum eſſe arbitraretur, tradere recuſauit. Cuius iniuriæ Lucas impatiens, educto gladio manum Conradi cum uexillo amputat. Conradus nihilominus uexillum altera manu & dentibus mordicus apprehendens, tenet, laceratq;. Lucas uexilli fragmentis arreptis, proditisq; peditum copijs, ad Ruthenos deficit. Huius defectione factum eſt, ut quadringenti ferè pedites ab hoſtibus miſerè trucidarentur: reliqua turba cum equitatu, ſeruatis ordinibus, ad ſuos incolumes rediere. Huius cladis autor Lucas, poſtea à Moſcis captus, atq; in Moſcovuiam miſſus, in aula principis aliquãdiu honeſto loco fuit. Verùm is acceptę à Moſcis iniuriæ impatiẽs, ex Moſcovuia clam ad Chriſtiernũ Daniæ regẽ poſtea

profugit, à quo tormentis præficitur. Cum autem pedites aliqui, qui ex ea A
clade euaserant, in Daniam elapsi, illius proditionem Regi indicassent,
nec cum eo unà militare uellent, rex Christiernus eum in Stockholm
misit: mutatoq; pòst regni statu, Iostericus, aliàs Gustaus Svuetiæ rex,
recuperata Stockholm, Lucam ibi inuentum, numero familiarium suo-
rum ascribit, & Vuiburg oppido præficit: ubi cum nescio cuius crimi-
nis se insimulari cerneret, ueritus grauiora, denuò in Moscovuiam se
recepit: ubi ego illum honorificè uestitum, inter Principis stipendia-
rios uidi.

Svuetia imperio Mosci contermina, Nortvuegiæ & Scandiæ non se-
cus coniuncta est, atque Italia Neapolitano regno & Pedemonti: ma-
risq; Baltheo, dein Oceano, & eo quod nunc Glaciale appellamus, cir-
cumquaq; ferè alluitur. Svuetia, cuius regia Holmia, quam incolæ Stoc-
kolm, Rutheni Stecolna appellant, amplissimum regnum, multas &
uarias nationes complectitur: inter quas uirtute bellica celebres Gotthi,
qui in Ostrogothos, id est orientales: & Vestrogothos, id est occiden- B
tales Gotthos, pro regionum quas incolunt situ, diuisi: indeq; progressi,
toti orbi, ut plericq; scriptores memoriæ prodiderunt, terrori fuere.

Nortvuegia, quam quidam Nortvuagiam appellant, longo tractu
Svuetiæ adiacet, marique alluitur. Atq; ut hæc à Sud, id est Meridie: ita
illa à Nort, id est Septentrione, ad quem sita est, nomen accepit. Germani
enim quatuor orbis plagis uernacula nomina indidere, prouinciasq; his
adiacentes inde denominauere. Ost enim, Orientem significat: unde
Austria, quam Germani propriè exprimunt, Osterreich. Vuest, Occi-
dentem: à quo Vuestualia, ita à Sud & Nort, ut dictum est, Svuetia &
Nortvuegia.

Scandia uerò non est insula, sed continens, Svuetiæ regni pars, quæ
longo tractu Gotthos contingit, & cuius nunc bonam partem rex
Daniæ possidet. Cæterùm cum eam, harum rerum Scriptores, maio-
rem ipsa Svuetia fecerint, ex eaq; Gotthos & Longobardos progressos
fuisse retulerint: uidentur, mea quidem sententia, hæc tria regna ueluti C
integrum quoddam corpus, Scandiæ duntaxat nomine comprehen-
disse: quia tum illa terræ pars inter mare Baltheum, quod Finlandiam
alluit, & Glaciale mare, incognita fuit: quæq; adhuc propter tot palu-
des, innumeros fluuios & intemperiem cœli inculta, atq; parum co-
gnita est. Quæ res fecit, ut plerique hanc immensæ magnitudinis in-
sulam, uno Scandiæ nomine appellarent.

De Corela suprà dictum est, eam & regi Svuetiæ, & principi Mo-
scovuiæ, quòd ditioni utriusq; Principis interposita est, tributariam
esse. eaq; re uterq; suam esse gloriatur: cuius fines ad mare Glaciale usq;
protenduntur. Cæterùm cum de Glaciali mari uaria multaq; à plerisq;
scriptoribus tradantur, haud abs re fore uisum est, si illius ma-
ris nauigationem paucis subiungam.

Nauiga-

NAVIGATIO PER MARE Glaciale.

A  Vo tempore Sereniſsimi Principis mei Oratorem apud magnum Ducem Moſcouiæ agebam, aderat fortè Gregorius Iſtoma, Principis illius interpres, homo induſtrius, qui apud Ioannem Daniæ regem, linguam Latinam didicerat. is anno Domini 1496, à ſuo Principe cum magiſtro Dauid natione Scoto, regis Daniæ tunc Oratore, quem ego quoq; priori legatione illic cognoui, ad regem Daniæ miſſus, totius itineris ſui rationem nobis compendiò retulit: quòd cùm nobis in tanta locorum difficultate arduum & nimis laboriosum uideretur, paucis, ſicuti ab eo accepi, deſcribere uolui. Principiò dicebat, ſe cum Dauidiam dicto oratore, à Principe ſuo dimiſſos, Novuogardiam magnã peruenisſe. Cum aũt eo tempore regnum Svuetiæ à rege Daniæ defeciſſet, ad hęc Moſcus cũ Svuetenſibus diſſideret, atq; adeò cõmune & conſuetũ iter illi propter tumultus bellicos tenere
B non poſſent, aliud iter longius quidem, ac tutius ingreſſos fuiſſe: ac primùm quidem ex Novuogardia ad oſtia Dvuinæ ac Potivulo, difficili admodum itinere peruenisſe. Dicebat autẽ iter hoc, quod ob moleſtias et labores nunquã ſatis deteſtari poterat, eſſe ſpacio trecentorũ mil. Conſcenſis denicq; in Dvuinæ oſtijs quatuor nauiculis, littus Oceani dextrũ ſe nauigando tenuiſſe, ibicq; montes altos & aſperos uidiſſe: tandem confectis XVI. mil. ſinucq; quodam traiecto, littus ſiniſtrum adnauigaſſe, atq; mari amplo à dextris relicto, quod à Petzora fluuio, quemadmodum & adiacentes montes, nomen habet, ad Finlappiæ populos peruenisſe: qui etſi humilibus in caſis paſsim ſecundum mare habitant, ferinamq; propemodum uitã ducant, feris tamẽ Lappis ſunt manſuetiores. Eos Moſco uectigales eſſe dicebat. Relicta poſtea Lapporum terra, ac octuaginta mil. nauigatione confecta, Nortpoden regionem, regi Svuetiæ ſubiectam, attigiſſe. Hanc Rutheni Kaienska Semla, populos uerò Kayeni appellãt. inde emenſo ac ſuperato littore flexuoſo, quòd in dextrum protendebatur,
C ad promontorium quoddam, quod Sanctum Naſum appellant, ſe peruenisſe dicebat. Eſt autem Sanctus Naſus, ſaxum ingens, ad naſi ſimilitudinem in mare prominens: ſub quo antrum uorticoſum cõſpicitur, quod ſingulis ſex horis mare abſorbet, ac alternatim magno ſonitu reddit euomitq; eiuſmodi uoraginẽ. Alij umbilicum maris, alij Charybdim dixere. Tantam autem huius gurgitis uim eſſe, ut naues aliasq; in propinquo res attraheret, inuolueret atq; abſorberet: neque ſe unquam in maiori periculo fuiſſe aiebat. Nam gurgite ſubitò ac uiolenter nauem, qua uehebantur, ad ſe attrahente, uix magno labore renitentibus remis ſeſe euaſiſſe. Superato S. Naſo, ad quendam montem ſaxoſum, quem circumire oportebat, peruenisſe: ubi cum uentis reflantibus aliquot diebus detinerentur, nauta, Saxum (inquit) hoc quod cernitis, Semes appellant: quod niſi munere aliquo à nobis placatum fuerit, haud facilè præteribimus. quem Iſthoma, ob uanam ſuperſtitionem ſe increpaſſe aiebat. increpatus nauta ſubticuit, totoq; illic quatriduo ui tempeſtatis retentos, uentis

poſtea

poſtea quieſcẽtibus, ſoluiſſe. Cumq; ſecundo iam flatu ueherẽtur, naucle- A
rum dixiſſe: Vos admonitionẽ meam de placando Semes ſaxo, tanquam
uanam ſuperſtitionem irridebatis: at niſi ego noctu clàm aſcẽſo ſcopulo,
Semes placaſſem, nequaquam tranſitus nobis conceſſus fuiſſet. Interro-
gatus, quid Semi obtuliſſet: auenæ farinam butyro permixtam, ſuper la-
pidem quem prominere uidimus, ſe fudiſſe dicebat. Poſtea cum ita naui-
garent, aliud ingens promontorium, Motka nomine, ad peninſulæ ſpe-
ciem ipſis occurriſſe: in cuius extremitate Barthus caſtrum, quod præ-
ſidialem domum ſignificat, eſſet. Habent enim ibi reges Nordvuegiæ,
ad defendendos fines, militare præſidium. Tantam autem eius promon-
torij lõgitudinem in mare eſſe dicebat, ut uix octo diebus circumiri poſ-
ſet, qua mora ne impedirẽtur, & nauiculas & ſarcinulas per Iſthmum di-
midij miliaris interuallo, magno labore, humeris traduxerunt. Dein in
Dikilopporum, qui feri Loppi ſunt, regionem, ad locum Dront nomine,
qui ducentis à Dvuina in Septentrionem miliaribus abeſt, nauigaſſe, atq;
eo uſq; Moſcouiæ Principem, ut ipſi narrant, tributa exigere ſolere. Re- B
lictis porrò ibi ſcaphis, reliquũ itineris terra trahis confeciſſe. Referebat
præterea, ceruorum ibi greges, ut apud nos boum, eſſe, qui Nordvue-
gorum lingua Rhen uocantur, noſtratibusq; ceruis aliquanto maiores
ſunt: quibus Loppi uice iumentorum utantur, hoc modo. Vehiculo in
ſcaphę piſcatoriæ formã facto, ceruos iungũt: in quo homo, ne citato cer
uorum curſu excidat, pedibus alligatur. Lorum, quo ceruorũ curſum mo
deratur, ſiniſtra: dextra uerò manu baculũ tenet, quo uehiculi, ſi fortè in
aliquã partẽ plus æquo uergeret, caſum ſuſtineat. atq; eo uehendi genere
uiginti miliaria ſe uno die confeciſſe, ceruumq; tandem dimiſiſſe: quem
ad dominũ ſuum ſtabulaq; conſueta ſponte redijſſe, dicebat. Eo tandem
itinere cõfecto, ad Berges ciuitatẽ Nordvuegię, rectà in Septentrionem
inter montes poſitam, indeq; equitatione in Daniam peruenisse. Ce-
terùm apud Dront & Berges in ſolſtitio æſtiuali, dies uigintiduarum
horarum eſſe dicitur. Blaſius alter Principis interpres, qui paucos ante
annos à Principe ſuo ad Cæſarem in Hiſpaniam miſſus fuerat, diuer- C
ſam, magisq; cõpendiariam itineris ſui rationẽ nobis expoſuit. Dicebat
enim, cum ad Ioannem regem Daniæ miſſus fuiſſet ex Moſcouia, Ro-
ſtovu uſq; pedes ueniſſe: conſcenſisq; nauibus Pereaslavu, à Pereaslavu
per Vuolgam in Caſtromovu: indeq; ſeptem vuerſt terreſtri itinere ad
fluuiolum quendam ſe peruenisse, per quem cum in Vuolochdam pri-
mùm, Suchanam deinde, & Dvuinã, ad Berges uſq; Norvuegiæ urbem
nauigaſſet, omniaque pericula & labores quos Iſthoma ſuprà retulit, na-
uigando ſuperaſſet, rectà tandem Hafniã Daniæ metropolim, quæ Ger-
manis Koppenhagen dicitur, peruenisse. In reditu utercq; ſe per Livuoniã
in Moſcouiam reuerſos fuiſſe, illudq; iter annuo ſpacio confeciſſe dice-
bat. quamuis alter, Gregorius Iſthoma, ſe media huius tẽporis parte tem
peſtatibus in pleriſq; locis detentum & remoratum fuiſſe aiebat. Vterq;
tamen conſtanter affirmabat, ſe mille & ſeptingẽta vuerſt, hoc eſt 340 mi-
liaria hoc itinere peragraſſe. Demetrius itẽ ille, qui nouiſsimè apud ſum

mum

A mum Pontificem Romæ Oratorem egit, ex cuius etiam relatione Paulus Iouius Moſcouuiã ſuam deſcripſit, perq́ hoc ipſum iter in Nordvuegiam & Daniã miſſus uenerat, omnia ſuprà dicta ita ſe habere confirmauit. Cæterùm hi omnes, de congelato ſeu glaciali mari à me interrogati, nihil aliud reſponderunt, quàm ſe in maritimis locis plurimos & maximos fluuios, quorum uehementi & copioſo in fluxu maria longis ſpaciis ab ipſis littoribus propelluntur, uidiſſe, eosq́ue ab ipſis littoribus per certa ſpacia unà cũ mari congelari: uti fit in Liuuonia, aliisq́ Svuetiæ partibus. quamuis enim concurrentium uentorum impetu glacies in mari frangatur, in fluminibus tamen rarò, uel nunquam, niſi inundatio aliqua ſuperueniat, glacies tum congeſta eleuatur, aut frangitur. nam glacierum fruſta, fluuiorũ ui in mare delata, per totũ ferè annum ſupernatant: adeoq́ frigoris uehementia denuò cõcreſcunt, ut aliquando plurium annorum glaciem in unum concretam, ibi cernere liceat. id quod ex fruſtis, quæ à uentis in littus propelluntur, facilè cognoſcitur. Equidem & Bal-

B theum mare in plurimis locis & ſæpius congelari, à fide dignis audiui. Dicebant, etiam in ea regione, quæ à feris Loppis habitatur, Solem æſtiuali ſolſtitio quadraginta diebus non occidere: tribus tamen noctis horis corpus ſolis caligine quadam obductum, ut radij illius non appareant, uideri: tantumq́ luminis nihilominus præbere, ut nemo à labore ſuo tenebris excludatur. Moſci iactant, ſe ex illis feris Loppis habere uectigal. quod etſi ueriſimile non ſit, mirum tamen non eſt, cum alios uicinos ab ipſis uectigal exigentes non habeant. Tributi autem loco pelles & piſces, cum aliud non habeant, pendunt. Perſoluto autem annuo tributo, nemini ſe quicquam debere, ſuiq́ue ſe iuris eſſe gloriantur. Loppi quamuis pane, ſale, aliisq́ue gulæ irritamentis careant, ſolisq́ue piſcibus & feris utantur, multum tamen proni in libidinem eſſe perhibentur. Sagittarij porrò peritiſsimi omnes, adeò ut ſi quas nobiliores in uenatione feras nanciſcantur, eas quò pelle integra & immaculata potiantur, miſſa in proboſcidem ſagitta interficiunt. Mercatores, alióſ-

C que hoſpites peregrinos, domi cum uxore, uenatum euntes relinquunt. reuerſi, ſi uxorem hoſpitis conſuetudine lætam ac ſolito hilariorem reperiant, munere aliquo hunc donant: ſin minus, turpiter expellunt. Iam conſuetudine hominum externorum, qui quæſtus gratia eò commeant, innatam feritatem deponere, ac manſuetiores fieri incipiunt. Mercatores libenter admittunt, à quibus ex craſſo panno ueſtes, item ſecures, acus, cochlearia, cultri, pocula, farina, ollæ, idq́ genus alia ipſis afferuntur: ita ut coctis iam cibis ueſcantur, humanioresq́ mores induerint. Veſtibus, quas ipſi ex diuerſis ferarũ pellibus cõſuunt, utuntur, eoq́ habitu in Moſcouiam aliquãdo ueniunt: pauciſsimi tamẽ caligis, ac pileis, ex pelle ceruina confectis, utuntur. Nullus illis aureæ & argenteæ monetæ uſus, ſola rerum permutatione contentis: & cum aliorum idiomata non calleant, apud exteros muti propemodũ eſſe uidentur. Tuguriola ſua corticibus arborum tegunt: & nuſquam certas ſedes habent, ſed abſumptis uno loco feris ac piſcibus, alió migrant. Narrabant etiam prædicti

Moſco-

Moſcouiæ Principis Oratores, ſe in eiſdem partibus altiſsimos montes, A
ad Ætnę ſimilitudinẽ flammas ſemper eructantes uidiſſe: & in ipſa Nort-
vuegia multos montes perpetua cõflagratione corruiſſe. Quare adducti
quidam, purgatoriũ ignem ibi eſſe fabulãtur. de quibus montibus, dum
legatione apud Chriſtiernum Danorum regem fungerer, eadem ferè ab
Nordvuegię Præfectis, qui tum fortè aderãt, accepi. Circa oſtia Petzoræ
fluuij, quæ ſunt dextrorſum ab oſtijs Dvuinæ, uaria magnaq; in Oceano
dicuntur eſſe animalia. Inter alia autem, animal quoddam magnitudine
bouis, quod accolæ Mors appellant. Breues huic, inſtar caſtorum, ſunt
pedes: pectore pro reliqui corporis ſui proportione aliquanto altiore, la-
tioreq;, dentibus ſuperioribus duobus in longũ prominentibus. Hoc ani
mal ſobolis ac quietis cauſa, cum ſui generis animalibus, Oceano relicto,
gregatim montes petit: ubi antequam ſomno, quo natura profundiore
opprimitur, ſe dederit, uigilem, gruum inſtar, ex ſuo numero conſtituit:
qui ſi obdormiſcat, aut forte à uenatore occidatur, reliqua tum facilè capi
poſſunt: ſin mugitu, ut ſolet, ſignũ dederit, mox reliquus grex excitatus, B
poſterioribus pedibus dentibus admotis, ſumma celeritate, tanquã uehi-
culo per montẽ delapſi, in Oceanum ſe precipitant: ubi in ſupernatãtibus
glacierũ fruſtis pro tempore etiã quieſcere ſolent. Ea animalia uenatores,
ſolos propter dentes inſectantur: ex quibus Moſci, Tartari, & in primis
Turci, gladiorum & pugionum manubria affabrè faciunt: his'que pro
ornamento magis, quàm ut grauiores ictus (ut quidam fabulatus eſt) in-
cutiant, utuntur. Porrò apud Turcos, Moſcos & Tartaros hi dentes pon
dere ueneunt, piſciumq; dentes uocantur.

Mare Glaciale ultra Dvuinam, ad Petſchora, & Obi oſtia uſque, longé
latéq; protenditur: ultra quæ Engronelandt regionẽ eſſe aiunt. Eam cum
ob altos montes, qui perpetuis niuibus obſiti rigent, tum perpetuam gla
ciem mari innatantem (quæ nauigationem impediat, periculoſamq; fa-
ciat) à conuerſatione ſeu commercio noſtrorum hominum ſeiunctam,
atque ideo incognitam eſſe audio. C

DE MODO EXCIPIENDI ET *tractandi Oratores.*

ORator in Moſcouiã proficiſcens, eiusq; limitibus appropin-
quans, nuncium ad proximam ciuitatem mittit, qui eius ciui-
tatis Prefecto indicet, ſe Oratorem talis Domini, limites Prin-
cipis ingreſſurum. Mox Præfectus, non ſolum à quo Principe
mittatur, ſed cuius etiam conditionis, dignitatis'ue ſit ipſe Orator, item
quotus ueniat, diligenter inquirit: quibus cognitis, aliquem cum comi-
tatu, habita tam Principis à quo mittatur, dignitate, quàm Oratoris ratio-
ne, ad excipiendum & deducendum Oratorem mittit. Interim etiam ma
gno Duci, unde & à quo ueniat, cõtinuò ſignificat. Miſſus, ex itinere pa-
riter aliquem ex ſuis præmittit, qui Oratori ſignificet, Magnũ hominem
aduenire, qui eum certo loco (locum deſignans) excepturus ſit. Porrò
Magni hominis titulo propterea utuntur, quòd illud prædicatum Ma-

gnus,

A gnus,tribuitur omnibus excellentioribus perſonis.neq; enim quẽquam ſtrenuum,aut nobilem,aut Baronem,illuſtrem aut magnificum uocant, aut alio denicq; id genus titulo ornant. Cæterùm in congreſſu,miſſus ille adeò nõ cedit loco,ut niuem hyberno tempore,ubi ſubſiſtit, uerrere,ſeu terere ita iubeat, quò Orator præterire queat, ipſe interim uia trita, ſeu publica non cedit. Præterea in cõgreſſu & hoc obſeruare ſolent. mittunt nuncium ad Oratorem,qui eum admoneat, ut ex equo aut uehiculo deſcendat:ſi autem aliquis aut laſsitudinem,aut ægritudinem cauſatus fuerit,tũ reſpondent:quod nec proferre,nec audire uerba Domini,niſi ſtando liceat. Imò miſſus diligenter cauet, ne prior ex equo aut uehiculo deſcendat,ne uideatur hac re derogare domino ſuo.quin ubi Oratorem ex equo deſcendere animaduertit,tum primùm & ipſe deſcendit.

In priore mea legatione nunciabam occurrẽti extra Moſcouiam,me feſſum eſſe de uia,& ut in equis expediremus expedienda. At ſibi id faciundum (repetita priore cauſa) nequaquã uidebatur. Interpretes & alij
B iam deſcẽderant,monentes me, ut & ego deſcenderem. Quibus reſpondebam,quamprimum Moſcus deſcendet, me quoq; deſcẽſurum. Equidem cum uiderem ipſos eam rem tãti facere, deeſſe ipſe quoq; Domino meo,eiusq; minuere authoritatem,pariter nolui. Sedenim prior deſcendere cum renueret,illa' que ſuperbia aliquantiſper protraheretur, finem facere uolens,moui pedem ex ſubijce ephippiario, tãquam deſcenſurus. qua re animaduerſa, miſſus continuò ex equo deſcendit: ego uerò lentè me ex equo detuli,ita ut illum à me illuſum eſſe pœnituerit.

Sub hæc accedẽs,aperto capite inquit:Magni domini Baſilij, Dei gratia regis & domini totius Ruſsiæ,& magni ducis,&c. (recitando potiores principatus) Locũtenens & Capitaneus N. prouinciæ,&c.iuſsit tibi ſignificare. Poſtquam intellexit te Oratorẽ tanti domini, ad magnum dominum noſtrum uenire,miſit nos tibi obuiã,ut te ad ſe deduceremus. (repetẽdo titulum Principis,& Locũtenentis.) Præterea nobis demandatũ eſt,ut inquireremus, quàm ſanè equitaueris. (is enim modus eſt in
C excipiẽdo, Quàm ſanè equitaſti?) Dein Oratori dextram miſſus porrigit:neq; rurſus honorem prior exhibet, niſi uideat Oratorẽ caput ſuum aperire. Sub hęc,humanitatis fortè officio adductus, ultrò Oratorẽ compellat,quærẽs,quàm ſanè equitaſſet. Poſtremò dat ſignũ manu innuens, Aſcende & uade. Conſcenſis tandem equis, aut uehiculis, ſubſiſtit loco unà cũ ſuis:neq; uia cedit Oratori,ſed poſtremus à longe ſequit, curatq; diligẽter ne quiſq; retrocedat,aut ſubſequatur:procedẽte Oratore,mox ſciſcitãtur primũ nomen Oratoris,& ſingulorũ ſeruitorũ: item nomina parentum,& ex qua quiſq; prouincia oriundus ſit,qualem quiſq; calleat linguam,& cuius ſit cõditionis,an principis alicuius ſeruitor, an Oratoris conſanguineus, aut affinis ſit: & an prius quoq; in eorum prouincia fuerit. quæ ſingula ad magnum ducem per literas cõtinuò referunt. Porrò cum paululum progreſſus eſt Orator, occurrit homo, mandatum dicens ſe à Locumtenẽte habere, ut ſibi de omnibus neceſſarijs prouideat.

Dobrouna igitur,oppidulo Lithuaniæ,ad Boryſthenẽ ſito,egreſsi,

octoq́ eodem die miliaribus confectis, cum limites Moſcouiæ attigiſ- A
ſemus, ſub diuo pernoctauimus: fluuiolum aquis redundantem ponte
ſtrauimus, ut poſt mediam noctem inde progredi, & Smolentzko per-
uenire poſſemus. Nã ab ingreſſu, ſeu limite, in principatum Moſcouiæ,
Smolentzko ciuitas duodecim miliarib. tantum Germanicis diſtat. Ma
nè cum ad unum ferè miliare Ger. progreſsi eſſemus, honorificè ſuſcipi-
mur: atq́ inde uix ad dimidiũ miliare progreſsi, loco ſub diuo nobis con
ſti tuto patiẽter pernoctauimus: poſtero die rurſus ad duo miliaria pro-
greſsis, locus pernoctandi conſtitutus fuit, ubi à deductore noſtro pro-
lixè & lautè accepti ſumus. Cæterùm ſequẽti die (quæ erat dies Palma-
rum) quamuis ſeruitoribus noſtris mandaueramus, ut nullibi ſubſiſte-
rent, quin cum ſarcinis rectà Smolentzko contenderent: eos tamen, uix
ad duo miliaria Ger. progreſsi, in loco ad pernoctandum conſtituto de-
tentos inuenimus. Nos autem cum ulterius pergentes uiderẽt, obſecra-
bant, ut ſaltem ibi prandium ſumeremus. quibus parendum erat. Ea ete-
nim die deductor noſter, Oratores ſui domini ex Hiſpania à Cæſare no- B
biſcum reuertentes, Knes Ioãnem Poſetzen Iaroslavuski, & Simeonem
Trophimovu ſecretarium inuitauerat. Ego, qui ſciebam cauſam, cur nos
tam diu in his ſolitudinibus detinerent (miſerant etenim ex Smolentz-
ko ad magnum Ducem, nunciando aduentum noſtrum, expectantes re-
ſponſum, an liceret nos ducere in caſtrũ, nec'ne) uolui experiri animum
illorum, ingrediorq́ uiam Smolentzko uerſus. Id alij procuratores cum
animaduertunt, eueſtigiò ad deductorem currunt, diſceſſum noſtrum
nunciant: mox reuerſi, orant, miſcentes etiam precibus minas, ut mane-
remus. Sed illis interea huc atq́ illuc curſitantibus, cum ad tertium ferè
pernoctandi locum peruenisſemus, meus procurator inquit: Sigiſmun-
de quid agis? cur pro arbitrio tuo in alienis dominijs contra ordinatio-
nem domini progrederis? Cui reſpondi: Equidem non ſum aſſuetus in
ſyluis, more ferarũ, ſed ſub tectis & inter homines uiuere. Oratores do-
mini ueſtri tranſierunt per regnum domini mei pro arbitrio ſuo, & de-
ducti ſunt per ciuitates, oppida & uillas. Hoc idem & mihi liceat. Neq́ C
eſt mandatum domini ueſtri, neq́ cauſam neceſsitatem'ue tantæ moræ
uideo. Poſtea aiunt ſeſe parum deflexuros, cauſantes noctem iam immi-
nere: præterea ſerò caſtrũ ingredi haudquaquam cõuenire. Horum aũt
nos cauſas, quas prætendebant, contẽnentes, rectà Smolẽtzko cõtendi-
mus: ubi tã anguſtis tuguriolis, procul à caſtro accepti fuimus, ut equos,
niſi prius effractis ianuis, inducere non potuerimus. Sequenti die rurſus
per Boryſthenem traducti, ex oppoſito ferè caſtri ad Boryſthenem per-
noctauimus. Tandem Locumtenens per ſuos nos excipit, atque quin-
tuplici ferè potu honorat: Maluatico ſcilicet, & Græco uino, cætera e-
rant medones uarij, item pane & certis ferculis. Manſimus in Smolentz-
ko decem dies, expectantes reſponſum magni Ducis. Venerant autem
duo nobiles à magno Duce, ut noſtri curam haberent, nosq́ Moſco-
uiã deducerent. Ædes uerò utriuſq́ noſtrûm ingreſsi, ornati commo-
dis ueſtibus, nequaquã caput aperientes, putabant id nos priores facere
oportere:

A oportere: quod tamen neglexímus. Poſtremò, cum mandatum Principis utrinq; referendum & audiendum eſſet, prolato Principis nomine, honorem exhibuímus. Cæterùm quemadmodum uarijs in locis detenti, tardius Smolentzko ueneramus: ita ibi quoq; diutius quàm par fuit, detinebamur. Ne autem longiore mora grauius offenderemur, aut ipſi deſiderio quodammodo noſtro deeſſe uidereꝫtur, ſemel atq; iterum nos acceſſerant, dicentes, Cras manè diſcedemus. Nos itaq; manè equos celeriter adornauimus, accinctiq; tota die expectauimus. Tandem ueſperi cum quadam pompa ueniunt, ſeq; eo die haudquaquam expedire potuiſſe reſpondent. Cras manè tamen rurſus, ut antea, iter ſeſe ingreſſuros pollicentur: quod pariter diſtulerunt. nam uix tertia die poſt, circameridiem diſceſſeramus, eaq; tota die ieiunauimus. Sequenti quoq; die longius iter conſtituerant, quàm quò currus noſtri peruenire poſſent. Interea tẽporis omnes fluuij hybernis niuibus diſſolutis, aquarum multitudine redundabant. Riuuli quoq; nullis coerciti ripis, ingẽtem aquarum
B uim uoluebant: adeò ut tutò, citraq; maximos labores tranſiri non poſſent. Pontes enim ante horam, duas aut tres facti, exundantibus aquis natabãt. Parum igitur abfuit, quin Comes Leonhardus de Nugarolis, Cæſaris Orator, altera die poſt diſceſſum à Smolentzko, ſubmerſus fuiſſet. Equidem dum in ponte iamiam natante ſtarem, curaremq; ut impedimenta tranſportarentur, equus ſub eo conciderat, eumq; in cęca ripa reliquerat. Procuratores duo illi, proximi tum Comiti, ne pedem quidem auxilij ferẽdi gratia mouiſſent: adeò ut niſi alij à lõgè accurriſſent, eumq; iuuiſſent, actum de eo fuiſſet. Veneramus eo die ad quendam pontem, quem Comes cum ſuis maximo periculo trãſierat. Ego, qui currus ſciebam haud ſubſequuturos, citra pontem manſi, & uillici cuiuſdã domum ſum ingreſſus. Et cum procuratorem negligentius cibũ curare uiderem, propterea quòd ſeſe commeatum præmiſiſſe reſponderet: ipſe à matrefamiliàs cibum, quem libenter & iuſto precio dabat, comparabam. Hoc ille ubi reſciuit, matronæ illico inhibuit, ne quicq; mihi uenderet. Quod
C cum animaduerti, nuncium illius accerſi, mandauiq; ut procuratori diceret, ut aut cibum tempeſtiuè ipſe curet, aut emendi copiam permittat: quod niſi faciat, caput ſim illi diminuturus. Noui, inquam, morem ueſtrum: multa conquiritis ex mãdato domini, & hoc noſtro nomine, quæ tamen nobis non porrigitis. ad hoc non permittitis, ut noſtris ſumptibus uiuamus. minatus ſum, hæc me Principi dicturum. His uerbis minui illius authoritatẽ, ita ut deinceps me non ſolum obſeruaret, ſed quodammodo ueneraretur. Poſt uenimus ad confluxũ Voppi & Boryſthenis fluuiorum, ibiq; onerauimus Boryſthenẽ ſarcinulis noſtris, quæ Moſaisko uſq; aduerſo flumine portabãtur: nos uerò Boryſthene ſuperato, in quodam monaſterio pernoctauimus. Sequenti die equi noſtri in ſpacio dimidij miliaris Ger. tres fluuios, alioſq; plurimos riuulos redũdantes, non ſine periculo natare cogebãtur. Nos illos per Boryſthenem ſcalmis piſcatorijs à monacho quodam uecti circũiuimus, atq; tandẽ XXVI Aprilis Moſcouiã attigimus. A qua cum dimidio mil. Ger. abeſſemus,

occurrit nobis festinabundus, sudoreq́ diffluens, senex ille secretarius, A
qui in Hispanijs legatus erat, nuncians, dominum suum nobis obuiam
mittere magnos homines: nominans eos, qui nos præstolarentur, excep-
turíq́ essent. Ad hæc ait, decere ut in congressu ex equis descendamus,
& stantes uerba domini audiamus. Postea manu porrecta confabulaba-
mur. Equidem inter alia causam tanti sudoris cum quæsiuissem, mox al-
ta uoce respondit: Sigismunde, est alius mos seruiẽdi apud dominum no
strum, quàm tuum. Porrò dum ita progredimur, uidemus longo ordi-
ne, ueluti exercitum quendam, stantes: atq́ mox, nobis appropinquan-
tibus, ex equis descendentes: quod & ipsi uicissim fecimus. Cæterùm in
ipso congressu, quidam initiò ita orsus est: Magnus Dominus Basilius,
Dei gratia rex & dominus totius Russiæ, &c. (totum titulum recitans)
intellexit, uos Oratores fratris sui Caroli electi Rom. Imp. & supremi re-
gis, ac eius fratris Ferdinandi, aduenisse: misit nos suos consiliarios, no-
bisq́ iniunxit, ut à uobis inquireremus, quàm sanus esset frater suus Ca-
rolus Rom. Imp. & supremus rex. Sub hæc, similiter de Ferdinando. Se B
cundus ad Comitẽ: Leonharde Comes, inquit, Magnus Dominus (to-
tum titulum recensens) iniunxit mihi, ut tibi obuiam irem, teq́ in hospi
tium usq́ deducerem, tibíq́ de omnibus necessarijs prouiderem. Ter-
tius hoc idem ad me dixit. Hæc aperto capite, utrinq́ cum dicta & audi-
ta essent, primus rursus inquit: Magnus Dominus (recitando titulum)
iussit, ut ex te, Leonharde Comes, inquirerẽ, quàm sanè equitasses. Hoc
idem ad me. Quibus iuxta eorum consuetudinem respondimus: Deus
det sanitatem magno Principi. Clemẽtia autem Dei & gratia Magni du
cis sani equitauimus. Idem hoc rursus: Magnus dux, &c. (subinde titu-
lum repetens) misit tibi Leonharde gradarium cum ephippio, & alium
quoq́ equum ex suo stabulo. Hæc eadem ad me. Ad quæ cum gratias e-
gissemus, porrigunt nobis manus, & uterq́ utrumq́ nostrûm ordine
interrogant, quàm sanè equitassemus. Tandem dicebant, Decere ut do-
minum eorum honoremus, equosq́ donatos conscendamus: quod qui-
dem fecimus. atq́ fluuio Moscua traiecto, præmissisq́ alijs omnibus, C
subsequimur. In ripa porrò est monasteriũ: inde per planiciem, per que
medias hominum turbas, quæ undiq́ accurrebant, in ciuitatem, atq́ a-
deò diuersoria ex opposito sita deducti sumus. Erant autem ædes uacuę
& habitatoribus, & omni supellectile. Vterq́ uerò procurator indica-
bat suo Oratori, se unà cum illis procuratoribus qui nobiscum ex Smo-
lentzko uenerant, habere à Domino mandatum, nobis ut de omnibus
necessarijs prouideant. statuebant etiam coram nobis scribam, dicentes
illum cõstitutum esse, ut quotidie cibum & alia necessaria afferat. hortan
tur deniq́, ut si quid usquam nobis deesset, illis id significaremus. Dein-
ceps singulis ferè diebus nos inuisebant, semper de defectu inquirentes.
Habent autem constitutam sustinẽdi rationem, aliam pro Germanis, ali-
am pro Lithvuanis, aliam pro aliorum Oratoribus. Habent inquam cer
tum numerum, & eum quidem præscriptũ, cõstituti procuratores, quan
tum uidelicet dent panis, potus, carnis, auenæ, fœni, & aliarum omnium
rerum,

A rerum, iuxta numerum ſingularum perſonarum. Sciunt quãtum lignorum ad culinã, item quantum ad uaporaria calefacienda, quantũ ſalis, piperis, olei, cepe, aliarumq; minimarũ rerũ in ſingulos dies dare debeant. Eandẽ rationem quoq; obſeruãt procuratores, qui Oratores deducunt & reducũt ex Moſcouia. Cæterùm quãuis ſatis ſuperq; tam cibi quàm potus ſuppeditare ſolebant, tamẽ omnia ferè quæ petieramus, prioribus commutata dabãt. Quintuplicem potum ſemper afferebãt, triplicẽ medonem, duplicem ceruiſiam. Aliquãdo pro certis rebus mea pecunia ad forum miſerã, præcipuè uerò pro uiuis piſcibus. id grauiter ferebant, dicentes, domino eorũ inde magnam fieri iniuriã. Indicabam etiã procuratori, me nobilibus, quorũ quinq; numero mecum habui, lectulos curare uelle. At ille mox reſpondebat, non eſſe cõſuetudinem, lectulis cuiquam prouidere. Cui reſpõdi: Me non petere, ſed uelle emere: atq; ideo ſecum communicare, ne poſthac, ut antea, iraſceretur. Sequenti itaq; die reuerſus inquit: Retuli ad conſiliarios domini mei, de quibus heri colloqueba

B mur. Iniunxerunt mihi, ut tibi dicerẽ, ne nũmos pro lectulis exponeres. nam quemadmodum noſtros homines in partibus ueſtris tractaſtis, eadem ratione ſeſe & uos tractaturos pollicẽtur. Cum autem per biduum quieuiſſemus in hoſpitio, quæſiuimus à procuratoribus noſtris, qua die Princeps nos accerſurus, auditurusq; eſſet: Quandocunq; uolueritis, reſpondent, referemus ad conſiliarios domini. Mox petiuimus. Erat nobis conſtitutus terminus, ſed in alium diem reiectus. Prĩdie autem eius diei, uenerat ipſe procurator, dicens: Conſiliarij noſtri domini mandarunt mihi, ut tibi nunciarem, te cras ad Principem noſtrum iturum. Porrò quotieſcunq; nos uocarunt, ſemper interpretes ſecum habuerũt. Eodem ueſperi reuertitur interpres, & dicit: Præpara te, quia uocaberis ad conſpectum domini. Item manè reuertitur, rurſus commonens: Hodie eris in conſpectu domini. Dein uix quartali unius horæ elapſo, ſimiliter utriuſq; noſtrũm uenit procurator dicens: Iam iam magni homines pro uobis uenient, atq; ideo decet uos in eaſdem conuenire ædes. Cum itaq;

C Cæſareum oratorem acceſsiſſem, continuò interpres aduolat, & magnos homines, eosq; præcipuos apud Principẽ uiros, qui nos in aulam eſſent deducturi, nunc adeſſe ait. Erat autem quidã Knes Baſilius Iaroslauuski, magno Duci ſanguine iunctus: alter, unus ex ijs qui nos nomine Principis exceperãt: quos comitabãtur plurimi nobiles. Interim procuratores noſtri monebant nos, ut illis magnis hominibus honorem exhiberemus, & obuiam iremus. quibus reſpondimus, ſcire nos debitum officium noſtrum, atque etiam facturos. Cæterùm cum iam illi ex equis deſcẽdiſſent, atq; hoſpitale diuerſorium Comitis ingrederentur, procuratores ſubinde nos urgebant, ut illis obuiam procederemus, eorumq; Principem in deferendo honore, noſtris dominis quodammodo præponeremus. nos uerò interim dum illi aſcenderent, nunc hoc, nunc aliud impedimentum ſimulantes, occurſum tardamus, atque rectà in mediis gradibus in illos incidimus: eoſque ut aliquantiſper reſpirarent, in habitationem ducere uoluimus, ſed id facere renuebant. Ipſe que Knes

inquit, Magnus Dominus (recitando integrum titulum) iuſsit uos ad A
ſe uenire. Mox conſcenſis equis, magna comitante caterua progreſsi, in
tantas hominum turbas iuxta arcem incidimus, ut per eas uix magno ſa
tellitum labore ac opera penetrauerimus. Eſt enim ea apud illos conſue-
tudo, ut quotieſcunque inſignes externorum principum ac regum Ora-
tores in aulam deducendi ſunt, tum uulgus nobilium ſtipendiarij ac mi-
lites ex circumiacentibus ac uicinis regionibus, iuſſu Principis conuo-
centur, urbis tabernæ omnes ac officinæ ſub id tempus occludantur,
uendentes ac ementes foro pellantur, ciues denique undiquaque con-
ueniant. Hoc autem eò fit, ut ex tam immenſa hominum multitudine,
ſubditorumq; turba, Principis apud alenigenas potentia: ex tantis au-
tem externorum principum legationibus, maieſtas apud omnes appa-
reat. Porrò arcem ingredientes, diuerſis in locis ceu regionibus, diuerſi
ordinis homines collocatos uidimus. Iuxta portam ſtabant ciues: mili-
tes uerò & ſtipendiarij aream tenebant, qui pedes nos comitabantur,
antecedebant, & ſtando impediebant, ne ad gradus uſq; peruenirem us, B
ibiq; ex equis deſcenderemus. Etenim prope gradus ex equo deſcende-
re, præter Principem, nemini licet. Quod ideo quoque fit, ut maior Prin
cipi honor exhibitus uideatur. Primùm autem, ut ad medios gradus ue-
nimus, occurrunt nobis certi Principis conſiliarij, porrigentes manum
& oſculum, nosq; ulterius deducunt. Mox ſuperatis gradibus, occur-
runt & alij, maioris authoritatis conſiliarij: cedentibusque prioribus
(eſt enim mos, ut priores ſequentibus, ac proximis quibuſque ex ordi-
ne cedant, ac loco ſuo tanquam regione attributa ſubſiſtant) ſalutando
dextras porrigunt. Dein ingredientibus palatium, in quo uulgus no-
bilium circumſtabat, primarij ſimiliter conſiliarij occurrunt, nosque
ordine ac ratione prædicta conſalutant. Tandem in aliud atrium, quòd
Kneſis, alijsque generoſioribus, ex quorum ordine ac numero conſilia-
rij leguntur, ſeptum erat: atque inde ad Principis uſque conclaue (ante
quod ſtabant ingenui, qui quotidiana officia Principi præſtant) ita de-
ducti ſumus, ut interim nemo prorſus ex circumſtãtibus, uel minimum C
honorem nobis exhibuiſſet. quin ſi aliquem nobis familiariter notum
prætereuntes, fortè ſalutaremus, aut alloqueremur, adeò ille non reſpon
debat quicquam, ut perinde ſe exhiberet, ac ſi nũquam quenq; noſtrũm
nouiſſet, aut ſalutatus à nobis non eſſet. Ad Principem tandem quum
ingrederemur, aſſurgebant nobis (fratres Principis, ſi fortè adſunt, non
aſſurgunt, aperto tamen capite ſedent) Conſiliarij. atq; unus ex prima-
rijs ad Principem conuerſus, ex more ſuo, non rogatus noſtro nomine,
in hæc uerba loquebatur: Magne Domine, Leonhardus Comes frõtem
percutit: & rurſus, Magne Domine, Leonhardus Comes frontem per-
cutit: de tua magna gratia. itidem de Sigiſmundo. Primum ſignificat,
quaſi, inclinat ſe, aut honorem exhibet: ſecundum, gratias agit, de gratia
accepta. Nam frontẽ percutere accipiunt pro ſalutatione, gratiarũ actio-
ne, & alijs id genus rebus. Etenim quoties aliquis quicquã petit, uel gra-
tias agit, tum caput inclinare ſolet: ſi enixius id facere ſtudet, tũ ita ſe de-

mittit,

A mittit, ut terram manu cõtingat. Si magno Duci pro re aliqua maxima gratias agere, aut petere ab eodem quicquam uolũt, tum uſq; adeò ſe inclinant, demittuntq;, ut fronte terram contingant. Princeps in loco eminentiore ac illuſtri, pariete imagnine diui cuiuſdam ſplendẽte, aperto capite ſedebat, habebatq; à dextra in ſcamno pileum Kopack, ſiniſtra uerò baculum cum cruce Poſoch, atq; peluim cum duobus gutturnijs, adiuncto impoſitoq; mãtili. aiunt Principem, cum Oratori Romanæ fidei manum porrigat, credere homini ſe immundo & impuro porrigere: atq; ideo, eo dimiſſo, continuò manus lauare. Erat ibi quoq; ex aduerſo Principis, loco inferiore, ſcamnum pro Oratoribus adornatum. Eò Princeps ipſe, exhibito ſibi prius (ut iam dictum eſt) honore, nos nutu & uerbo accerſit, manu ſcamnum demonſtrans. Quò loci cum ordine ſalutaremus Principem, aderat interpres, qui uerbum uerbo reddebat. Audito autem inter cætera Caroli & Ferdinandi nomine, ſurrexerat, deq; ſcabello deſcenderat. auditaq; ad finem uſq; ſalutatione: Frater (inquit)
B noſter Carolus electus Rom. Imp. & ſupremus Rex, ſanus ne eſt? Dum Comes reſpondit, Sanus eſt: interim ſcabellum aſcendit, & ſedit. Hęc eadem, finita mea ſalutatione, ex me de Ferdinãdo quærebat. Dein utrũq; noſtrûm ordine ad ſe uocabat, dicebatq;: Porrige mihi manum. qua data, ſubiungit, Sanus ne equitaſti? ad quæ uterq; noſtrûm, iuxta illorum morem reſpondit: Deus det, ut tu ſanus ſis ad multos annos. Equidem clementia Dei, & tua gratia, ſanus. Sub hæc iuſſerat, ut ſederemus. Nos uerò, priuſquam id fecimus, iuxta illorum cõſuetudinem, Principi in primis, dein conſiliarijs & Kneſis, qui pro honore noſtro ſtabant, gratias, caput ad utramque partem inclinantes, egimus. Solent alioqui aliorum Principum Oratores, præſertim qui ex Lithvuania, Livuonia, Svuetia, &c. mittuntur, in conſpectum Principis admiſsi, unà cum comitatu ac ſeruitoribus, ſinguli ſingula munera offerre.

Porrò conſuetudo offerẽdi munera eſt eiuſmodi. Audita & expoſita legatione, mox conſiliarius is qui Oratores ad Principẽ introduxit, ſur-
C gẽs, clara & aperta uoce omnibus audientib. ita dicit: Magne Domine, N. Orator frontẽ percutit, N. tali munere: hoc idẽ de ſecũdo & tertio repetit. Dein ſingulorum nobilium ac ſeruitorũ, eodẽ modo & nomina & munera exprimit. Conſtituit denicq; illi in latere Secretarius, qui pariter & Oratorum, & ſingulorum ex ordine offerentium nomina & munera nominatim ſignat. Eiuſmodi autẽ munera ipſi Pominki, quaſi Mnemoſynon quoddã appellant. noſtros uerò admonebant de muneribus: quibus reſpondimus, Non eſſe moris noſtri. Sed redeo ad propoſitum.

Salutatione expoſita cum paulíſper ſediſſemus, inuitauerat ordine utrumq; noſtrûm Princeps hiſce uerbis: Prãdebis mecum. In priore mea legatione, ut hoc quoq; adijciam, iuxta illorum conſuetudinem me hoc modo inuitauerat: Sigiſmunde, comedes ſal & panem noſtrum nobiſcum. Mox dein uocatis ad ſe procuratoribus noſtris, neſcio quid illis demiſſa uoce dixerat. à quib. uiciſsim admoniti interpretes: Surgite, inquiũt, eamus in aliã habitationẽ, in qua dum reliquum legationis ac man-

datorum quibuſdam conſiliarijs ac ſecretarijs à Principe conſtitutis ex- A
ponimus, adornabantur menſæ. Conſtituto porrò prandij apparatu,
Principe fratribus ac conſiliarijs iam diſcumbentibus, in cœnaculum ipſi
cum eſſemus deducti, continuò conſiliarij cæteriq; omnes ordine nobis
aſſurrexerunt: quibus uiciſsim, morem eorum edocti, priuſquam conſe-
derant, gratias, caput ad omnes partes inclinando, egimus: locumq; in
accubitu, quem nobis ipſe Princeps manu deſignabat, cæpimus. Cæte-
rùm tabulæ in cœnaculo circumcirca adornatæ erant. In medio ſtabat
abacus, grauis diuerſis aureis & argenteis poculis. In tabula, ad quã Prin
ceps ſedebat, utrinq; tantum interualli relictum erat, quantum ipſe ma-
nibus expãſis ſpacij pertingere poſſet: infra quod fratres, ſi fortè adſunt,
à dextris ſenior, iunior à ſiniſtris, ſedent. A fratre rurſus paulo ampliore
ſpacio interiecto, ſeniores Kneſi, conſiliarij, ordine ac gratia quam quiſq;
apud Principem obtinet obſeruata, ſedebant. Ex oppoſito Principis in
alia tabula nos ſedebamus: atque paruo interuallo interpoſito, familia-
res ac ſeruitores noſtri. quibus ex aduerſo, in altero latere, ordine ſede- B
bãt hi, qui nos ex hoſpitio in aulam deducebãt. in poſterioribus utrinq;
oppoſitis tabulis, ſedebãt hi quos Princeps ſingulari gratia inuitauerat:
quibus ſtipendiarij nonnunquam adhibentur. In tabulis poſita erant ua
ſcula, quorum alia aceto, alia pipere, alia ſale repleta erant: ſingula autem
per longitudinem tabulæ ita collocata & diſtributa erãt, ut ſemper qua-
tuor numero cõuiuæ, ſingula hæc tria haberent. Sub hæc dapiferi, ſplen
didis ueſtibus ornati, ingreſsi, abacum circumeuntes, ex aduerſo Princi-
pis, neglecto omni honore, ſubſiſtunt: dum omnes uocati conuiuæ ac-
cumberent, dumq; cibum afferre iuberẽtur. Interim omnibus diſcũben-
tibus, Princeps quendam ex ſuis miniſtris uocarat, ac duo ſibi oblõga pa
nis fruſta dederat, inquiẽs: Da Leonhardo Comiti, & Sigiſmũdo, hunc
panem. Miniſter aſſumpto ſecum interprete, ordine utriq; noſtrũm ita
obtulit: Leonharde Comes, Magnus Dominus Baſilius, Dei gratia Rex
& Dominus totius Ruſsiæ, & Magnus Dux, facit tibi gratiam ſuam, &
mittit tibi panẽ de ſua tabula. Hæc uerba interpres clara uoce reddebat. C
Nos ſtantes, Principis gratiam audiebamus. Aſſurrexerant & alij, extra
Principis fratres, pro honore noſtro. Pro eiuſmodi autẽ gratia ac hono-
re, alia reſpõſione opus non eſt, quàm ut panem oblatum accipias, ſuper
tabulã ponas, gratiasq; ipſi Principi capitis inclinatione, dein cõſiliarijs
item alijs, ad omnes partes caput circumferendo & inclinando agas. Por
rò pane ipſo Princeps ſuam erga aliquem gratiam, ſale uerò amorem o-
ſtendit. Neque uerò maiorem honorem poteſt alicui exhibere in ſuo
conuiuio, quàm ſi alicui ſal de ſua tabula mittit. Panes præterea formam
helcij equini habentes, mea opinione, omnib. ijs ueſcẽtibus, durum iu-
gum & perpetuam ſeruitutem deſignant. Tandem pro cibo dapiferi,
nullo rurſus honore Principi exhibito, egreſsi, aquam uitæ, quam ab i-
nitio prandij ſemper bibunt: dein cygnos aſſos, quos ferè pro primo
ferculo, quoties carne ueſcuntur, hoſpitibus apponere ſolent, attule-
rant. Ex quibus tres ſibi appoſitos Princeps cultello pungens, quinam
melior,

A melior, alijsq; esset præferẽdus, explorabat, eosq; cõtinuò auferre iusserat. Egressi mox omnes, eo quo intrauerant ordine, cygnos discerptos, ac in partes diuisos, in minores patinas, easq; singulas singula quatuor frusta posuerant. Ingressi, quinque patinas Principi apposuerant: reliquas fratribus, consiliarijs, Oratoribus, alijsq; que ordine distribuerant. Astat quidam, qui Principi poculum porrigit: is scilicet, per quem panem & alia fercula singulis mittit. Solet autem Princeps portiunculam dapifero ad prægustandum dare, dein à diuersis partibus decerpere, gustareq;: post fratri, aut consiliario alicui, aut Oratoribus, unam patinam, ex qua ipse gustauit, mittere. Semper autem maiori solẽnitate Oratoribus huiusmodi obsonia, ut de pane dictum est, offeruntur: in quibus accipiendis, non solum ei cui mittuntur, sed alijs singulis assurgẽdum, adeò ut toties exhibita Principis gratia, assurgendo, stando, gratias agendo, caputq; subinde in omnes partes inclinando, non mediocriter quispiam defatigetur. In priore legatione, cum Cæsaris Maximiliani Oratorem agerẽ, & conuiuio acceptus fuissem, aliquoties pro honore fratrum Principis surrexeram: sed illos cum mihi uicissim neq; gratias agere, neque uices ullas reponere uiderem, deinceps quoties gratiam à Principe accepturos animaduertebam, cœpi tum continuò cum aliquo loqui, dissimulans omnia: & quamuis quidam ex oppositio mihi innuebant, meq; stantibus Principis fratribus appellabant, ego tamẽ usqueadeò dissimulabam omnia, ut uix post tertiam admonitionẽ ex eis, quid'nam sibi uellent, quærerem. Cæterùm, cum fratres Principis stare respondissent: ego priusquam respicerem, assurgeremq; cæremoniæ quodammodo finiebantur. Dein cum aliquoties tardius assurrexissem, iteremq; statim sedissem, idq; qui ex oppositio sedebant, riderent: itidem quam ob rem risissent, tanquam aliud agens, interrogabam. Sed cum nemo causam aperire uellet, tandem quasi intellecta causa, uultu in grauitatem compositio dicebam: Ego nunc non adsum, ut priuata persona. certè qui dominum meum negligit, hunc & ego negligam. Præterea cũ Princeps alicui ex iu-

C nioribus obsonium mitteret, equidem etiam admonitus ut non assurgerem, respondi: Qui dominum meum honorat, hunc & ego honorabo. Porrò cum assos cygnos cœperamus edere, apponebant acetum, addito sale & pipere: ijs enim loco embammatis, seu iusculi utuntur. Lac præterea acidum in eundem usum appositum, item cucumeres salsi, ad hęc pruna eadem ratione condita, prandij tempore è mensa non remouẽtur. Eadem ratio in alijs inferẽdis ferculis seruatur: nisi quòd rursus, ut assatura, non efferantur. Apponũtur uarij potus, maluaticũ, Græcũ uinum, uarij etiam medones. Princeps cõmuniter semel aut bis porrigi sibi poculum suũ iubet: ex quo cum bibit, Oratores ad se ordine uocat, Leonharde, Sigismũde (dicẽs) uenisti à magno domino, ad magnũ dominũ: fecisti magnũ iter, posteaq; uidisti gratiã nostrã, & serenos oculos nostros, bene tibi erit. bibe & ebibe, & bene ede usq; ad saturitatem: deinde quiesces, ut tãdẽ ad dominũ tuũ redire possis. Omnia & singula uasa, in quib. cibus, potus, acetum, piper, sal, & alia appositia uidimus, dicunt esse ex puro

auro:

auro: id quod ex põdere uerum apparebat. Sunt quatuor perſonæ, quæ A
ſingulæ ex utraq; parte abaci ſtantes, ſingula pocula tenent: ex quibus
Princeps plerunq; bibit, & ſæpius Oratores alloquitur, monet'que eos
ut edant. Aliquando etiam ſciſcitatur aliquid ab eis, ſe'q; ualde urbanum
& humanum exhibet. Interrogabat me inter alia, an raſiſſem barbam:
quod unica dictione fit, ſcilicet Brill. cum faterer, dicit, Et hoc iuxta no-
ſtrum: quaſi diceret, Et nos raſimus. Cum enim alteram uxorem duxiſ-
ſet, totam barbam abraſerat: quod nunquam ab aliquo Principe factum
perhibebant. Antea miniſtri tabulæ, inſtar Leuitarum ſacris inſeruien-
tium, dalmaticis induti erant, cincti tamen: nunc uerò habent ueſtes di-
uerſas, quas Terlick uocant, gemmis & unionibus graues. Prandet ali-
quando tres aut quatuor horas. In prima mea legatione, etiam ad unam
uſq; noctis horam prandebamus. Quemadmodum enim de rebus du-
biis conſultantes, ſæpe totum diem conſumunt, neque digrediuntur, ni-
ſi re prius maturè deliberata, conſtitutá'q;: ita conuiuiis pariter ſeu co-
meſſationibus integrum abſumunt nonnunquam diem, intendẽtibus'q; B
tandem tenebris ſecedunt. Conuiuas ſæpe & ferculis & potu honorat.
A' prandio in negotiis grauioribus nihil agit: quin finito prandio dicere
ſolet Oratoribus, Ite nũc. dimiſſos, illi ipſi qui eos in aulam deduxerant,
rurſus in diuerſoria reducunt: ſé'que mandatum habere dicunt, ibi ut ma
neant, illos'que exhilarent. Afferuntur argentea pocula, & certa uaſcula
multa, cum certo potu: omnes'q; in hoc ſtudent, quo temulentos eos fa-
ciant. Sciunt autem pulchrè homines inuitare ad bibendum. & quũ nul
lam aliam habent occaſionem propinandi, incipiunt tandem bibere pro
ſanitate Cæſaris, fratris eius, Principis, aliorum denique incolumitate,
quos uidelicet in aliqua dignitate & honore conſtitutos credunt. Illo-
rum nomine quẽquam recuſare poculum, non debere, nec etiam poſſe,
exiſtimant. Ita autem bibitur. Qui incipit, ſumit poculum, ac in medium
habitationis procedit: ſtans'q; aperto capite, feſtiuo ſermone exponit,
pro cuius ſalute bibat, quid'q; illi precetur: mox euacuato ac obuerſo po
culo, uerticem tangit, quo omnes uideant ſe ebibiſſe, & ſanitatem illius C
domini, cuius nomine bibitur, exoptare. Poſtea ad locum ſupremum ſe
confert, plura pocula implere iubet, mox ſuum cuiq; porrigit, nomen'q;
pro cuius ſalute bibendum ſit, addit. ſinguli itaq; ad mediũ habitationis
ire, ac euacuatis poculis in ſuum redire locum coguntur. Qui uerò lon-
giorem compotationem effugere uelit, fingat ſe neceſſe eſt temulentum,
aut ſomno oppreſſum eſſe: aut, ut illos inebriet, aut ſaltẽ poſt multa exic-
cata pocula ſe amplius nequaquam bibere poſſe, affirmet. Etenim non
credunt conuiuas bene acceptos, ac lautè tractatos, niſi temulẽti reddan-
tur. Hunc morem communiter nobiles, & quibus permiſſum eſt medo-
nem ac ceruiſiam bibere, obſeruant. In priore legatione negotiis confe-
ctis, cum me dimitteret, finito prandio ad quod eram uocatus (ſolent e-
nim legatos tam diſcedentes, quàm aduenientes, conuiuio accipere) ſur
rexerat Princeps, ſubſiſtens'q; ad tabulã, poculũ ſibi dari iuſſerat, dicens:
Sigiſmũde, ego uolo pro amore, quẽ habeo erga fratrẽ noſtrũ Maximi-

lianum,

A lianum, Romanorum electum Imperatorem, & ſupremũ Regem, proq; ſanitate ſua, poculum hoc ebibere: quod & tu ebibes, & alij omnes ordine, ut uideas amorem noſtrum erga fratrem noſtrum Maximilianum, &c. eiq; referas, quæ uideris. Dein porrigit mihi poculum, & dicit: Ebibe pro ſanitate fratris noſtri Maximiliani Elect. Rom. Imperatoris, & ſupremi Regis. Porrigebat & alijs omnibus qui prandio intererant, aut alioqui aſtabant, & ad ſingulos ijſdem uerbis utebatur. Acceptis igitur poculis, parum retroceſsimus, caputq; erga Principem inclinãtes, bibimus. Quibus finitis, me ad ſe uocat, manum porrigit, ac inquit: I nunc. Solet præterea communiter Princeps, negotijs Oratorũ ex aliqua parte pertractatis atq; cõſtitutis, eos ad uenationem & ſolatium inuitare. Eſt iuxta Moſcouiam locus arbuſtis cõſitus, leporibus percommodus, in quo quaſi quodam leporario fouetur maximus numerus leporũ: quos propoſita maxima pœna capere, præterea arbuſta ibi ſecare, nemo audet. Nutrit etiã quãplurimos in uiuarijs ferarũ, atq; alijs locis. Et quoti-
B eſcunq; uult eiuſmodi uti ſolatio, tum ex diuerſis locis lepores comportare iubet. nam quo plures lepores cæperit, hoc maiore ſolatio & honore negotium ſe confeciſſe putat. Item cum in campum uenerit, tum certos ſuos conſiliarios, adiunctis certis etiam aulicis, ſeu equitibus, pro Oratoribus mittit, eosq; ad ſe deduci iubet. Deducti itaq;, Principiq; appropinquantes, de equis, conſiliariorum admonitione, deſcendere, & ad Principem ire aliquot paſsibus coguntur. Nos eadem ratione in uenatione ad ſe deductos, in equo exornato ſedens, ueſte ſplendida indutus, chirothecis depoſitis, tecto tamẽ capite, humaniter exceperat, nudamq; porrexerat manum, perq; interpretem dicebat: Exiuimus ad ſolatium noſtrum, uocauimus uos ut intereſſetis ſolatio noſtro, atque inde aliquam uoluptatem caperetis: proin equos conſcendite, nosq; ſequimini. Habuit tegmen quod Kolpakh appellant, quodq; utrinque à tergo & à fronte monilia habebat, ex quibus laminæ aureæ in modum pennarum in altum tendebant, incuruantesq; ſurſum deorſumque ferebantur. Ve-
C ſtis erat inſtar Terlick, aureis filis contexta. ex cingulo pendebant duo oblongi patrio more cultelli, & pugio pariter oblongus. à tergo habebat ſub cingulo genus quoddam armorum ueluti cæſtum, quo communiter in bello utuntur. Eſt etenim baculus cubito aliquantulum lõgior, cui corium duarum palmarum lõgitudine eſt affixum: in cuius extremitate clauа aut ænea, aut ferrea, ceu fruſtũ quoddam exiſtit. hoc tamen auro undiq; exornatum erat. Claudebat eius dextrum latus, expulſus Caſani rex, nomine Scheale, Tartarus: ſiniſtrum uerò, duo iuuenes Kneſi. quorum alter ſecurim ex ebore, quam ipſi Topor uocant, ea ferè forma qualis in Hũgaricalibus aureis expreſſa cernitur, dextra ferebat: alter uerò clauam pariter Hungaricæ ſimilem, quam ipſi Scheſtopero, id eſt ſexpẽnatã appellãt. Rex Scheale accinctus erat duplici pharetra: in una ſagittas recõditas, altera uerò arcũ incluſum quodãmodo habebat. Aderãt in cãpo pluſquàm trecẽti equites. Porrò dũ ita per cãpum incedimus, Princeps nos aliquoties, nũc hoc, iam alio loco ſubſiſtere, aliquãdo ad ſe propius ue-

pius uenire iusserat. Dein ad locũ uenationis perductos, alloquebatur, A
consuetudinem esse dicens, ut quoties in uenatione ac suo solatio esset,
tũ ipse & alij boni uiri suis manibus canes uenaticos ducerent: itidemq;
nos ut faceremus, hortabatur. Constituerat denicq; unicuicq; nostrũm
duos homines, quorum utercq; canẽ ducebat, quibus ipsi pro solatio no-
stro uteremur. Ad ea respõdebamus: Nos hanc suam gratiam grato ac-
cipere animo, eundemq; morem apud nostrates esse. illa autem excusa-
tione ideo utebatur, quòd apud eos canis immundum animal habetur:
& turpe est, canem nuda manu attingere. Ceterùm stabant longo ordi-
ne centum ferè homines, quorum dimidia pars nigro, altera flauo colo-
re erat uestita. Non longè ab ijs substiterãt omnes alij equites, prohiben
tes ne illac transcurrerent ac elaberẽtur lepores. Porrò nemini ab initio
dimittere canem uenaticũ permissum erat, quàm regi Scheale, & nobis.
Princeps primus inclamabat uenatorem, ordiri iubens: qui cõtinuò con
citatissimo equi cursu ad cæteros uenatores, quorum magnus erat nu-
merus, aduolat: mox uno ore omnes exclamant, canes molossos & odo- B
riferos immittunt. ubi sanè periucũdum erat audire tot, tamq; uarios ca
num latratus. habet autem quàm plurimos, & eos quidem optimos, ca-
nes. Quosdam autem ad insequendum lepores tantum, Kurtzos dictos,
perpulchros pilosis caudis & auribus, cõmuniter audaces, tamen ad lon
gius currendi ac persequendi spacium haud commodos. Cum lepus sese
offert, dimittunt tres, quatuor, quinq; aut plures canes, eum undiq; ado-
rientes: quo apprehenso, magno plausu acclamant, ac si magnam feram
cæpissent. Porrò lepores si tardius aliquando excurrunt, solet tum Prin
ceps continuò aliquem, quemcunq; inter arbusta leporem in facco ha-
bentẽ conspexerit, nominare, ac Hui hui inclamare: qua uoce leporem e-
mittendum significat. Egrediuntur itaq; lepores nonnunquam quasi so-
mnolenti, saltantes inter canes, ueluti capreoli aut agnelli inter greges.
Cuiuscunq; canis plures capit, is eo die optimum stratagema præstitisse
putatur. Princeps ipse pariter Oratori, cuius canis plures cæperit, ap-
plaudere uidetur. Porrò uenatione tandem finita, omnes conuenerant, C
lepores q; comportauerant: quos tum numerabant. numerati uerò sunt
circiter CCC. Aderãt ibi tum Principis equi, non ita multi, nec satis pul-
chri. etenim in priore legatione simili solatio cum interfuissem, uidi lon-
gè plures ac pulchriores, præsertim eius generis quos nos Turcicos, illi
uerò Argamak uocant. Aderant quoq; complures falcones, alij albi, alij
phœnicei coloris, magnitudine excellentes: quos nos Girofalcones, hos
illi Kretzet appellant: quibus uenari cygnos, grues, & alias id genus aues
capere solẽt. Sunt autem Kretzet, aues audacissimæ quidem: at non tam
atroces, impetuq; horrendo, ut aliæ aues quãtumuis rapaces, illarum uo
latu, seu conspectu (quemadmodum quidam de duabus Sarmatijs fa-
bulatus est) decidant, extinguanturq;. Illud quidem experiẽtia ipsa con
stat, si quis uenatur accipitre, aut niso, aut alijs falconibus, & interim Kre
tzet (quam à longè uolantem cõtinuò sentiunt) aduolauerit, quòd præ-
dam ulterius nequaquã insequuntur, sed pauidæ subsistunt. Retulerunt
nobis fi-

A nobis fide digni ac insignes uiri, Kretzet, quãdo ex illis partibus ubi nidificant, afferuntur, tum aliquando IIII, V, aut VI, in quodam uehiculo ad hoc præparato, simul includũtur: atq; escam quæ illis porrigitur, obseruato certo quodam senij ordine, capere solẽt. Id autem ratione, an natura illis indita, an quo alio modo fiat, incertum est. Præterea quemadmodum in alias aues aduerso impetu feruntur, rapaces'q; existunt: ita inter se ipsas sunt mansuetiores, mutuis sese morsibus minimè dilaniantes. Nunquam aqua se, ut cæteræ aues, lauant: sed sola arena, qua pediculos excutiunt, utuntur. Frigiditate adeò gaudent, ut perpetuò aut super glacie, aut lapide stare soleant. Sed redeo ad institutum. Princeps ex uenatione ligneam quandam turrim uersus, quæ abest à Moscouuia quinq; millibus passuum, progressus est, ubi aliquot tẽtoria erant collocata. primum, magnum & amplum, instar domus, pro se: aliud pro rege Scheale: tertium pro nobis: dein alia pro alijs personis, & rebus. in quæ cum ordine deducti essemus, Princeps in suum pariter ingressus, uestecq; com-

B mutata, nos continuò ad se accersebat, nobiscq; ingredientibus, sedebat in sede eburnea: latus eius dextrũ claudebat rex Scheale, nos ex aduerso loco, aliàs Oratoribus, dum uel audiuntur, uel de negotijs tractant, destinato. Infra regem sedebant certi Knesi & cõsiliarij. in sinistro latere, Knesi iuniores, quos fauore singulari ac gratia sua prosequitur Princeps. Discumbentibus itaq; omnibus, apponebantur primùm confectiones (ut uocant) coriandri, anisi, & amygdalorum: dein nuces, amygdala, atque saccari integra pyramis: quæ ministri genibus flexis Principi, regi, & nobis, tenentes porrigebant. Potus similiter de more dabatur: Princepsq; gratiam suam (ut in prandijs assolet) exhibebat. In priore mea legatione eò loci etiam prandium sumpsimus. Et cum inter prandendum, panis, quem ipsi Beatæ Virginis uocant, quem'que quodammodo consecratum uenerari, atq; etiam edere, quem denique communiter in habitationibus loco eminentiore honorificè seruare solent, cum fortè tentorio commoto in terram decidisset: tum Princeps, atque omnes alij eo ca-

C su grauissimè obstupefacti, trepidantes stabant. Tum mox accersitus sacerdos, hunc ex gramine, summo studio ac ueneratione colligebat. Pòst finita collatiuncula, potúq; quem nobis porrexerat Princeps, sumpto, nos dimiserat, dicens: Ite nũc. Dimissi, honorificè usq; in hospitia nostra deducti fuimus. Habet & aliud genus solatij, pro quo alijs Oratoribus (ut accepi) solet uti. Aluntur ursi, capti in quadam amplissima & ad hoc constituta domo: in qua Princeps, assumptis Oratoribus, ludos exhibere solet. Habet quosdam infimæ conditionis homines, qui iubente spectante'que Principe, ligneis furcis occurrant ursis, eos'que ad pugnam lacessunt. Congressi tandem, si fortè à prouocatis ac in rabiem conuersis ursis laniati fuerint, ad Principem currunt clamantes: Domine, ecce uulnerati sumus. quibus Princeps: Abite, inquit, faciam uobis gratiam. Dein illos curare, uestes præterea & certos modios frumenti illis largiri iubet.

Cæterùm cum iam absoluendi dimittendiq; eramus, honorificè, ut an

n tea, ad

tea, ad prandium inuitati, ac in aulam deducti fuimus. Vtricꝫ præterea A
honoraria ueſtis, zebellinis pellibus ſubducta, oblata fuit. qua indutis,
inꝯꝫ Principis cõclaue ingreſsis, Marſchalcus cõtinuò utriuſcꝫ noſtrũm
nomine, ordine dicebat: Magne Domine, Leonhardus & Sigiſmundus,
de magna tua gratia, frontem percutit: hoc eſt, ob acceptum munus gra-
tias agit. Veſti honorariæ adiunxerat zebellinorum quadragenas duas,
hermelinorum uerò 300. atcꝫ aſpreolorum pelles 1500. In priore legatio-
ne addiderat mihi uehiculum, ſeu traham, cum præſtãti equo, & alba ur-
ſina pelle, alioꝯꝫ tegumento commodo. Dederat deniꝯꝫ multa piſcium,
Belugæ, Oſetri, & Sterled, in aere durata, ſed inſalſa fruſta: meꝯꝫ perhu-
maniter dimiſerat. Porrò reliquas ceremonias, quib. in dimittendis O-
ratoribus utitur Princeps, item quãdo limites ſuæ ditionis ingreſsi Ora-
tores excipiũtur, rurſuſcꝫ dimiſsi, ad eoſdẽ uſcꝫ reducti tractãtur, ſuſten
tãturcꝫ, ſuprà in Lithvuanorum Oratorũ dimiſsione copioſe explicaui.
Cæterùm, quia de pace perpetua tractanda, aut ſaltem inducijs inter
Moſcovuię principem ac Poloniæ regẽ ineundis, à Cæſare CAROLO & B
fratre eius FERDINANDO Auſtrię archiduce, miſsi fuimus, cæremoni-
as, quibus Moſcovuiæ princeps tum in firmãdis inducijs utebatur, ſub-
iungere uiſum eſt. Concluſis itacꝫ, ac in certam formam redactis cum Si-
giſmundo rege Poloniæ inducijs, in aulam Principis uocati, cum in habi
tationem quãdam deducti eſſemus, aderant Lithvuani Oratores: ueni-
unt etiam eò Principis conſiliarij, qui eaſdẽ nobiſcum concluſerant. atcꝫ
in hanc ſententiam ſermone ad Lithvuanos cõuerſo uerba faciunt: Vo-
luit quidem Princeps noſter, in ſingularem gratiam ac petitionem ma-
gnorum principum, pacem perpetuam cum Sigiſmundo rege ueſtro in-
ire. Ea autem cum nullis conditionibus fieri nunc poſsit, ſe inducias ad
eorundem principum adhortationem inire uoluiſſe. Quibus conſti-
tuendis, ac legitimè firmandis, uos Princeps accerſiri iuſsit, ac præſentes
eſſe uoluit. Tenebant porrò literas, quas Princeps regi Poloniæ datu-
rus erat, confectas, ſigillo appenſo, & eo quidem paruo ac rubro com-
munitas: in cuius ſigilli parte priore imago erat, homo nudus equo ſine C
ſella inſidens, haſtaꝯꝫ draconẽ tranſuerberãs: à tergo uerò aquila biceps,
utroꝯꝫ capite coronato, cernebatur. Habebant præterea inducíales lite-
ras, certa formula compoſitas: quarum ſimiles, ac eodem exemplo, no-
minibus ac titulis duntaxat mutandis, rex ipſe uiciſsim Principi erat miſ-
surus: in quibus nihil prorſus immutatum erat, excepta hac clauſula,
quæ ad finem literarum addita erat: Nos Petrus Giska palatinus Polo-
cenſis & capitaneus Drohitzineñ. & Michael Bohuſch Bohutinovuitz
theſaurarius magni ducatus Lithvuaniæ, & Stouineñ. ac Kamenaceñ.
Capitaneus, Oratores regis Poloniæ & Magni Ducis Lithvuaniæ, fa-
temur, eoꝯꝫ etiam nomine crucis ſignum deoſculati ſumus, nosꝙ ob-
ſtrinximus, Regem uidelicet noſtrum eaſdem pariter oſculo crucis con-
firmaturum: in cuius rei meliorẽ fidem haſce literas noſtris ſignetis com
muniuimus. His itacꝫ auditis ac uiſis, omnes unà ad Principẽ uocamur.
Ad quem cum ingreſsi eſſemus, mox certo loco nos ſedere iuſſerat, ac in
hæc uer-

A hæc uerba loquebatur: Ioannes Franciſce, Comes Leonharde, Sigiſmunde, efflagitaſtis à nobis Clementis Papæ ſeptimi, ac fratris noſtri Caroli, eiuſq; fratris Ferdinandi nomine, ut pacem cum Sigiſmundo Poloniæ rege perpetuam iniremus. Eam commodis utrinq; conditionibus facere cum haud quaquam potuimus, rogaſtis, ut ſaltem inducias imponeremus. quas quidem amore noſtro in principes ueſtros, nunc facimus, acceptamusq;: ſuper quibus dum Regi iuſtitiam noſtram facimus, easque confirmamus, uos præſentes eſſe uolumus, quo dominis ueſtris referatis, uos factis, ac iam legitimè firmatis inducijs interfuiſſe, uidiſſe, nosq; illorum amore hæc omnia feciſſe. Qua oratione finita, Michaelem Georgij conſiliarium uocat, ac crucem deauratam ex oppoſito de pariete funè ſerico pendentem, ſumere iubet. Mox conſiliarius, ſumpto mundo lintheolo, quod ſuper fuſorio cantaro, in pelui collocato, iacebat, crucem magna cum ueneratione apprehendit, dextraq; tenet. Secretarius pariter literas induciales iunctas utraq; manu tenebat, ita tamen, ut Lithvua
B norum literæ alteris ſubiectæ, eatenus prominerent, quatenus clauſula, qua ſe Lithvuani obſtrinxerãt, appareret: ſuper quas ſimul, ubi Michael dextram, qua crucem tenebat, poſuiſſet, Princeps ſurgẽs, ſermone ad Lithvuanorum Oratores conuerſo, lõga oratione narrabat, ſe quidem pacem ad ſingularem petitionẽ ac cohortationẽ tantorũ Principum, quorum legatos eo nomine ad ſe miſſos uiderent, non refugiſſe, ſi ea ullis ſibi commodis conditionibus fieri potuiſſet: & cum pacem perpetuam inire cum rege illorum non poſſet, in horum gratiam quinquennales ſe inducias, uigore literarum (literas digito demõſtrans) iniſſe: quas quidem, quoad Deus uolet, ſeruabimus, inquit, noſtramq; iuſticiã fratri noſtro Sigiſmundo regi faciemus: ea tamen conditione, ut ſimiles per omnia literas, eodemq; exemplo ſcriptas, rex nobis det, easq; præſentibus Oratoribus noſtris confirmet, iuſticiam ſuam nobis faciat, ac illas ad nos tandem per Oratores noſtros transferendas curet. Interim etiam iuramento uos obſtringetis, ea omnia & ſingula regem ueſtrum facturum, ob-
C ſeruaturumq;. Dein crucem reſpicit, ſeq; ter ſigno crucis, capite toties inclinato, ac manu ad terram ferè dimiſſa munit: propiusq; accedens, labia, ac ſi oraret, mouens, os lintheolo tergens, inq; terram expuens, crucem tandem deoſculatus, frõte eam primùm, dein utroq; oculo attingit. retrocedens, rurſus cruce, capite inclinato, ſe munit. Poſtea Lithvuanos, ut accederent, idemq; ipſi facerent, monet. Oratores anteq; id facerent, inſcriptionem, qua ſe obſtrinxerant, pluribus quidem uerbis cõgeſtam ac compoſitam, nihil tamen aut parum admodum ultra ſupradictam ſententiam continentem, Boguſius nomine, Ruthenus, recitabat: cuius uerba ſingula Petrus, fide Romanus, collega repetebat. eadẽ nobis pariter interpres Principis ad uerbum reddebat. Poſt recitata ac interpretata inſcriptione, Petrus ac Boguſius ordine ipſam crucem, aſtante Principe, deoſculãtur. Quibus finitis, Princeps ſedens, in hæc uerba loquebatur: Vidiſtis nos fratri noſtro Sigiſmundo Poloniæ regi, iuſticiam noſtram ob ſingularem petitionẽ Clementis, Caroli & Ferdinandi feciſſe. Dicite

ergo dominis ueſtris, tu Ioannes Franciſce Papæ, tu Cõmes Leonharde A
Carolo, & tu Sigiſmunde Ferdinando, nos ea illorum amore, & ne Chri
ſtianus mutuis bellis fundatur ſanguis, feciſſe. Hæc cum longa oratio-
ne, additis conſuetis titulis, peroraſſet: nos illi uiciſsim ob ſingularem e-
ius erga principes noſtros obſeruantiam, gratias egimus, noſcꝙ manda-
ta illius diligenter executuros promiſimus. Dein duos ex ſuis præcipuis
conſiliarijs & ſecretarijs, ad ſe uocat, eoſcꝙ legatos iam ad Poloniæ re-
gem inſtitutos, Lithvuanis innuit. Poſtremò multa pocula ſuo iuſſu alla
ta, nobis, Lithvuanis, atcꝙ adeò omnibus & ſingulis, tam noſtris quàm
Lithvuanorũ nobilibus, manu ſua porrigebat. Lithvuanię denicꝙ Ora-
tores nominatim appellans, dicebat: Quæ nunc egimus, & quæ alioqui
ex conſiliarijs noſtris intellexiſtis, ea fratri noſtro Sigiſmundo regi expo
netis. Hæc cum dixiſſet, ſurgit, & rurſus inquit: Petre, & tu Boguſi, fra-
tri noſtro Sigiſmundo Polonię regi, & magno Duci Lithvuanię, uos no
ſtro nomine (caput interim parum mouens) inclinabitis. moxcꝙ ſedẽs,
utrũcꝙ accerſit: dextram illis, atcꝙ etiam ipſorum nobilibus ordine por- B
rigit, dicitcꝙ, Ite nunc, atcꝙ ſic illos dimiſerat.

ITINERA IN MO-
ſcouiam.

ANno M. D. XV. uenerant Viennam ad Cæſarem Maxi-
milianum, Vuladiſlaus, & eius filius Ludouicus, Hun-
gariæ & Bohemiæ, ac Sigiſmundus Poloniæ, reges: ubi
contractis ac concluſis matrimonijs filiorũ & nepotum,
confirmataꝙ mutua amicitia, inter cætera Cæſar pollici-
tus erat, ſe Oratores ſuos ad Baſilium Moſcorum ducem
miſſurum, qui inter hunc & Poloniæ regem pacem facerent. Ad hanc le
gationem Cæſar deſtinauerat Chriſtophorum epiſcopum Labacenſem,
& Petrum Mraxi. Sed dum Epiſcopus protraheret negotium, & inte-
rim regis Sigiſmundi ſecretarius Ioannes Dantiſcus, poſtea epiſcopus
Vuarmienſis, moræ impatiens, profectionem ſedulò urgeret, hoc lega- C
tionis munus mihi non ita pridem ex Dania reuerſo, fuit impoſitũ. Man
datis itacꝙ cõtinuò à Cęſare Haganoæ Alſatię oppido acceptis diſcedẽs,

Traiecto primùm Rheno, per Marchionum Badenſium ditionem &
oppida, Raſtat, Etlingen, Pfortzach, in ducatum Vuirtenbergenſem,
Conſtat: oppidum denique imperij Eslingen ad Necarum, quem & Ni-
crum appellant, ſitum, indeꝙ Gopingen & Geislingen ueni.

Vlmę mox Danubio ſuperato, per Gunſpurg, ac oppidum Purgavu,
à quo Marchionatus Burgouię nomẽ habet, Auguſtam Vindelicorum
ad Lycum fluuium perrexi: ubi me præſtolabãtur Gregorius Sagrevuſ-
ki Moſcus nuncius, & Chryſoſtomus Columnus ſecretarius Elizabethę
uiduæ Ioannis Sforţiæ Mediolani & Bharij, qui itineris erant comites.

Relicta Auguſta ſub initium anni M. D. XVI. ultra Lycum, per Baua-
rię ciuitates et oppida, Fridberg, Inderſtorff, Freyſingen, id eſt Friſingen
ſem epiſcopatum ad fluuiũ Ambor, Landshuet ad Iſerã flu. Gengkhofn,
Pfarkhirchen,

A Pfarkhirchen, Scharding ad Oenum tranſiuimus. Oenoq; ſuperato, ripasq; Danubij legentes, Auſtriam ſupra Onaſum attigimus. Linciũ oppidum in ripa Danubij ſitum, caput eius prouinciæ ingreſsi, pontemq; illic Danubio impoſitum tranſeuntes, per oppida Galneukirchen, Pregartn, Pierpach, Kunigsvuiſn, Arbaſpach, Rapolſtain, in archiducatum Auſtriæ, atq; adeò oppida Clarã uallem, uulgò Tzvuelt dictam, Raſtnfeld, Horn, & Retz peruenimus.

Moraui ę rectà dein, ultra fluuium Teya, qui pro maiori parte Auſtriam à Morauia dirimit, oppidum Snoimam appulimus: ubi Petrũ Mraxi collegam meum uita defunctum eſſe intellexi. & ita ſolus hoc munus, quod Cæſari gratum erat, obiui.

Ex Snoima, Vuolfernitz, Brunam, dein Olmutium ſedem Epiſcopalem ad fluuium Moravua ſitam: tres illæ ciuitates Snoima, Bruna & Olmutium ſunt primæ in Marchionatu. indeq; Lipnik,

Hranitza, Ger. Vueiſſenkirchn.

B Itzin, Ger. Tiſchein.

Oſtraua, Ger. Oſtra oppidum: ubi Oſtravuitza fluuiũ, qui oppidum alluit, & Sileſiam ab ipſa Morauia dirimit, tranſiuimus.

Sileſiæ pòſt ducum Theſchinenſiũ oppidũ Freiſtat, ad Elſa flu. ſitum.

Strumen, Ger. Schvuartzvuaſſer.

Ptzin, Ger. Ples principatũ: à quo progrediendo duorum miliarium, ſpacio, eſt pons trans Iſtulam, limes Bohemicæ ditionis.

A' ponte Iſtulę Polonica eſt ditio, & uſq; Oſchvuẽtzin principatum, Germanicè Auſchvuitz, quo loco fluuius Sola Iſtulam ingreditur, eſt iter unius miliaris.

Extra Oſchvuentzin, per pontem ſuperamus Iſtulã: & cõfectis 8. mil.

Poloniæ regni caput Cracouiam peruenimus, currusq; noſtros trahis impoſuimus. A' Cracouia progreſsi,

Proſtovuitza, 4. miliar.

Vuislitza, 6. miliar.

C Schidlovu, 5. mil.

Oppatovu, 6. mil.

Sauuichoſt, quatuor mil. ubi rurſus traiecto, & ad ſiniſtram relicto Iſtula fluuio,

Vrſendovu, quinq; miliar.

Lublin, ſeptem miliar. Palatinatũ, quo loci certo ac ſtato anni tẽpore inſignes habentur nundinæ, ad quas ex uarijs orbis partibus homines, Moſcovuitæ, Lithvuani, Tartari, Liuonienſes, Prutheni, Rutheni, Germani, Hungari, Armeni, Vualachi atq; Ebræi confluunt.

Cotzko, octo miliar. Antequam huc peruentum eſt, labitur fluuius Vuiepers, ſeptentrionem uerſus.

Meſeriz octo mil. paulo longius progrediendo, eſt limes Poloniæ.

Lithvuaniæ oppidum Melnik, ſex mil. ad Buh fluuium.

Bielſco, octo mil.

Narevu, quatuor mil. ubi eiuſdẽ nominis fluuius ex quodam lacu &

paludibus, quemadmodum Buh, effuſus, & in Septentrionem decurrit. A

Ex Narevu, tranſeundo ſyluam octo miliaribus: extra quam eſt oppidum Grinki, in quo regij homines, qui & commeatum ſuppeditabant (Priſtavuos appellant) & Vuilnam uſque deducebant, me præſtolabantur. tum in

Grodno, ſex miliar. Eſt ibi ſatis commodus pro eius regionis natura principatus. Caſtrum cum ciuitate ad fluuium Nemen, qui Ger. Mumel appellatur, quiq; ipſam Pruſsiam alluit, quæ olim à ſupremo Theutonici ordinis magiſtro gubernabatur. Sed eam nunc Albertus Marchio Brandenburgenſis hæreditarij ducatus nomine tenet. Crononem hunc fluuium puto, alludens nomini oppidi. ibi Ioannes Savuorſinski, à Michaele Linski in ea domo, aut (ut aiunt) curia, in qua hoſpitatus eram, oppreſſus eſt. Porrò hic reliqui Moſcorum nũcium, quẽ rex Vuilnam ingredi prohibuit. Inde progreſſus,

Prelai, duo miliaria.

Vuolconik, quinq; miliaria. B

Rudniki, quatuor miliaria.

Vuilnam, quatuor miliaria quoq;.

Ante Vuilnam autem uiri inſignes præſtolabantur, qui me regis nomine cum honorificè excepiſſent, atq; in traham, ſeu amplum uehiculum puluinaribus ſtratum, & ſtragulis auro & ſerico contextis collocatum, regijs miniſtris latus utrumq; claudentibus, officiumq; perinde ac ſi ipſe rex ueheretur præſtantibus, in hoſpitium uſq; deduxiſſent: mox aderat Petrus Tomitzki, tunc epiſcopus Premislienſis, regni Poloniæ uicecancelarius, uir omniũ teſtimonio uirtute ſingulari ac uitæ integritate præditus, meq; regis pariter nomine humaniſsimè conſalutauit, excepitq;. Ad ipſum denicq; regem, magna aulicorum caterua ſequẽte, paulo poſt deduxit: à quo multis primarijs uiris, proceribusq; magni ducatus Lithvuaniæ præſentibus, honeſtiſsimè exceptus fueram.

Vuilnæ porrò eo tempore inter cętera, matrimonium inter ipſum regem, & Bonam Ioannis Galeacij Sfortiæ ducis Mediolani filiam, Cæſare C promouente, me nuncio, contractum atq; concluſum fuit.

Erant ibi in arctis cuſtodijs tres Moſcouuitici duces, quibus ſumma rerum, atq; adeò Moſcouuiticus exercitus, anno M. D. XIIII. ad Orſſam commiſſus fuerat: inter quos erat Ioãnes Czeladin primus. Quos equidem regis permiſſu ſalutatus, eo quo potui ſtudio conſolabar.

Vuilna caput magni ducatus Lithvuaniæ, eo loci ſita eſt, quò confluunt Vuelia & Vuilna fluuij: inq; Nemen, ſeu Crononen illlabuntur. In ea relicto Chryſoſtomo Columno, non diu detinebar.

Vuilnam die XIIII. Martij egreſſus, non publica atq; uſitata uia, quarum una per Smolẽtzko, altera uerò per Livuoniã itur in Moſcouuiam: ſed media inter has uſus, rectà Nementſchin quatuor miliaribus, indeq; Svuintravua octo miliaribus, ſuperato Schamena fluuio, peruenj.

Sequẽti die Disla, ſex mil. ubi eiuſdẽ nominis lacus eſt: atq; Driſvuet, quatuor mil. ubi nuncius Moſci, quẽ Grodno reliqueram, ad me redijt.

Braslavu,

A Braslavu, quatuor miliaribus ad lacum Navuer, qui in longitudinem uno miliari patet.

Dedina, quinq; miliar. atq; Dvuina fluuiū, quem Livuonienſes (quorum ditionem percurrit) Duna appellant (ſunt qui Turantum eſſe uolunt) attigimus.

Driſſam dein ſeptem mil. properantes, rurſus ſub Betha oppido ad Dvuina fluuium peruenimus: per quem glacie cōcretum, uehiculis, eius gentis more, 16. miliaribus ſurſumuerſus dum ueheremur, duę nobis tritæ uiæ occurrerunt. Cum itaq; utram ingrederemur, dubitaremus: mox ſeruitorem in domum ruſtici in ripa ſitam ſciſcitatum miſi. quia uerò ſub meridiem glacies magnopere liqueſcebat, nuncius iuxta ripam liquefacta ac fracta glacie demerſus, uix tandem extractus fuit. accidit etiam, ut quodam loco fluuius utrinq; liquefacta prorſus & abſumpta glacie, ea duntaxat glaciei parte, quam continua uectio indurauerat, imò non niſi quatenus uehiculorum orbitæ complectebantur, nobis tanquam pons
B quidam, non ſine graui horrore ac periculo tranſitum daret. Augebat metum fama communis: quia non diu antè, aliquot centum Moſcouiticos prædones, per eundem fluuium glacie concretum tranſeuntes, ad unum omnes fuiſſe ſubmerſos, ferebatur.

A Driſſa Doporoski ſex miliaribus, indeq;

Polotzco principatum, quem Vuaivuodatum appellant, ad Dvuinam fluuium, quem alij Rubonem appellant, uenimus: ubi honorificè, in maxima hominum occurrentium frequentia excepti, magnificè ac lautè tractati, ad proximam denicq; manſionem uſq; deducti fuimus.

Inter Vuilnā & Polotzco plurimi lacus, crebrę paludes, atq; immēſæ lōgitudinis ſyluæ ſunt, ut quæ ad quinquaginta mil. Ger. protēduntur.

Vlterius progreſsi iter, in limitibus regni minimè tutum, ob crebras utriuſq; partis excurſiones, hoſpitia deſerta, aut nulla habuimus: perq; magnas paludes ac ſyluas, tandem Harbsle & Milenki, paſtorū caſas, uenimus: in quo itinere Lithvuanus deductor me deſeruerat. Accedebat
C ad hoſpitiorum incommoditatem, itineris ſumma difficultas. ſiquidem inter lacus & paludes niue & glacie labeſcente nobis eundum erat, dum Niſcham oppidum, ad quēdam eiuſdē nominis lacum ſitū, indeq; Quadaſſen quatuor miliaribus, quò loci cum magno pauore & periculo lacum quendam, aqua ſupra glaciem extante tranſiuimus, atq; ad tugurio-lum ruſtici cuiuſdam peruenimus, quò ex ditione Moſci, Georgij comitis mei cura commeatus allatus erat. Eò loci equidem limites utriuſq; Principis obſeruare ac diſcernere non potui.

Moſcouię ſine cōtradictione ditio Corſula: ubi, duob. fluuijs Vuelicarecka & Dſternicza traiectis, indeq; duobus mil. cōfectis, uenimus ad

Opotzka ciuitatem cum caſtro, ad Vuelicarecka ſitā. quò loci natans pons eſt, quem equi plerunq; genutenus in aqua tranſeunt. Hanc arcem rex Polonię, dū ego Moſcouiæ de pace tractarē, obſederat. In illis porrò locis, quanq; propter crebras paludes, ſyluas, & innumeros fluuios, exercitus aliquò cōmodè duci nō poſſe uideat: nihilominus tamen quó-

cunq; uolunt, rectà cõtendunt: colonorum nimirum multitudine præ- A
miſſa, qui quælibet impedimenta arboresq; incidendo ſubmouere, pa-
ludes ac fluuios pontibus ſternere coguntur.

Vuoronecz dein octo miliaribus oppidum ſitum ad Sſoret fluuium,
qui recepto in ſe Vuoronetz fluuio, non longè infra oppidum Vuelica-
recka illabitur.

Fiburg quinq; miliar.

Vuolodimeretz oppidum cum propugnaculo, 3. ferè miliar.

Brod coloni cuiuſdam domum, pariter 3. miliar. indeq; 5. miliaribus
emenſis, ſtratoq; ponte per Vſſa fluuium, qui Scholonam influit.

Parcho ciuitatem, cum caſtro, ad Scholona fluuium ſitam: Opoca uil-
lam quandam, ſub quo Vuidocha fluuius Suchanam ingreditur, quinq;
miliaribus. inde ſeptem ſuperatis fluuijs,

Reiſch uillam, quinq; pariter miliar.

Dvuerenbutig uillam, quinq; mil. infra quam dimidio miliari Pſche-
ga, Strupin fluuio in ſe recepto, influit Scholonam: in quem alij quatuor B
fluuij, quos eo die tranſiuimus, illabuntur.

Sotoki homuncionis domum 5. miliar. à qua 4. miliar. Novuogar-
diam tandem magnam quarta Aprilis attigimus. Cæterùm à Polotzko
Novuogardiam uſq; tot paludes ac fluuios ſuperauimus, ut eorum no-
mina ac numerũ ne incolæ quidem teneant: tantum abeſt, ut illos quiſ-
piam commemorare ac deſcribere poſſet.

Novuogardiæ paululum reſpirans, ac ſeptem diebus quieſcens, ab ip-
ſo locumtenente in die Palmarum conuiuio acceptus fui: atq; ab eodem
amanter admonitus, ut ſeruitoribus equisq; illic relictis, per diſpoſitos,
ſeu poſtarum (uulgò loquuntur) equos Moſcovuiam irem. Cui mo-
rem gerens, egreſſus primùm Beodnitz quatuor miliaria, indeq; totius
diei iter iuxta Mſta fluuiũ, qui nauigabilis eſt, & ex Samſtin lacu oritur,
confeci. Eo porrò die cum per pratum, liqueſcẽte iam niue, citato equo-
rum curſu proficiſceremur, pueri mei natione Lithvuani equulus cecide
rat, ita ut cum puero prorſus præcipitaretur: ſeq; denuò in modum rotę C
conuoluens, in poſteriores pedes daret, conſiſteretq;: & interea nec ter-
ram latere attingeret, nec puerum ſub ſe proſtratum ac iacẽtem læderet.

Poſt rectà Seitskovu, ultra fluuium Niſcha, ſex miliar.

Haroſczi ultra fluuium Calacha, ſeptem miliar.

Oreat Rechelvuitza ad fluuiũ Palamit, 7. mil. Eodẽ die trãſiuimus 8.
fluuios, & unũ lacũ, congelatũ quidem, ſed aqua ſupra glaciẽ cõpletum.

Tandem ſexta feria ante Paſchatis feſtum, in domum poſtarum perue
nimus, tresq; lacus ſuperauimus: primum Vuoldai, qui uno miliari in
latitudinem, duobus uerò in longitudinem patebat: ſecundum Luti-
nitſch, nõ admodum magnum: tertium Ihedra, cui eiuſdem nominis uil-
la ab Oreat octo miliar. adiacet. quo ſanè die per hoſce lacus, congelatos
adhuc, ſed aquarum multitudine niue liqueſcente inundantes, tritam
uiam ſecuti, difficillimum ac periculoſiſsimum iter habuimus: nec defle-
ctere de uiâ publica cùm ob niuis altitudinẽ, tum quòd nullũ ueſtigium

alicuius

A alicuius semitæ apparebat, audebamus. Confecto itaq; tam difficili atq; periculoso itinere, uenimus

Choitilovua septem miliar. infra quam duobus Schlingvua & Snai fluuijs, eo loco quo confluunt, inq; Msta fluuium illabuntur, superatis, Vuoloschak attigimus: ibiq; in die Paschatis quieuimus. Post septem miliaribus confectis, traiectoq; Tvuerza fluuio,

Vuedrapusta oppidum in ripa situm: indeq; 7. miliar. descendentes,

Dvuerschak ciuitatem, infra quam 2. miliaribus Schegima fluuio nauicula piscatoria transmisso, in

Ossoga oppido, uno die quieuimus. sequẽti die per Tvuerza fluuium septem miliaribus nauigantes,

Medina appulimus. sumptoq; prandio, rursus nauiculam ingressi, 7. miliarib. Vuolgam, celeberrimum fluuium, atq; adeò

Tvuer principatũ attigimus. ubi sumpta maiore naui, per Vuolgam nauigantes, non ita longè post ad congelatum, ac glacierum frustis re-

B fertũ ipsum fluuiũ uenimus: inq; quodam loco, maximo labore ac sudore appulimus. altumq; congesta in aceruum glacie, ripam uix tandem superauimus: indeq; pedestri itinere in coloni cuiusdam domum uenientes, paruosq; ibi repertos equos conscendentes, ad monasteriũ diui Heliæ uenimus. ubi commutatis equis,

Gerodin oppidũ ad Vuolgam sitã, tribus inde miliarib. rectaq; post Schossa 3. miliaribus,

Dschorno domum postarum, 3. miliar.

Clin oppidum, ad fluuium Ianuga situm, 6. miliar.

Piessack domum postarum, 3. miliar.

Schorna, ad fluuium eiusdem nominis situm. 6. miliar.

Moscovuiam, 3. miliar. tandem decimaoctaua Aprilis peruenimus: ubi quomodo consalutatus atq; exceptus fuerim, abundè satis in hoc libro exposui, cum de exceptione ac tractatione Oratorum egissem.

REDITUS.

C DIxi ab initio, me in Moscovuiam ad componendos Poloniæ & Moscovuiæ principes, à Diuo Maximiliano Imperatore missum fuisse, sed re infecta inde rediisse. nam dum Moscovuiæ, præsentibus etiam regis Poloniæ Oratoribus, de pace ac concordia tractarem, interim rex instructo exercitu Opotzka castrum, nequicquam tamẽ, oppugnabat. quare Princeps inducias cum rege facere pernegabat: meq; intercepto quidem negotio, honorificè tamen dimiserat. Relicta itaq; Moscovuia, rectà

Moseisko, 18. miliar.

Vuiesma, 26. miliar.

Drogobusch, 18. miliar.

Smolensko dein, 18. miliar. perueni. abinde duabus noctibus ibi sub dio in magnis niuib. quieuimus: ubi ab deductorib. meis lautè ac honorificè tractabar, et strato in lõgũ aliquãto altius fœno, corticib. arborum superimpositis, stratisq; linteis, attractis more Turcarũ seu Tartarorum

pedibus

pedibus menſæ accumbentes, cibum capiebamus, bibendoq; aliquanto A
largius, cœnam producebamus. Altera nocte ueneramus ad quendam
fluuium, minimè tum quidem congelatum: ſed poſt medium noctis, ob
infeſtum frigus uſq; adeò concretum, ut per glaciem pluſquã decem onu
ſta etiam uehicula traducta ſint. equi uerò alio loco, quo celerius maio-
req; impetu decurrebat fluuius, compulſi, fracta glacie tranſibant. Eò lo
ci duodecim à Smolensko miliar. relictis deductoribus, in Lithvuaniam
profectus ſum: & à limite octo miliar. ad

Dobrovunam ueni, ubi rerum neceſſariarum iuſtam quidem copiam,
ſed hoſpitium Lithvuanicum habui.

Orſam quatuor miliar. quouſq; à Vuieſma à dextris Boryſthenem ha
buimus, quem tum haud longo interuallo ſupra infraq; Smolensko tra-
jicere cogebamur. eoq; circa Orſam relicto, rectà

Druzek, 8. miliar.

Grodno, 11. miliar.

Boriſovu, 6. miliar. ad fluuium Bereſina, cuius fontes Ptolemæus Bo B
ryſtheni adſcribit.

Lohoſchakh, 8. miliar.

Radochoſtye, 7. ferè miliar.

Craſno Sello, 2. miliar.

Modoleſch, 2. miliar.

Crevua oppidum cum caſtro deſerto, 6. miliar.

Mednik pariter oppidum cum caſtro deſerto 7. miliar. indeq;

Vuilnam tãdem peruenimus: ibiq; poſt regis in Poloniam diſceſſum,
paucis diebus, dum ſeruitores cum equis meis ex Novuogardia per Li-
vuoniam reuerterentur, commoratus ſum. quibus receptis, mox inde
quatuor miliaribus de uia in Troki deflexi, ut ibi in quodam horto con-
cluſos ac conſeptos Biſontes, quos alij Vros, Ger. uerò Auroxn appel-
lãt, uiderem. Palatinus porrò, etſi meo inexpectato ac improuiſo aduen
tu quodammodo offendebatur, me nihilominus tamen ad prãdium in-
uitauit: cui intererat Scheachmet rex Savuolenſis Tartarus: qui eò loci C
in duob. muratis, & inter lacus extructis caſtris, uelutí liberis cuſtodijs,
honeſtè ſeruabatur. Is inter prandendum uarijs de rebus per interpre-
tem mecum colloquebatur: Cæſarem præterea fratrem ſuũ appellabat,
omneſq; principes ac reges inter ſe eſſe fratres dicebat.

Sumpto prandio, acceptoq; à Palatino iuxta Lithvuanorum conſue-
tudinem munere, primùm Moroſchei oppidũ, dein Grodno 15 miliar.

Grinki, 6. miliar. Sylua poſt ſuperata,

Narevu, 8. miliar. atq;

Bielsko oppidũ uenimus, ubi Nicolaũ Radovuil palatinũ Vilnẽſem
offendi, cui iã antea Cęſaris literas reddiderã: q etſi antea me equo grada
rio, duobusq; alijs pro uehiculo donauerat, caſtratũ tamẽ & bonũ iã de
nuò equũ dono dedit: obtruſitq; pterea aureos aliq; t Hũgaricales, adhor
tãdo, ut ex his annulũ mihi fieri curarẽ, quo induto, quotidieq; inſpecto,
ſui facilius, & præſertim apud Cæſarẽ recordarer. Ex Bielsko in Brieſti

caſtrum

A castrũ cũ oppido ligneo, ad fluuiũ Buh, in quem Muchavuetz illabitur.

Lamas oppidum: ubi Lithvuania relicta,

Poloniæ primum oppidum Partzovu ingressus, supra quod non ita longo interuallo Iasonica fluuiolus labitur, Lithvuaniamq; à Polonia dirimit. post

Lublin, 9. miliar.

Rubin,

Vrsendoff,

Savuichost, ad traiectum Istulæ.

Sandomir ciuitatem cum castro, ad Istulam sitam, distantemq; à Lublin 18. miliar.

Poloniza, ad fluuium Czerna: in quo nobilissimi pisces, quos uulgo Lachs appellant, capiuntur.

Ciuitatem nouam Cortzin appellatã, oppidum cum castro murato.

Admonet me hic locus rei prodigiosæ, & penè incredibilis, quã mini
B mè prætereundam esse putaui. Cum quodam tempore ex Lithvuania redirem per hanc regionem, incidi in hominẽ apud Polonos primarium Martinum Svuorovuski: qui me multis precibus inuitatum, in domum suam deduxit, ibiq; quàm lautissimè habuit. Dumq;, ut fit, familiariter multis de rebus colloqueremur, narrauit idem mihi, uirum quendam nobilem cognomento Pierstinski, quo tempore Sigismundus rex circa Borysthenem belligeraretur, grauiorem armaturam equestrem indutum, sub ipsa usq; genua, inter Smolensko & Dobrovunam ingressum Borysthenem, ibique ab equo rabie correpto, in medium flumen abreptum & excussum esse. & cum diu non comparuisset, ac planè pro perdito & deplorato habitus esset, subitò sub aquis in ripam egressum esse, ipso rege Sigismundo & eius exercitu tribus ferè hominum millibus inspectantibus. Etsi uerò authoritate hominis mouebar, tamen cum difficilia creditu dicere uisus esset, euenit, ut eodem die ipso, Martino comitante, huc ad nouam ciuitatem Corczin peueniremus: ubi tum uir
C summa apud Polonos dignitate, Christophorus Schidlovueczki castellanus Cracovuiensis, & eiusdem loci Capitaneus, agebat. Ibi cum idem me splendidissimo conuiuio cum multis alijs clarissimis uiris excepisset, recurrente narrationis illius de Pierstinski memoria, non potui mihi temperare, quin de ea mentionem facerem: quòd sanè peropportunè accidit. Nam hoc non tantum conuiuæ ipsi, etiam regem ipsum tanquam oculatum testem citantes, confirmarunt: sed aderat in eodem conuiuio ipsemet Pierstinski, qui casum hũc suum ita exposuit, ut pro credibili haberi possit. Dixit autem, quòd equo excussus ter se extulerit supra aquas: atq; ibi uenisse sibi in mentem, quod antè dici audiuisset, pro perdito habendum esse eum, cui non succurritur, cum tertio effertur. Itaq; se oculos aperuisse, atq; ita sublata altera manu esse progressum, ceu signo dato, ut ei subueniretur. Rogatus autem, an hausisset aquam? bis se hausisse, respõdit. Hæc ut audita mihi sunt, ita alijs narrata uolo. Sed nunc ad continuandum iter meum reuertor.

Prostvuitza,

Proſtvuitza, ubi optima ceruiſia coquitur. indéq́ A

Cracovuiam, caput regni, ſedem regalem, ad Iſtulam ſitam, 18. miliar. à Sandomir diſtãtem, urbem inquam clericorum, ſtudioſorum atq́ mercatorum frequentia celebrem, peruenimus: ex qua, à Rege ipſo, cui opera mea grata erat, munere accepto, honeſtiſsimè fui dimiſſus. rectaq́

Lipovuetz ſub caſtrum, ſacerdotum aliquid grauius delinquentium carcerem:

Indeq́ 3. miliar. Oſvuentzin, Sileſiæ quidem oppidum, Polonicæ tamen ditionis, ad Iſtulam ſitum: quo loco Sola fluuius ex montibus, qui Sileſiam ab Hungaria diuidunt, decurrens, Iſtulam ingreditur. Non longè ſub eodem oppido Preyſſa fluuius ex alia parte Iſtulæ, Sileſiam à Polonica & Bohemica ditione dirimit, Iſtulam quoq́ influit.

Ptzina, Ger. Ples, principatum in Sileſia Bohemicæ ditionis, 3. mil.

Strumen Ger. Schvuartzvuaſſer, 2. miliar.

Freyſtaetl, ducum Teſchinenſium oppidum, quod Elſa fluuius præterlabitur, qui in Oderam exoneratur. B

Morauiæ dein Oſtravua oppidum, quod Oſtravuitza fluuius alluit, Sileſiamq́ à Morauia diuidit.

Itſchin, Ger. Titzein oppidum, quatuor miliar.

Hranitza, Ger. Vueiſſenkirchen oppidũ, quod Betvuna fluuius præterlabitur, 1. miliar.

Lipnik, 1. miliar. unde cum Vuiſtriciam 2. miliar. rectà contẽdentes, fortè ex quodam colle Nicolaus Czaplitz, eius prouinciæ nobilis, ſibi nos obuios cõſpexiſſet, mox pixide arrepta, ad cõflictum ſe quodammodo cum duobus comitibus præparabat. Qua re equidem non temeritatem hominis, ſed ebrietatem potius animaduerteram: ac continuò ſeruitoribus mandaueram, ut ei nobis occurrenti media uia cederent. Sed ille hoc humanitatis officio neglecto, in altam niuem ſe coniecerat, nosq́ prætereũtes toruè intuebatur: ſeruosq́ à tergo cum uehiculis ſequẽtes, ad hoc ipſum genus officij, quod illi præſtare haudquaq́ poterant, cogebat: ſtrictoq́ gladio minabat. Ea re exorto utrinq́ clamore, factoq́ ſeruorũ qui pòſt erant concurſu, ipſe mox telo baliſtæ læſus, equus pariter uulneratus ſub eo cõciderat. Poſtea cum Moſcis Oratoribus iter inſtitutum proſecutus, ueni Olmutziũ, quò ille quoq́ ſaucius peruenerat: ſtatimq́, ueluti eius regionis incola notus, turba hominum (qui in fodẽdis aggerẽdisq́ piſcinis operã locãt) collecta, ulciſci ſeſe uolebat. Cuius ego tamen conatus maturo conſilio repreſsi, ac intercepi. Ex Olmutzio, C

Biſchovu oppidulum, 4. miliar.

Niklſpurg, 4. miliar. arcem ſplendidam, cum oppido. quod etſi uno miliari ultra Teyam fluuium, qui multis in locis Auſtriam à Morauia dirimit, ſitum eſt, Morauiæ tamen adiacet, eiusq́ ditioni ſubiecta eſt.

Auſtriæ inde oppidulum Miſtlbach, 3. miliar.

Vlrichskirchen, 3. miliar.

Viẽnam, ad Danubium ſitam urbẽ, à multis ſcriptoribus celebratam, tribus pariter miliaribus cõfectis peruenimus: quò equidẽ duo integra

uehicula

A uehicula ex Moſcouia uſque deduxi.

Ex Vienna, Nouam ciuitatẽ, 8. miliar. indeq; ultra montem Semring, interq; Styriæ montes Salisburgnm uſq; ueni. Pòſt Oeniponti, in Comitatu Tirolenſi oppido, Cæſarem aſſecutus: cuius Maieſtati non ſolum ea quæ ex mandatis geſſeram, grata erant: ſed etiam relatio de cæremoniis & conſuetudine Moſcouitarũ, auditu ualde iucunda. Quare etiam Matthæus Cardinalis Salisburgenſis, Cæſari admodum charus, Princeps induſtrius, & in rebus agendis uerſatiſsimus, iocoſe coram Ceſare proteſtatus eſt, ne Cæſar, ſe abſente, reliquum cæremoniarũ ex me audiret, cognoſceret ue.

Expedito mox ac dimiſſo à Cæſare Moſcorum Oratore, equidem in Hungariam ad regem Ludouicum, cum ſub id tempus inſtitutus Orator fuiſſem, eundem per Oenum ac Danubiũ Viennam deduxi: eoq; ibi relicto, ipſe continuò Pannonium currum conſcendi, quo trijugis equabus curru uolitante celerrimè ferebar, paucisq; horis Budã triginta duobus
B miliar. perueni. Tantæ autem celeritatis cauſa eſt, tam commoda per iuſta interualla reſpiratio equorum, & permutatio. Quarum prima utũtur in Prukh, oppidulo ad Leytham fluuium, qui Auſtriam ab Hungaria diuidit, diſtatq; à Vienna 6. miliar. Secunda in Ovuar caſtro, cum oppidulo, Ger. Altenburg, 5. miliar. Tertia in Iaurino oppido, ſedeq; Epiſcopali. Hunc locum Hungari Iurr, Germani uerò ab Raba fluuio, qui oppidum alluit, Danubiumq; ingreditur, Rab appellant. Hoc quidem in loco, qui ab Ovuar 5. miliaribus diſtat, equos permutant. Quarta, ſex infra Iaurinum miliaribus; in pago Cotzi, à quo & uectores currus nomen acceperunt: Cotziq; adhuc promiſcuè appellantur. Vltima in Vuark pago, quinq; à Cotzi miliaribus: quò loci equorum ſoleas, num qui claui uacillent, aut deſint, inſpiciunt, currus loraq; ſarciunt: quibus omnibus refectis, Budam, ſedem regalem, 5. inde miliar. inuehuntur.

Budæ ſede regia expoſita, ac confecta legatione, finitisq; comitijs, quæ haud procul ab urbe, ab eo loco quo celebrãtur, Rakhuſch uulgò appel-
C lantur, à rege honeſtiſsimè dimiſſus, ad Cæſarem redij: qui proximo Ianuario pòſt, anno ſcilicet Domini 1519. mortem obijt. Hancq; in Hungariam profectionem, quòd Moſcouiticæ coniuncta, unoq; prope & continuo itinere confecta fuit, adijcere uolui.

Cæterum cum in regni Hungariæ mentionem inciderim, non poſſum equidem ſine gemitu & grauiſsimo dolore commemorare, quomodo hoc regnum antea florentiſsimum & potentiſsimum, omnibus quodammodo intuentibus tam ſubitò afflictiſsimum factũ ſit. Eſt quidem, ut cæteris rebus omnibus, ita etiam regnis & imperijs terminus quidam conſtitutus: ſed nobiliſsimum Hungariæ regnum certè non tam fatis trahentibus, quàm mala & iniqua adminiſtratione, planè ad interitũ redactum eſſe uidetur. Mathias rex, neq; regio ſanguine natus, neq; uetuſto ducum aut principum ſtemmate clarus, non tamen nomine ſolum rex fuit, ſed ipſa re regem præſtitit: ac non modò Turcarum principi fortiter reſtitit, eiusq; grauiſsimas impreſsiones inuictus ſuſtinuit, uerùm & ipſi

Romanorum Imperatori, atq; adeò Boemiæ & Poloniæ regibus negocium fecit: denicq; omnibus uicinis ſuis terrori fuit. Quemadmodum autem huius regis uirtute, ac rebus præclarè geſtis, Hungariæ regnum ad ſummam potentiam ipſo uiuente peruenerat: ita eo ſublato, quaſi mole ſua laborans, inclinare cœpit. Nam qui ei ſucceſsit Vladislaus Boemiæ rex, Caſimiri Poloniæ regis filius primogenitus, princeps quidem pius, religioſus, & uitæ inculpatæ: ſed ad moderandã tam bellicoſam gentem, in tanti præſertim hoſtis uicinitate, minimè ſufficiens fuit. Etenim tot rebus ſecundis ferociores & inſolentiores facti Hungari, benignitate & clementia regis abutebantur ad licentiam, luxuriam, deſidiam, faſtum: quæ uitia eò tandẽ euaſere, ut etiã rex ipſe contemptui haberetur. Porrò Vladislao defuncto, ſub eius filio Ludouico cùm hæc ipſa uitia magis ac magis inualuere: tũ ſi qua reliqua fuit belli diſciplina, ea tota eſt amiſſa. nec potuit rex puer his malis ob ætatẽ mederi: nec alioqui ad eam, quam decebat, grauitatem educatus fuit. Primores regni, ac præcipuè prælati, luxu penè incredibili diffluebant: & certabant quaſi æmulatione quadam tum inter ſe, tum cum baronibus, ut alij alios profuſione & ſplendore uincerent. Idem nobilitatem partim beneficijs ac præmijs, partim etiam potentia ac metu ſibi obnoxiam tenebant, ut plures aſſectatores haberent, ac eorum ſtudijs & acclamationibus in publicis conuentibus iuuarentur. Mirũ dictu, qua pompa, quo apparatu, ac quibus equitum utriuſq; armaturæ copijs Budam ſunt ingreſsi, præcinentibus tubicinibus ad cuiuſdam quaſi triumphi ſpeciem.

Porrò in regiam cum irent, aut inde redirent, tanto deductorum & ſtipatorum comitatu undiq; ſepti incedebant, ut uici & plateæ uix cateruam caperent. Cum uerò prandendũ eſſet, tota urbe ad ædes cuiuſq; tubæ non aliter atq; in caſtris reſonabant: & ducebantur prandia in multas horas, quæ ſomnus & quies excipiebant, cum contrà quaſi ſolitudo quædam eſſet circa regem: & fines regni interea deſtituti neceſſarijs præſidijs, impunè ab hoſtibus uaſtarentur. Epiſcopatus dignitates, & præcipua quæq; officia promiſcuè, non pro meritorũ ratione, conferebant: & quo plus potentiæ quiſq; obtinebat, hoc plus iuris habere credebat. Itaq; laborabat iuſtitia, & premebantur infirmiores: ac omni bono ordine ſublato atq; euerſo, ſubinde inueniebatur aliquid, quod Reipubl. labem aliquam cum uulgi detrimento afferret: cuiuſmodi fuit illa innouandæ argenteæ monetæ licentia, per quam prioribus bonis numis conflatis, alij deteriores paſsim cudebãtur: & his rurſum ſublatis, alij fiebant meliores: qui tamen iuſtum precium tenere non potuerant, ſed nunc pluris, nunc minoris habiti ſunt (prout locupletiorum cupiditati libuit:) qui etiam à quibuſdam priuatis penè palàm impunè ſunt adulterati. Denicq; ea erat in uniuerſa Hungaria omnium rerum inclinatio, uel potius confuſio, ut quiuis uel minimam experientiam habens, regnum hoc tot malis obnoxium, etiamſi nullum uicinum haberet hoſtem, mox perire oportere perſpiceret. Ego quidem certè cum oratorem Principis mei Budæ agerem, non dubitaui, quaſi aliud agens, ſereniſs. Hungariæ reginam Mariam admonere,

A monere, ut futura cõsideraret, sibiq; in omnẽ euentũ pręsidij aliquid cõpa raret & seponeret: neq; aut domini & mariti sui potentiæ & iuuentæ, aut fratrũ suorũ opibus nimiũ fideret. Nam hæc omnia morti & infinitis casi bus obnoxia esse. Meminisset ueteris prouerbij, quo fertur, Bonum esse, habere amicos: sed miseros esse, qui his uti cogant. Gentẽ Hungaricam ferocem & inquietã, seditiosam & turbulentã, aduenis & exteris parum æquam & amicam esse. Imminere Hungariæ hostem potentissmũ: neq; quicquã magis affectare, quàm ut id suam in potestatem redigat. Referre itaq; ipsius, ut aliquid recondat, unde sibi & suis, si quid aduersi accidat, opitulari possit. Et alioqui magis regium esse, iuuare alios, quàm alieno auxilio indigere. Etsi uerò bonam in partem pro more regio accepta fuit hæc admonitio, mihiq; actæ sunt gratiæ: tamen quod mihi tum præsagiebat animus, quodq; metuebam, nihil proficientibus bonis ac fidis monitoribus & consultoribus, ingenti nostro malo euenit: nequedum huius tragœdiæ finis est. Aula mãsit, qualis erat: & nihil remissum est à pompa,
B fastu, insolentia ac luxu, donec concideret. ut non ineptè quidã ex aulicis tum dixerit, se nunquam uidisse uel audisse regnum ullum, quod maiore, atq; Hungaria, gaudio & tripudio periret.

Etsi uerò planè desperatæ res Hungarorum essent, tanta tamen eorum erat insolentia, ut hostem præpotentem & uicinum, Turcam, non modò superbè contemnere, sed etiam iniurijs & contumelijs aduersus se prouocare nõ dubitarent. Nam cum hic, qui nunc imperat, Solimannus, patre suo defuncto de more denunciasset uicinis, se paterno solio potitum esse, & portam suam patêre omnibus, siue pacem siue bellum petentibus: idque præcipuè per Oratores suos Hungaris significasset: nec deessent qui suaderent, eos cum Polonis, ut antea, à Solimanno pacem petere debere: Hungari non modò repudiauere consilia salutaria, sed etiam Oratores ipsos Turcæ captos detinuere. Qua contumelia iritatus Solimannus, Hungariam hostiliter inuasit: captaq; primùm Nandoralba, fortissimo non tantum Hungariæ, sed uniuersi orbis Christiani propugnaculo, ad
C alia capienda progressus, eò peruenit, ut regia sede Buda & præcipuis quibusq; ac munitissimis arcibus, ipsaq; regni parte optima & florentissima potiret. Vnde ijs quæ restant, nunc ita imminet, ut penè pro uictis ac debellatis haberi possint. Videbantur quidẽ sibi Hungari aliquã habere causam ad detinendos Solimanni Oratores, quòd pater eius Oratorem Hungarorum ad se missum Barnabam Bel detinuisset, secumq; in expeditionem aduersus Sultanũ susceptam duxisset: quem tamẽ eo bello confecto, bene muneratum remiserat. Sed mussitandum hoc erat potius Hungaris: cum, ut dicitur, uana sit sine uiribus ira: quàm per impotentem ultionem prouocato potentiore sibi exitium accersere, & in idem discrimen uicinos adducere. Cum Solimãnus Budam antè semel captam, sed Ioanni Zapolitano redditam, denuò profligato exercitu nostro, qui eam post Ioannis mortem obsessam tenebat, denuò cepisset & occupasset: ego ad eum Principis mei nomine, cum illustri Comite Nicolao à Salmis, Orator accessi: & in parte pacis habui, dextram osculari tyranni. Quo tem-

pore non tantum de tota Hungaria, ſed etiam conterminis prouincijs a- A
ctum eſſe uidebatur.

Porrò quàm iniquè comparata fuerit pugna Ludouici regis cum Soli-
manno, notius eſt quàm ut dicere ſit neceſſe. Obiectus eſt rex adoleſcẽs,
militiæ rudis, & nullo antè in bello uerſatus, cum paucis, magna ex parte
imbellibus, hoſti callidiſsimo, ac multis recentibus uictorijs exultanti:
trahentiq; ſecum robur exercitus, quo orientem & magnã Europæ par-
tem debellarat. Quæ præcipuè futuræ erant Hungarorum uires, eas Io-
annes Zapolienſis Vuayvuoda Tranſyluanus apud ſe retinuit, neq; in
auxilium regis ſui accedere permiſit. Idem uerò extincto rege, ſceptra
inuaſit, quæ dudum concupiuerat: imò quæ ei pater ipſius Stephanus
Zapolienſis, adhuc puero deſtinarat. Memini enim me audiuiſſe à Io-
anne Lazki, qui Caſimiri regis Poloniæ ſecretarius, ac poſtea Archiepiſco
pus Gneſnenſis fuit: hunc Stephanum Zapolienſem, quũ, Mathia rege
mortuo, apud quem ſummã authoritatem obtinuerat, de creando nouo
Rege ageretur, filium ſuum Ioannem adhuc infantem cõplexum, dixiſſe:
Si tantulus eſſes fili (modo corporis paulo maiore oſtenſo) nunc rex Hnu B
gariæ eſſes. Idq; idem Archiepiſcopus ceu bene ominatũ, & quaſi præiu
dicij cuiuſdam uim habens, nõ deſtitit iactitare, cũ inter nos de pace inter
Principem meũ & Ioannem concilianda ageretur. Quod autẽ euenit, ut
Ioannes dignitatem & ſedem Regiam cum aliqua parte Hungariæ per
Solimannum obtineret: idem nunc etiam ſoboles eius, aut hi potius in
quorum poteſtate eſt, contra omnia iura & pacta affectant: nihil penſi
habentes, neq; cogitantes, quàm perfidioſè antea à tyranno tractati, &
Buda eiecti fuerint. Sed feruntur excæcati regnandi libidine animi in in-
teritum ſuum, eôdemq; uicinos trahunt.

Si Chriſtiano orbi nullum fuiſſet in Hungaria præſidium (quod tamen
fuiſſe maximum, quotidiana experientia, & iam clades additæ cladibus
teſtantur) tamen uel propter ſolas opes, quas Deus optimus maximus in
Hungariam largiſsimè effudit, & inde uicinis nationibus ſuppeditauit,
non tantum Hungaris ipſis, ſed Chriſtianis omnibus, pro eius ſalute, tan- C
quam pro communi patria, eſſet laborandum. Nam quid ferè eſt in tota
rerum natura boni & precioſi, quod Hungaria non habeat? Si metalla
quæras, quæ pars eſt orbis Hungaria fœcundior auro, argento, cupro,
chalybe, ferro? Nam plumbi minus habet, & ſtãno carere dicitur: ſi tamẽ
carere eſt, quod nondum inueniri contigit. Quin & ſalem metallicum ha
bet, optimum & puriſsimum, qui inſtar lapidum in lapicidinis cæditur.
Et quod iurè mireris, alicubi etiam aquæ metallorum ſpeciem uertunt,
& ex ferro cuprum reddunt. Vina dat pro locorum diuerſitate, ut fit, di-
uerſa: ſed pleriſque in locis etiam extra Sirmium, uini prouentu & bo-
nitate clarum, quod amiſimus, tam generoſa & excellẽtia, ut pro Creticis
haberi poſsint. Taceo frugum ac omnis generis optimorum fructuum
infinitam copiam. Porrò feras, & quicquid uenatu uel aucupio capitur,
quid attinet commemorare? Ita enim his abundat Hungaria, ut interdi-
cere ruſticis, ne uel uenentur, uel aucupentur, pro re ualde inſolente ha-
beatur:

A beatur: nec penè minus plebeiorum ꝙ nobilium epulæ ſint, lepores, damæ, ceruí, apri, turdi, perdices, phaſiani, bonaſi, & quicquid eſt eiuſmodi, quod ad menſas delicatiores alibi expetitur. Pecoris certè adeò abundans eſt, ut iure mirari poſsis, unde proueniant tot & tanta boum & ouium agmina, quæ in exteras regiones, Italiam, Germaniam, Bohemiam mittit. Nam cum per Morauiam, Auſtriam, Stiriam, Slauoniam, perꝙ alias Hungariæ uicinas prouincias multæ pateant uiæ, per quas pecus agminatim expellitur: obſeruatum eſt, per ſolam uiam Viennenſem uno anno plus quàm octoginta millia boum in Germaniam acta eſſe. Iam de piſcium omnis generis copia quid dicam? quæ cũ ad Danubiũ, Drauum, Sauum, et alia minora flumina, tum ad Tibiſcũ, mediam ferè Hungariã ab Oriente & Septentrionib. percurrentẽ, tanta eſt, ut ferè ꝙ minimo ueneant, ac tantum nõ gratis dentur piſces: ſæpe etiã uel gratis dati, nõ auferantur. Nec eſt tantum ubertas quædam penè incredibilis tantarum opum in Hungaria: ſed etiam tanta bonitas, ut quæ alijs in locis naſcuntur e-

B iuſdem generis, Hungaricis nequaquam conferri aut æquiparari poſſint. Quo maior & triſtior erit nota huius ſeculi apud poſteritatem, quòd non omnes uires ſuas ad ſeruandum regnum tam opulentum, & ad cohercendum Chriſtiani nominis hoſtem capitalem, tam opportunum, conuerterit.

ITER SECUNDAE LEGATIONIS.

MOrtuo Cæſare Maximiliano, Styrienſium Orator ad Carolum Hiſpaniarum regem, archiducem Auſtriæ, tum electum Rom. Imperatorem, ad cuius Maieſtatem poſtea & Moſcus ſuos miſerat Oratores, qui cõfœderationes cum Max. Imp. initas iam denuò cõfirmarent, miſſus ſum. Vt autem uiciſſim Imperator Moſco gratificaretur, dederat negocium fratri D. Ferdinando, Archiduci, ut Ludouicum Hungariæ regem admoneret, quo is apud ſuum patruum Sigiſmundum Poloniæ re-

C gem tantum efficeret, ut ad ęquas pacis ſeu induciarum conditiones cum Moſco conſentiret. Viennę itaꝙ Auſtrię Leonhardus Comes Nugarolæ, nomine Caroli Rom. Imp. & ego fratris ſuæ Maieſtatis Ferdinandi, Infantis Hiſpaniarum, Archiducis Auſtrię, & c. conſcenſis curribus Pannonicis, ad Ludouicum regem Hungariæ properantes, Budam uenimus: ibiꝙ expoſitis mandatis, negotijſꝙ ex ſententia confectis dimiſſi, Viennamꝙ redeuntes, mox cum Moſci Oratoribus, qui tum ex Hiſpanijs à Cæſare redierant, egreſſi per oppida,

Miſtlbach, 6. miliar.
Vuiſternitz, 4. miliar.
Vuiſcha, 5. miliar.
Olmutium, 4. miliar.
Sternberg, 2. miliar.

Parn ferrifodinas, 2. miliar. indeꝙ duobus miliarib. pontem Morauа fluuio impoſitum tranſeuntes: ibiꝙ Morauia relicta,

Sileſiæ oppidum & principatum ingreſsi, A
Iagerndorff tribus miliaribus, tum per
Lubſchiz, 2. miliar.
Glogouia parua, 2. miliar.
Crepitza, 2. miliar. Et pòſt trans Oderam flu.
Opolia ciuitatem cum caſtro, ad Oderam fluuium ſitam, ubi ultimus Opolienſium Dux ſuam ſedem habebat, 3. miliar.
Oleſchno, Ger. Roſenberg, trans fluuium Malpont, qui tum aquarum multitudine mirum in modum redundabat, 7. miliar.
Poloniæ oppidum Crepitza uetus, duo ferè miliaria peruenimus, quo in loco cũ Poloniæ regẽ, Pietercouiæ oppido (in quo Regnicolæ habere comitia ac celebrare ſolent) eſſe intelleximus, illicò eò ſeruitorem præmiſimus. Reuerſus, cum inde Regem iam rectà Cracouiam profecturum renunciaſſet, iter noſtrũ ex Crepitza eò nos pariter direximus, atq; primũ
Clobutzko, 2. miliar.
Czeſtochovu monaſterium, in quo imago diuæ Virginis magno concurſu populi, præcipuè uerò Ruthenici colitur, 3. miliar. B
Scharki, 5. miliar.
Cromolovu, 3. miliar.
Iikuſch inſignes plumbifodinas, 4. miliar.
Cracouiam inde pòſt 5. miliar. confectis, ſecunda Februarij die peruenimus: ubi nihil tum nobis honoris fuit exhibitum, neq; nobis quiſquam obuiam proceſsit, neq; hoſpitia deſignata, ſeu conſtituta erant, neque humanitatis officio quiſquam aulicorum nos conſalutauit, excepit'ue, perinde ac ſi de aduentu noſtro nihil prorſus intelleximſſent. Impetrato pòſt ad Regem aditu, cauſam legationis noſtræ eleuabat, officium'q; Principum noſtrorum tanquam intempeſtiuum reprehendebat: maximè uerò, cum Oratores Moſci, à Cæſare ex Hiſpanijs uſq; redeuntes, nobiſcum uideret: Moſcum ideo moliri aliquid ſuſpicabatur. Quæ'nam tandem, inquit, uicinitas, aut ſanguinis coniunctio Principibus ueſtris cum Moſco intercedit? quòd ultro ſe medios conſtituerent: præſertim cum Rex ipſe à Principibus noſtris nihil tale peteret, hoſtem'q; ſuum facilè ad æquas pacis conditiones cogere poſſet. Nos uerò conſilia pia & Chriſtiana, mentem'que ſynceram Principum noſtrorum teſtabamur, illos'q; nihil magis quàm pacem, ac mutuam inter Chriſtianos Principes amicitiam ac concordiam ex animo optare uelle, atq; omni ſtudio procurare. Dicebamus etiam: Si Regi non uidetur, ut noſtra mandata proſequamur, tum aut re infecta redibimus, aut Dominis noſtris ea nunciabimus, & reſponſum ſuper ea re expectabimus. Qua re audita, humanius aliquanto ac liberalius etiã in hoſpitijs tractabamur. Eo tempore data erat mihi occaſio petendi mille florenos, quos mihi mater Reginæ Bonæ, quòd iampridem ex Cæſaris Maximiliani mandato hoc ipſum matrimoniũ filiæ tractaſſem, inſcriptione data, promiſerat: quam Rex tum benignè à me acceperat, eam'q; ad reditũ meum ſeruarat, mihi'q; poſtea reuerſo ſatisfieri curauerat. C

Die

A Die Februarij quartadecima, Cracouia relicta, trahis seu uehiculis satis commodo itinere per Poloniæ oppida,

Nouam ciuitatem, Cortzin,
Poloniza,
Ossek,
Pocrouitza,
Sandomeria,
Savuichost,
Vrsendoff,
Lublin,
Parczovu,

Lithvuaniæ tum oppidum tribus miliarib. Polovuiza attigimus, ubi plurima itinera, propter crebras paludes, pontibus strata transiuimus, indéque

Rostovusche, 2. miliar.

B Pesiczatez, 3. miliar.

Briesti, 4. miliar. magnũ oppidũ cum castro, ad Buh fluuium, in quem Muchavuetz illabitur.

Camenetz oppidũ, cum lapidea turri in arce lignea, 5. mil. indéq; duobus fluuijs Oschna & Beschna traiectis, confectisq; 5. miliaribus,

Schereschovua recens ædificatum oppidum in magna sylua, ad fluuium Lisna, qui & Camenecz præterlabitur, situm, uenimus.

Novuidvuor, 5. miliar.
Porossovua, 2. miliar.

Vuolkovuitza, 4. miliar. quo loco commodius hospitium in tota profectione non habuimus.

Pieski oppidum ad fluuiũ Selvua, qui ex ipsius Rusię Vuolinia prouincia procurrit, Nemenq; influit.

Mostu uno miliari ad fluuium Nemen situm oppidum, quod à ponte Nemen imposito, nomen accepit: Most enim pons est.

C Czutzma, 3. miliar.
Basiliski, 3. miliar.
Radomi, 5. miliar.
Hestlitschkami, 2. miliar.
Rudniki, 5. miliar.

Vilnã, 4. miliar. Porrò per hęc loca à Vuolkhovuitza usq; enumerata, hoc tempore non perueneramus Vilnam: sed cursum nostrũ in dextram Orientem uersus flectentes, per

Solvua,
Slonin,
Moschad,
Czernig,
Oberno,
Ottmut,
Cadayenovu,

Miensko oppidum, à Vuolcovuitza 35. miliar. distans. inde præterea A
omnes fluuij in Borysthenẽ feruntur, cum alij relicti in Nemen decurrãt.

Boríssovu oppidum ad fluuiũ Beresina situm, 18. miliar. de quo suprà.

Reschak 40. miliar. In illis porrò locis, propter maximas solitudines, nõ compendiosa, sed communi uia usi, Mogilevu oppido, ad dextram interuallo 4. miliar. relicto, per

Schklovu, 6. miliar.

Orsa, 6. miliar.

Dobrovuna, 4. miliar. aliaq; loca in priore itinerario exposita, Moscovuiam tandem uenimus: ubi diu tractantes, nec tamen aliud extroquere potuimus, quàm ista: Si rex Poloniæ uult nobiscũ pacem, mittat ad nos, ut consuetum est, Oratores suos, & nos uolumus cum illo pacem nobis competentem. Misimus tandem nostros ad regem Poloniæ (qui tum in ciuitate Gdanensi fuit) destinauitq; ad hortationem nostram suos Oratores, Petrum Gysca palatinum Plocensem, & Michaelem Bohusch Lithvuanicum thesaurarium.

Porrò Princeps cum Oratores Lithvuanos haud procul à Moscovuia B
esse cognouisset, subitò se uenationis prætextu ac recreandi animi gratia, tempore minimè tamen ad uenandũ congruo, Mosaisko, quo loco maximam habet leporũ copiam, contulerat: nosq; ad sese, ne fortasse Lithvuani urbem ingrederentur, uocauerat. ubi impetratis confirmatisq; inducijs, undecima Nouembris dimissi, sciscitabatur Princeps, qua uia nos rediturí essemus, quia Turcam Budæ fuisse intellexerat: quid autem effeciisset, se ignorare aiebat. Eadem qua ueneramus uia, Dobrovunam usq; reuersi, impedimenta nostra, quæ ex Vuiesma per Borysthenem miseramus, ibi recepimus: Pristauumq; Lithvuanũ, qui nos eò loci expectabat, reperimus: à quò, Ludouicum Hungariæ regem perijsse, tum primùm intelleximus.

A Dobrovuna 4. mil. uenimus Orsam: unde eodẽ itinere, quo ego in priore reditu usus eram, Vilnã peruenimus: ibiq; ab Regis naturali filio, Ioanne episcopo Vilnensi, humaniter accepti, lauteq; tractati fuimus. tũ C

Rudnik, post 4. miliar.

Vuolkonik, 3. miliar.

Meretsch oppidum, quod ab eiusdem nominis illic fluuio nomen habet, septem miliar.

Osse, 6. miliar.

Grodno principatum ad Nemen fluuium situm, septem miliar.

Grinki, 6. miliar. quò cum prima Ianuarij proficiscerемur, tam durum frigus obortũ fuit, impetusq; uentorum niues in modum turbinis uoluens, dispergensq;, adeò ut hoc tanto tamq; infesto frigore equorũ testiculi, & aliqua ex parte caniculę ubera congelata, corruptáque exciderint. Equidem nasum, nisi tempestiuius à Pristauo admonitus fuissem, ferè amisissem. Ingressus enim hospitium, uix tandem, niue, monitu Pristaui, nasum macerando ac fricando, non citra dolorem sentire cœperam, scabiéque quodammodo oborta, ac dein paulatim arescente, conualueram.

gallumq;

A gallumq; Moſcouiticum, more Germanorum ſuper currum ſedentem, frigoreq; iamiam morientem, ſeruitor criſta, quæ gelu concreta erat, ſubitò abſciſſa, non ſolum hoc modo ſeruauit, uerumetiã ut erecto ſtatim collo cantaret, nobis admirantibus, effecit.

A' Grinki, per magnam ſyluam, in
Narevu, 8. miliar.
Bielſco, 4. miliar.
Milenecz, 4. miliar.
Mielnik, 3. miliar.
Loſchitzi, 7. miliar. poſt 8. miliar.

Poloniæ oppidum tandem Lucovu, ad Oxi fluuium ſitum. Huius loci præfectus Staroſta, quaſi dicas ſenior, appellatur: ſub cuius ditione tria milia nobilium eſſe feruntur. Sunt ibi aliquot uillæ atque pagi, in quibus tantus nobilium creuit numerus, ut nullus ſit colonus.

Oxi oppidum ad fluuium eiuſdem nominis ſitum, 5. miliar.

B Steſchicza oppidum, ſub quo Vuiepers fluuius Iſtulam ingreditur, 5. miliar.

Svuolena oppidum, 5. miliar. quo loco Vuiepers fluuio tranſmiſſo,
Senna, 5. miliar.
Polki, 6. miliar.
Schidlovu oppidum muro cinctum, 6. miliar.
Vuislicza oppidum muratum in lacu quodam ſitum, 5. miliar.
Proſtvuicza, 6. miliar. indeq; 4. miliar.

Cracouiam tandem reuerſi ſumus: ubi multa quidem præter mandata, ſed quæ tamen Domino meo Bohemorum regi recens electo non ingrata & profutura ſciebam, tractaui.

Ex Cracouia iter noſtrum Pragam uerſus dirigentes, per
Cobilagora, 5. miliar.
Ilkuſch plumbifodinas, 2. miliar.

Benſin oppidum, 5. miliar. infra quod haud longo interuallo Pieltza
C fluuius Poloniam à Sileſia dirimit.

Sileſiæ oppidum Pielſcovuicza, 5. miliar.
Cosle oppidum muratũ, ad Oderam fluuium, quem Viagrum appellant, ſitum, quatuor miliar.
Biela, 5. miliar.


Niſſam, 6. miliar. ciuitatem, Vratislauienſium Epiſcoporum ſedem, in qua ab Iacobo epiſcopo perhumaniter accepti ac tractati fuimus.


Othmachavu caſtrum epiſcopi, 1. miliar.
Baart, 3. miliar.
Bohemiæ oppidum Glacz, Comitatus, 2. miliar.
Ranericz, 5. miliar.
Ieromiers pariter 5. ferè miliar.
Bretſchavu, 4. miliar.
Limburg, 4. miliar. ciuitatem ad Albim fluuium ſitam.
Pragam tandẽ, caput regni Bohemiæ 6. miliar. ad Moltauam fluuium ſitam,


ſitam, perueni, meumq; Principem iam Bohemorum Regem electum, A eoq; ad coronationem uocatum reperi: cui equidē coronationi uiceſima quarta Feb. interfui. Porrò Oratores Moſci, qui me ſequebantur, & quibus officij atque honoris gratia obuiam proceſſeram, dum arcis & urbis magnitudinem intuerentur, non eſſe caſtrum, aut ciuitatem, ſed regnum potius dicebant, quod ſine ſanguine acquiri permagnum eſſet.


Cæterùm rex clemens & pius, audita ac cognita relatione mea, conſultationéq; de rebus tum imminentib. finita, grata habuit quę geſſeram, de diligēti mandatorū ſuorū expeditione, déq; his quę præter mandata profutura tum effeceram: & quod me ægrotum quidem, ad omnes labores obeundos obtuleram, gratiam ſuo ore pollicebatur. Quę omnia cum Regi grata eſſent, mihi iucundiſsima fuere.

FINIS.









PAVLVS IOVIVS NOVO-

comensis Ioanni Rufo archiepiscopo Consentino S.

A



Efflagitasti amplissime antistes Rufe, ut ea que de Moscouitarum moribus à Demetrio eius gentis legato, qui ad CLEMENTEM VII. Pontificem nuper uenit, quotidianis propè sermonibus didicissem, Latinarum literarum memoriæ commendarem: quum pro uetere tua pietate atq; uirtute, ad amplificãdam Romani Pontificis dignitatem, pertinere arbitrareris, si homines intelligerẽt, non fabulosi, aut omnino obscuri nominis regem, sed qui numerosissimis extremi aquilonis populis imperet, in causa religionis, omnibus nobiscum sensibus coniungi, fœdereq; perpetuo colligari, opportunissimo tempore cupiuisse: quando nuper aliquæ Germaniæ gentes, quæ pietate cæteris omnibus præstare uideri uolebant, insana atq; scelesta defectione non modò à nobis, sed ab ipsis etiam superis exitiali errore deciuerint. Cęterùm id munus impositum, quod certè grauioribus studijs occupatus iure optimo poteram recusare, egregia uoluntate, celeritateq; perfeci, ne nimia mora uel accuratiori castigatione gratiam nouitatis exueret: qua uel una re, meæ erga te ueteris obseruantiæ studium, præstandiq; officij uoluntas manifestè declaratur: quum honoris iacturam facere, si quis ex hac ingenij tenuitate sperandus est, quàm desiderium tuum longè honestissimum diutius frustrari maluerim. Vale.

B

HIERONYMI DELII ALEX.

Moschouijs quando lucem das gentibus, omnes
Paule tibi debent lumina Moschouij.
Sed cum Moschouiam per te quoq; noscitet orbis,
Quid tibi quod, ni orbem debeat, orbis habet?

IANI VITALIS.

Vix olim ulla fides referentibus horrida regna
C *Moschorum, & Pontires glacialis, erat.*
Nunc Iouio autore, illa oculis lustramus, & orbes,
Et nemora, & montes cernimus, & fluuios.
Hæc tibi Rufe dicat Iouius, quo nomine maior
Fama sit & Moschi, fama sit & Iouij.
Fœlicem ô gentem, auspicijs quæ talibus exis
In lucem, ô geminis inclyta numinibus.
Non poteras alio melius sub sidere nasci,
Quàm sub sceptriferæ Palladis, atq; Iouis.

P. CVRSII.

Moschouiam, monumenta Iouij tua culta reuoluens,
Cœpi alios mundos credere Democriti.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS, DE LEGATIONE BASILII MAGNI PRINcipis Moscouiæ ad Clementem VII. Pontificem Max. Liber: in quo situs regionis antiquis incognitus, religio gentis, mores, & causæ legationis fidelissimè referuntur. Cæterùm ostenditur error Strabonis, Ptolemæi, aliorumq; Geographiæ scriptorum, ubi de Ryphæis montibus meminere: quos hac ætate nusquam esse, planè compertum est.

REgionis primò situs, quem Plinio, Strabonique & Ptolemæo parum notum fuisse perspicimus, pressa breuitate describetur, & in tabula typis excusa figurabitur: inde gentis mores, opes, religionem, militiæque instituta, Tacitum imitati, qui à perpetuis historijs libellum de Germanorum moribus seiunxit, perstrictiore stilo narrabimus; eadem ferè sermonis simplicitate utentes, qua nobis ab ipso Demetrio, curiosa ac leni uestigatione lacessito, per ocium exposita fuere. Demetrius enim haud ineptè Latina utit lingua, utpote qui in Liuonia à teneris annis in ludo prima literarum rudimenta didicerit, & insigni uariarum legationum munere functus, plures prouincias Christianorum adierit. Nam quum antea ob spectatam fidem ac industriam, apud Suetiæ Daciæque reges, & magnum Prussiæ magistrum, Oratorem egisset, nouissimè apud Maximilianum Cæsarem, dum in eius aula omnis generis hominum refertissima uersaretur, si quid barbarũ quieto docilique ingenio inerat, elegantium morum obseruatione detersit. Causam uerò huiusce A
suscipiendæ legationis præbuit Paulus Centurio Genuensis, qui cum acptis à Leone X. Pontifice commendaticijs literis, mercaturæ causa in Moscouiam peruenisset, cum Basilij principis familiaribus ultro de consociandis utriusque ecclesiæ ritibus agitauit. Quærebat enim Paulus insano, uastoque animo, nouum & incredibile iter petendis ab India aromatibus. Fama nanque cognouerat, cum in Syria, Ægyptoque & Ponto negotiaretur, aromata ex ulteriore India aduerso amne Indo subuehi posse, atque inde modico terrestri itinere superatis Paropanisidis montium iugis, traduci in Oxum Bactrianorum amnem: qui ijsdem ferè montibus, quibus Indus, oritur, aduerso fonte in Hyrcanum mare, raptis secum multis amnibus, ad Strauam portum effunditur. Porrò ab ipsa Straua tutam facilemque nauigationem uideri, usque ad emporium Citrachã, ostiumque Volgæ amnis: inde uerò aduersis semper amnibus, Volga scilicet, & Occha, & Moscho, in urbem Moscham: ab Moscha autem, terrestri itinere Rigam, & in ipsum mare Sarmaticum, omnes què occiduas regiones facilè B
peruenirì posse, contendebat. Vehementer enim & supra equum, Lusitanorum iniurijs erat accensus, qui India magna ex parte armis domita, occupatisque omnibus emporijs, cuncta aromata coemerent, & in Hispaniam auerterent, atque ea grauiore quàm antea precio ac impotenti quæstu omnibus Europæ populis uenditare consueuissent: quin & diligenti C
adeò cu-

A adeò cura Indici maris littora perpetuis classib. custodirent, ut eæ negotiationes penitus intermissæ atq; desertæ uideantur, quibus per sinum Persicum, ac aduersum Euphratẽ, & per Arabici maris angustias, secundo'q; demum Nilo per mare nostrum Asia omnis atq; Europa abundè & uiliore quidem precio complebantur: deteriore etiam Lusitanorum mercimonio, quum remotissimæ nauigationis incõmodo, sentinæ'q; uitijs aromata corrumpi, eorum'q; uis & sapor, odoratus'que ille spiritus, multa demum mora in Olysipponensibus conditorijs promercalibus euanescere atq; exspirare uideatur, cũ asseruatis semper recentioribus, uetera tantum, & multo quidem situ mucida uenundari quereretur. Cæterùm Paulus quanquam de ijs rebus acerbissimè apud omnes disserendo, & Lusitanis ingentem conflãdo inuidiam, multo auctiora fore uectigalia regia, si id iter aperiretur, & aromata ab ipsis Moschouitis, qui tantam eorum uim omnibus ferculis absumerẽt, uilius emi posse perdoceret: nihil tamen quod ad eam negotiationẽ pertineret, impetrare potuit.

B quoniam Basilius homini externo ac ignoto, eas regiones quæ ad Caspium mare & Persarum regna aditum præberent, minimè aperiendas esse existimabat. Itaq; Paulus omnibus excluſus uotis, ex mercatore legatus factus, Basilij literas Leone iam uita functo, ad Hadrianum pontificem retulit, quibus ille cum multo uerborum honore egregiam uoluntatem erga Romanum Pontificem ostẽdebat. Paucis enim antè annis Basilius ardente cum Polonis bello, quum Lateranensis conuentus haberetur, per Ioannẽ Daciæ regẽ, huius Christierni, qui nuper regno expulsus est, patrem postularat, ut iter tutum legatis Moschouitis ad urbẽ Romam præberetur. Verùm quum eodem fortè die, & Ioãnes rex & Iulius Pontifex ab humanis excessissent, sublato ad id sequestro, cõsilium mittendæ legationis omisit. Exarsit subinde bellũ inter ipsum & Sigismũdũ Poloniæ regẽ: quod quũ insigni ad Borysthenem parta uictoria à Polono feliciter confectum esset, Romæ supplicationes sunt decretę, ueluti deuictis cæsis'q; Christiani nominis hostibus: quæ res & regem ipsum Basilium,

C & uniuersam gentem ab Romano Pontifice haud mediocriter alienauit. At cum hęc Hadrianus Sextus fato extinctus, Paulũ iam secundò itineri accinctum destituisset, suffectus ei Clemens VII, illum etiam tum Orientis iter insano animo uolutantem, cum literis in Moschouiam trãsmisit, quibus Basilium propẽsissimis adhortationibus inuitabat, ad agnoscendam Romanæ ecclesiæ maiestatem, feriendum'q; communibus in religione sensibus perpetuum fœdus, quod illi maximè salutare atq; honorificum fore testabatur: ita ut Põtifex polliceri uideretur, se ex sacrosancta autoritate Pontificia eum regem collatis regalibus ornamentis appellaturum, si reiectis Græcorum dogmatibus, ad autoritatem Romanæ Ecclesiæ se conferret. Cupiebat enim Basilius regij nominis titulum cõcessione Pontificia promereri, quum id dare sacrosancti iuris esse & Pontificiæ maiestatis iudicaret: quando & ipsos quoque Cæsares à Pontificibus maximis diadema aureum & sceptrũ, Romani imperij insignia, accipere inueterata consuetudine cognouisset. quanquã & id pluribus à Cę-

sare Maximiliano legationibus postulasse ferebatur. Igitur Paulus, qui A
feliciore aliquanto cursu, quàm multo cum quęstu percurrere terrarum
orbem ab incunte ætate didicerat, quanquam senex & antiqua stranguria tẽtatus, prospero celeriq; itinere Moscham peruenit, ubi à Basilio humaniter est susceptus. Fuit interea in eius aula menses duos, diffisusq; uiribus, & eius immensi itineris difficultate deterritus, quũ Indicæ negotiationis spes omnes ac inexplicabiles cogitationes penitus abiecisset, cũ Demetrio legato, priusquã eum in Moschouiam peruenisse putaremus, Romam redijt. At Pontifex magnificentissima Vaticanarum ædium parte, ubi laquearia aurata, lecti serici, aulæaq; eximij operis uisebantur, Demetrium susci pi, & togis sericis uestiri iussit: attribuitq; ei comitem, ac rerum diuinarum pariter & urbanarum monstratorem, Franciscum Cheregatum, episcopum Aprutinum, longinquis sæpe ac dignissimis legationibus functum, qui ipsi Demetrio uel in Moschouia, Pauli sermonibus erat notissimus. Porrò Demetrius ubi aliquot dierũ quiete recreatus est, detersis elotisq; sordibus, quas longo ac laborioso itinere cõtraB
xerat, assumptoq; insigni patrio habitu, ad Põtificem deductus, eum de more supplex adorauit, munusq; Zebellinarũ pellium suo, regioq; nomine obtulit. tum uerò Basilij literæ datæ, quas ipsi antea, & demum Illyricus interpres Nicolaus Siccensis in hanc sentẽtiam Latinis uerbis transtulerũt. Clementi Papæ, pastori ac doctori Romanæ ecclesię, Magnus dominus Basilius Dei gratia Imperator ac dominator totius Russię, nec nõ magnus dux Volodemariæ, Moschouię, Nouogrodiæ, Pleschouiæ, Smolenię, Ifferię, Iugorię, Peremnię, Vetchę, Bolgarię, &c. Dominator & magnus Princeps Nouogrodiæ inferioris terræ, Cernigouiæ, Razaniæ, Volotchiæ, Rezeuiæ, Belchiæ, Rostouiæ, Iaroslauiæ, Belozeriæ, Vdoriæ, Obdoriæ, Condiniæq;, &c. Misistis ad nos Paulum centurionem, ciuem Genuẽsem, cum literis, quibus nos adhortati estis, ut uobiscum, cęteris q; Christianorum principibus consilio ac uiribus coniuncti esse uellemus, aduersus Christiani nominis hostes, ac nostris uestrisq; legatis ultrò citroq; commeandi tutum ac expeditum iter patêret, ut mutuo amicitiæ officio, de amborum salute & statu rerum cognosci possit. C
Nos autẽ, Deo bene atq; feliciter adiuuãte, sicuti hactenus, aduersus impios Christianæ religionis hostes impigrè constanterq; stetimus, ita & in posterum stare decreuimus. Itemq; cum cæteris Christianis principibus consentire, & pacata itinera præstare, parati sumus. Quas ob res mittimus ad uos Demetrium Erasmium, nostrũ hominem, cum hac nostra epistola, Paulumq; centurionem remittimus. Demetrium autem celeriter remittetis, eumq; incolumem & inuiolatum usq; ad fines nostros esse iubebitis. Idem nos quoq; præstabimus, si cum Demetrio legatũ uestrum mittetis, ut sermone ac literis certiores de rebus administrandis reddamur, sic ut perspectis Christianorum omnium uoluntatibus, nos etiam optima consilia capere ualeamus. Datum in Domino nostro, in ciuitate nostra Moschouia, anno ab initio mũdi septimo millesimo, tricesimo, tertio Aprilis. Cæterùm Demetrius, uti est humanarũ rerũ & sacrarum

A crarum præſertim literarum ualde peritus, occultiora de magnis negotijs mandata habere uidetur, quæ mox eum priuatis congreſsibus expoſiturum ſperamus: nam à febre, in quam ex cœli mutatione inciderat, priſtinas uires & natiuum uultus ruborem recuperauit, ita ut pontificijs ſacris, quæ in honorem diuorum Coſmę & Damiani, ſolẽni apparatu, muſicisq; concentibus confecta ſunt, ſexagenarius ſenex, & cum uoluptate quidem aſtiterit, & in ſenatum uenerit, quũ Cãpegius Cardinalis à Pannonica legatione tum primùm rediens, à Pontifice omnibusq; aulæ ordinibus exciperetur, quin & ſacroſancta urbis tẽpla & Romanæ magnitudinis ruinas, priſcorumq; operum deploranda cadauera mirabundus inuiſerit, ita ut credamus eum propediem explicatis mandatis, cum legato pontificio, Epiſcopo Scarenſe, digniſq; acceptis à Pontifice muneribus, in Moſchouiam eſſe rediturum. Moſchouitarum nomen recẽs eſt: quanquam de Moſchis Sarmatarum affinibus Lucanus meminerit, & Plinius Moſchos ad Phaſidis fontes ſupra Euxinum ad Oriẽtem cõſti-

B tuat. Eorum regio latiſsimos habet fines, & ab aris Alexandri magni circa Tanais fontes ad extrema terrarum, Borealemq; Oceanum, ſub ipſis ferè Septentrionibus extenditur: campeſtris magna ex parte, & pabuli quidem ferax, ſed æſtate pluribus in locis admodum paluſtris. nã ea omnis terra magnis frequentibusq; amnib. irrigatur, qui ubi niuibus hybernis multo ſolis uapore colliquatis, & reſoluta ubiq; glacie cõtumeſcunt, campi paſsim in paludes abeunt, cũctaq; itinera continentibus aquis & cœnoſa illuuie defœdantur, donec nouæ hyemis beneficio reſtagnantia flumina, ipſæq; paludes iterum cogantur, & uias ſolidiſsimo conſtratas gelu, uel tranſituris curribus prębeant. Hercynia ſylua quotam Moſcho uiæ partem occupat, ipſaq; paſsim poſitis ubiq; ędificijs incolitur. iamq; longo labore hominum rarior facta, non eam, ſicuti pleriq; exiſtimant, horridam denſiſsimorum nemorum impenetrabilium q; ſaltuum faciem oſtendit. Cæterùm ea immanibus feris pleniſsima, per Moſchouiã perpetuo tractu inter ortum ſolis, & Boream, ad Scythicum Oceanũ excur-

C rere traditur: ita ut ſpes hominum eius finem curioſè ſcrutãtium infinita magnitudine ſua ſemper eluſerit. ea in parte quæ uergit ad Pruſsiam, uri ingentes & ferociſsimi taurorum ſpecie reperiuntur, quos Biſontes uocãt: itemq; Alces ceruina effigie, & cum carnea proboſcide, altisq; cruribus, & nullo ſuffraginum flexu: Lozzi à Moſchouitis, à Germanis uerò Helenes appellati, quæ animalia C. Cęſari nota fuiſſe uidemus. Prętereà urſi inuſitatæ magnitudinis, & prægrandes lupi, atro colore formidabiles. Ab ortu Moſchouia finitimos habet Scythas, qui Tartari hodie nuncupantur, gentem uagam, & bello omnibus ſeculis illuſtrem. Tartaris pro domibus ſunt carri, centonibus coriijsq; contecti: ab quo uitæ genere Hamaxouios antiquitas eos appellauit. Pro urbibus uerò, ac oppidis immẽſa caſtra, non foſsis, aut materiæ clauſtris, ſed infinita ſagittariorum equitum multitudine uallata. Diuiduntur Tartari per Hordas: ea eſt eorum lingua, conſentientis in unum populi cõgregatio, ad effigiem ciuitatis. Hordis ſinguli præſunt Imperatores, quos genus, aut bellica

uirtus dedit. ſæpe enim cũ finitimis bella gerũt, ac ambitioſè admodum A
& atrociter de imperio decertant. Hordarum infinitũ propè numerum eſſe cõſtat: quippe Tartari ad Cathayum uſq; celeberrimam in extremo ad orientem Oceano ciuitatem, latiſsimas ſolitudines tenent. Porrò qui proximi ſunt Moſchouitis, mercaturæ cõmercio & frequẽtibus eorũ irruptionibus ſunt noti. In Europa ad Dromon Achillis Taurica in Cherſoneſo ſunt Præcopitę, quorum Principis filiam Selymus Turcarum Imperator uxorem duxit. Ii Polonis maximè ſunt infeſti, lateq; inter Boryſthenẽ & Tanaim cuncta populantur: & cum Turcis ſicuti religione, ita & cęteris in rebus mirificè conſentiunt: qui in eadem Taurcia Caffam Ligurum coloniam obtinent, Theodoſiã antiquitùs appellatã. Ii uerò Tartari, qui inter Tanaim & Volgam amnẽ in Aſia latos cãpos inhabitant, Baſilio Moſchouitarum regi parent, & Imperatorẽ aliquando eius iudicio deligunt. Inter eos Cremij, inteſtinis ſeditionibus laborantes, quum antea opibus & belli gloria maximè ualuiſſent, paucis antè annis uires ſimul ac omnem dignitatem amiſerunt. Trans Volgam, Caſanij Moſcho B
uitarum amicitiam religioſè colunt, ac eorum ſe clientes eſſe profitentur. Vltra Caſanios ad Boream ſunt Sciabani, multitudine armentorum ac hominum potentes. Poſt eos ſunt Nogai, qui ſummam hodie opum & bellicę laudis obtinent autoritatem. Eorũ Horda quàm ampliſsima nullũ habet Imperatorẽ, ſed Reipublicę Venetæ more multa ſeniorum prudentia, ſtrenuorumq; uirtute gubernatur. Vltra Nogaios, haud magno ad meridiem deflexu, uerſus Hyrcanum mare, Zagathai Tartarorum nobiliſsimi, oppida lapide conſtructa incolunt, regiamq; habẽt Samarcandam urbem, eximiæ magnitudinis & claritatis: quam Iaxartes, maximus Sogdianæ amnis interfluit, atq; inde ad cẽtum miliaria in mare Caſpium effunditur. Cum iis populis ætate noſtra Hiſmael Sophus, rex Perſarum, dubio ſæpe euentu bella geſsit: timoreq; eorũ adductus, dum uires omnes imminentibus opponuntur, Selymo una acie uictori Armeniam, Tauriſiumq; regni caput prædæ reliquit. Samarcanda urbe ortus eſt Tamburlanes, ſiue ut Demetrius dicendum monet, Themircuth- C
lu, qui Baiazetem Ottomanum, huius Solimani tritauũ, apud Ancyram Galatiæ urbem ingenti prælio ſuperatum cæpit, & per omnem Aſiam ab ſe terribili, maximi exercitus impetu deuictã, ferrea incluſum cauea, in triumphi pompa circumduxit. Ab hac regione ad Moſchouitas plurima ueſtis ſerica adducitur. Cęterùm mediterranei Tartari nihil præter equorum pernicium greges, & nobiles nulla filorũ textura, ſed coactis ex lanis, candidos centones præbent: è quibus Feltriæ ueſtes penulæ, ad perferendum omnem imbrium iniuriam idoneæ, atq; pulcherrimæ conficiuntur. à Moſchouitis autem laneas tunicas & argenteam monetam petunt, quum ab iis omnis corporis cultus, ſuperfluæq; ſupellectilis apparatus contẽnatur: ſolo etenim centone ad irati cœli cõtumeliã fortiter ſuſtinendam contenti ſunt, & ſolis confiſi ſagittis hoſtem arcent: quanquã dum in Europã excurrendũ eſſe decreuiſſent, principes eorũ ferreas galeas & loricas, gladioſq; falcatos, à Perſis noſtra tẽpeſtate coemerint.

A meri-

A A' meridie Moſchouitarum fines ijſdem ab Tartaris clauduntur, qui ſupra Mæotim paludem in Aſia, & circa fluuios Boryſthenem & Tanaim in parte Europę, planiciem ad Hercyniam uergẽtem tenent. Roxolani, Getæ & Baſtarnæ, antiquitùs eam plagam incoluere, unde Ruſsiæ nomen effluxiſſe crediderim. nam Lithuaniæ partem, Ruſsiam appellãt inferiorem: quum ipſa Moſchouia, Ruſsia alba nuncupetur. Lithuania itaq; ab Cori uenti flatibus Moſchouiam ſpectat: ab occaſu uerò, mediterranea Pruſsiæ atq; Liuoniæ ipſis Moſchouiæ finibus inſeruntur, ubi mare Sarmaticum ab Cymbricæ Cherſoneſi anguſtijs irrumpẽs, lunato ſinu ad Aquilonem inflectitur. In extremo uerò eius Oceani littore, ubi Norbegia atq; Suetia, ampliſsima regna, Iſthmo ueluti quodã continẽti adhærent, Lapones exiſtunt, gẽs ſupraquàm credibile ſit, agreſtis, ſuſpicioſa, & ad omne externi hominis ueſtigium, nauigijſq; conſpectũ, maximè fugax. Ea neq; fruges, neq; poma, neq; ullam omnino uel terræ, uel cœli benignitatem nouit: ſola ſagittandi peritia cibum parat, uarijſq; fe-
B rarum tergoribus ueſtitur. Gentis cubilia, cauernulæ ſiccatis repletæ foliijs, cauiſq; arborum ſtipites, quos uel intromiſſa flãma, uel ipſa uetuſtas, inducta carie fabricarit. Aliqui ad mare, ubi ingẽs eſt captura piſciũ, ineptis, ſed felicibus artificibus piſcantur, duratoſq; fumo piſces tanq; ſuas fruges recondunt. Laponibus exigua corporum ſtatura, luridi cõtuſiq; uultus, pedes uerò uelociſsimi. Ingenia eorũ ne ipſi quidẽ proximi Moſchouitæ nouerunt, quum eos parua manu aggredi, exitialis inſaniæ eſſe dicant: magnis uerò copijs inopẽ rerum omniũ uitam ducẽtes laceſsiſſe, neq; utile, neq; omnino glorioſum unq; exiſtimarint. Ii cãdidiſsimas pelles, quas armelinas uocamus, cũ uarij generis mercimonijs permutãt: ſic tamen, ut omne mercatorum colloquium cõſpectum q; defugiant, adeò ut mutua rerũ uenalium collatione facta, & relictis medio in loco pellibus, cum abſentibus & ignotis, ſynceriſsima fide permutationes tranſigantur. Vltra Lapones in regione inter Corum & Aquilonẽ, perpetua oppreſſa caligine, Pygmæos reperiri, aliqui eximiæ fidei teſtes retulerũt: Pygm
C qui poſtquam ad ſummũ adoleuerint, noſtratis pueri denũm annorum menſurã uix excedãt: meticuloſum genus hominũ, & garritu ſermonem exprimens, adeò ut tam ſimiæ propinqui, quàm ſtatura ac ſenſibus ab iuſtæ proceritatis homine remoti uideãtur. Ab Aquilone uerò innumerabiles populi Moſchouitarũ imperio parẽt, qui ad Oceanũ Scythicũ, itinere triũ ferè menſium extenduntur. Proxima Moſchouię regio eſt Colmogora frugib. abundãs, quã interluit Diuidna, fluuiorũ totius Septẽtrionis longè ampliſsimus, qui alteri fluuio minori in mare Baltheũ erumpẽti, nomẽ dedit. Is ſtatis & Niloticis ſimilib. incremẽtis, nec incertis anni temporibus circuniectos inundat campos, pinguiq; alluuie, algentis cœli iniurijs, ſæuiſq; Aquilonis flatibus mirificè reſiſtit: quum niuibus imbribuſq; auctus inflatur, adeò lato alueo in Oceanum per incognitas gentes in ſpeciem ingẽtis pelagi defertur, ut expedito nauigio unius diei remigatione trãſire nequeat. ubi uerò aquę mox reſederũt, uaſtæ paſsim inſulę fertilitate nobiles relinquũtur. Frumentũ nãq; terrę traditũ, nullo

aratri beneficio prouenit, admirabilíq; celeritate naturæ festinãtis, ac no A
uam superbi amnis iniuriã timentis, oritur simul, & adolescit, atq; in aristas educitur. In Diuidnam influit luga amnis: in ipsóq; confluentiũ angulo celebre est emporiũ, nomine Vstiuga, à Moscha regia urbe sexcẽtis miliaribus distans. In Vstiugam à Permijs, Pecerris, Inugris, Vgulicis, Pinnagisq; ulterioribus populis, preciosæ pelles martarum, zebellinorumq;, luporum ceruariorum, & nigrarum albarumq; uulpium cõportantur, & ab ijs uario mercimonij genere permutãtur. Zebellinos uerò, leuium pilorum tenui canicie probatissimos, quibus nunc principum uestis fulcitur, & delicata matronarum colla, expressa uiuę animãtis effigie, conteguntur, Permij & Pecerri præbent: sed quos ipsi ab remotioribus etiam gentibus, quæ ad Oceanũ pertinent, per manus traditos accipiãt. Permij & Pecerri paulo ante ætatem nostram more gentilium idolis sacrificabant: nunc uerò Deum Christum colũt. Ad Inugros, Vgolicosq;, per asperos montes peruenitur, qui fortasse Hyperborei antiquitùs fuerunt. In eorum iugis nobilissimi falcones capiuntur. ex ijs genus unum B
est candidum, guttatis pennis, quod Herodium dicunt. Sunt & hierofalchi, ardearum hostes, & sacri, & peregrini, quos antiquorũ principum luxus in aucupijs non agnouit. Vltra eos, quos modò nominaui, populos, Moschouitis regibus tributa pendentes, aliæ sunt nationes extremę hominum, nulla certa Moschouitarum peregrinatione cognitæ: quando nemo ad Oceanum peruenerit: sed fama tantum, ac ipsis plerunq; fabulosis mercatorum narrationibus auditæ. Satis tamen constat, Diuidnam innumerabiles trahentẽ amnes, ingenti cursu ad Aquilonem deferri, mareq; ibi esse longè uastissimum, ita ut illinc ad Cathayum legẽdo oram dextri littoris, nisi terra interfit, nauibus perueniri posse, certissima coniectura credendum sit. Pertinẽt enim Cathayni ad extremam Orientis plagam, ad Thraciæ fermè parallelũ, Lusitanis in India cogniti, quum proximè ad coemenda aromata per regionem Sinarum, Melacham usq; ad auream Chersonesum nauigarint, ueste sq; ex zebellinis pellibus attulerint: quo uel uno argumẽto, non longè ab Scythicis littoribus Cathay- C
um urbem abesse putamus. Cæterùm cum à Demetrio quæreremus, an apud ipsos ulla de Gotthis populis uel fama per manus à maiorib. tradita, uel ex ipsis literarũ monumẽtis memoria supereesset, qui ante mille annos & Cæsarũ imperium, & urbẽ Romã omnib. iniurijs deformatã euertissent: respõdebat, & Gotthicæ gentis, & Totilæ regis nomen clarũ esse atq; illustre, in eãq; expeditionem coiuisse plures populos, & ante alios, Moschouitas: creuisseq; eũ exercitũ ex colluuie Liuoniorũ & Circũuolganorum Tartarorum: sed propterea omnes Gotthos fuisse appellatos, quoniam Gotthi, qui insulam Islandiã siue Scãdauiam incolerent, autores eius expeditionis extitissent. Iis maximè finibus Moschouitæ ex omni parte claudũtur, quos Modocas Ptolemæo fuisse credimus: hodie aũt à Moscho amne haud dubiè sic dicti, qui & regiæ urbi, quam interfluit, suũ quoq; nomẽ indiderit. Ea est omniũ Moschouiæ urbiũ longè clarissima, tũ situ ipso, qui regionis medius esse existimat, tũ insigni fluminum

opportuni-

A opportunitate, domorumq; frequẽtia, & munitissimæ arcis celebritate. Oblongo etenim ædificiorum tractu, secundum Mosci fluminis ripã ad spacium quinq; miliarium extenditur. domus in uniuersum sunt ligneę, distinctæ in triclinia, coquinas, & cubilia, capacitate amplæ, nec structuris enormes, aut nimium depressæ: trabes enim ingẽtis magnitudinis ab Hercynia sylua supportãtur, quibus ad rubricę lineam delibratis, & contrario ordine inter se ad rectos angulos coniunctis & confibulatis, exteriora domorum septa singulari firmitate, nec multa impensa, & summa celeritate constituũtur. Domus fermè omnes, & ad usum olerum, & ad uoluptatem priuatos habent hortos, unde raræ urbis circuitus lõgè maximus apparet. Singulæ regiones singula habent sacella: sed cõspicuo in loco templum est deiparæ Virgini dicatum, celebri structura atq; amplitudine, quod Aristoteles Bononiensis mirabilium rerum artifex, & machinator insignis, ante sexaginta annos extruxit. ad ipsum urbis caput, Neglina fluuiolus, qui frumẽtarias agit molas, Moschum amnem ingre-

B ditur, peninsulamq; efficit: in cuius extremitate arx ipsa cum turribus ac propugnaculis, admirabili pulchritudine Italorum architectorum ingenio cõstructa est. In subiectis urbi campis capreolorum & leporũ incredibilis multitudo reperit: quos nemini plagis & canibus sectari licet, nisi Princeps id ad uoluptatẽ intimis familiaribus, uel peregrinis legatis indulserit. Tres fermè urbis partes duobus alluuntur fluminibus: reliqua uerò, latissima fossa, atq; ea multa aqua ex ipsis amnib. corriuata præcingitur. Vrbs etiam ab aduerso latere alio flumine quod Iausa dicitur, munita est: id pariter in Moschum paulo infra urbem euoluitur. Porrò Moschus ad meridiem excurrẽs, in Ocham amnem multo maiorẽ apud oppidum Colũnam sese effundit: nec magno inde itineris spacio Ocha ipse, & suis & alienis undis magnus & tumẽs, exoneratur in Volgam, ubi ad confluentes situm est oppidum Nouogrodia minor, de nomine maioris urbis, ex qua deducta est ea colonia, nũcupatum. Oritur Volga, qui antiquitùs Rha fuit, è magnis uastisq; paludib. qui Candidi lacus appellan-

C tur. Sunt eæ supra Moschã inter Aquilonem & Corũ, emittuntq; cunctos fermè amnes, qui diuersas in regiones diffunduntur, uti de Alpibus uidemus: è quorum iugis ac fontibus Rhenum, Padum ac Rhodanum, innumerabilesq; minores fluuios manare compertum est. Siquidem eæ paludes pro montibus perenni scaturigine, humorem affatim præbent, quũ nulli omnino montes in ea regione multa etiã hominũ peregrinatione reperiãtur: ita ut Ryphæos montes & Hyperboreos toties ab antiquis celebratos, plericq; Cosmographię ueteris studiosi penitus fabulosos esse arbitrentur. Ex ijs itaq; paludib. Diuidna, Ocha, Moschus, Volga, Tanais atq; Borysthenes oriunt. Volgã Tartari Edilũ, Tanaim uerò Don appellãt: ipse Borysthenes Neper hodie nũcupatur. hic paulò infra Tauricam in pontum Euxinum decurrit. Tanais aũt à Męoti palude, ubi Azoum est, nobile emporiũ, excipitur. Volga uerò ad meridiem Moschã urbem relinquens, uasto circuitu ingentibusq; mæãdris primò ad Orientẽ, mox in Occasum, ac demũ ad Austrum magna aquarũ mole

præcipita-

prȩcipitatus, in Hyrcanum mare deuoluitur. Supra eius oſtium urbs eſt A
Tartarorum, nomine Cytrachã, ubi à Medis, Armenijs'q; & Perſis mer
catoribus nundinæ celebrantur. In ulteriore Volgæ ripa Tartarorum
oppidum eſt Caſanum, à quo Caſaniorum Horda nomen ducit: diſtat à
Volgæ oſtio, Caſpio'q; mari quingentis millibus paſſuum. Supra Caſa-
num autem centeſimo & quinquageſimo miliari ad ingreſſum amnis Su
ræ, Baſilius qui nunc regnat, Surcicum oppidum condidit, ut in ea ſolitu
dine mercatoribus ac uiatoribus, qui de rebus Tartaricis ac eius inquie-
tȩ gentis motibus proximos finium Præfectos certiores reddunt, certa
& tuta manſio cum tabernis hoſpitalibus ſtatueretur. Moſchouitarum
Imperatores uarijs temporibus, uti ex uſu præſentium rerum fuit, uel li-
bido, noua ac obſcura loca nobilitandi longius pertraxit, apud diuerſas
urbes imperij atque aulæ ſedem habuere. Siquidem Nouogardia, quæ
Caurum & ſolem ferè occidentem ſpectat, uerſus Liuonium mare non
multis antè annis totius Moſchouiȩ caput fuit, ſummam'q; ſemper obti-
nuit dignitatem, propter incredibilẽ ædificiorum numerum, latiſsimi'q; B
& piſcoſi lacus opportunitatem, & uetuſtiſsimi ac uenerabilis templi fa-
mam: quod ante quadringentos annos Byzantiorum Cæſarum æmu-
latione, ſanctæ Sophiæ Dei filio Chriſto dicatum fuit. Nouogardia per-
petua quaſi hyeme & tenebris longiſsimarum noctium premitur. nam
polum Arcticum ab Orizonte ſexagintaquatuor gradus eleuatum ui-
det: ſex ferè gradibus ipſa Moſcha ab æquatore remotior, qua cœli rati-
one ſolſtitij tempore propter exiguas noctes continuatis ferè ſolis ardo-
ribus æſtuare perhibetur. Vrbs quoque Volodemaria regiæ nomen a-
depta eſt, quæ ad ortum ſolis ducentis amplius miliaribus à Moſcha di-
ſtat: eo'q; ſedẽ Imperij ab ſtrenuis Imperatoribus neceſſaria ratione trã-
latam ferunt, ut ex propinquo, quum tum bella continenter cum finiti-
mis gererentur, paratiora prȩſidia aduerſus Scytharum irruptiones op-
ponerent. eſt enim citra Volgam in ripis Cleſmæ amnis ſita, qui in Vol-
gam euoluitur. Cæterùm Moſcha, uel ob eas, quas diximus, dotes, Re-
giȩ nomine digniſsima iudicatur: quoniã medio quodam totius frequen C
tioris regionis ac Imperij loco ſapientiſsimè conſtituta, munita'q; arce &
fluminibus, conſenſu omnium, præcellentiȩ meritam laudẽ, honorem'q;
nulla ætate defuturũ ſibi uendicaſſe cæterarum urbium collatione uide-
atur. Diſtat Moſcha ab urbe Nouogrodia quingẽtis millibus paſſuum,
medio'q; fermè itinere Ottoferia Volgæ amni impoſita occurrit. Is am-
nis, uti fonti proximus, nondum receptis tot amnibus, exiguus leni's'q;
permeat. inde per nemora & campeſtres ſolitudines Nouogrodiã per-
uenitur. Porrò à Nouogrodia ad Rigã proximũ Sarmatici littoris por
tum, paulominus quingentorum miliarium iter eſt. Is'q; tractus ſuperi-
ore commodior putatur, quum frequentes habeat uicos, urbem'q; Ple-
ſchouiam uiæ impoſitam, quã duo amnes cõplectũtur. Ab Riga aũt, quȩ
magni magiſtri militiæ Liuoniorum ditionis eſt, ad Lubeccã Germaniæ
portũ in ſinu Cymbricæ Cherſoneſi miliaria paulo plus mille periculoſȩ
nauigationis numerantur. Ab urbe Roma uerò Moſchã duobus milibus
& ſex-

A & sexcentis miliaribus distare compertum est, breuissimo scilicet itinere euntibus per Rhauēnam, Taruisium, Carnicas alpes, Villacumq; Noricum, & Viennam Pannonicam, atq; inde superato Danubio, per Olmutium Morauorum usq; ad Cracouiam Poloniæ regiam, mille & centum miliaria existunt. Ab ipsa uerò Cracouia ad Vilnam Lithvuaniæ caput, quingenta: & totidem ab ea urbe ad Smolenchum ultra Borysthenem situm, & à Smolencho ad Moscham sexcenta computantur. uerùm id iter, quod est à Vilna per Smolenchum ad Moscham, hyeme per niues longo cōcretas gelu, lubricamq;, sed multo attritu solidatā glaciem expeditis in curribus incredibili celeritate conficitur: æstate uerò nisi difficili laborioso q; itinere campestria superare nequeunt. nam ubi niues perpetuis solibus dissolui eliquariq; cœperint, in paludes cœnosasq; uoragines abeūt, uiris pariter & equis inextricabiles, nisi ligneis pontibus infinito propè labore consternantur. Terra Moschouia in uniuersum neq; uitem, neq; oleam neq; paulo suauioris pomi frugiferam arborem,
B præter melopepones & cerasa producit: quum teneriora quæq; gelidissimis Boreæ flatibus exurantur. campi tamen tritici, siliginis, milij, paniciq; & omnis generis leguminum segetes ferunt. sed certissima messis in cera & melle consistit. Regio enim tota fœcundissimis apibus plena est, quæ non in manufactis agrestium aluearibus, sed in ipsis arborum cauis probatissima mella conficiunt. hinc per syluas, & opacissimos saltus, frequentia ac nobilia apum examina ramis arborum pendentia uidere est, quæ nullo æris crepitu colligere sit necesse. Reperiuntur sæpe fauorum ingentes massæ arboribus conditæ, uetera'que mella deserta ab apibus, quum singulas arbores, in uastis nemoribus rari aggrestes minimè perscrutētur: ita ut in admirādę crassitudinis arborū stipitibus permagnos mellis lacus aliquando reperiant. Retulit & cum multo omniū risu Demetrius legatus, ut est ingenio comi & faceto, proximis annis uiciniæ suæ agricolam, quærendi mellis causa in prægrandem cauam arborem supernè desilijsse, eūq; profundo mellis gurgite pectore tenus fuisse hau-
C stum, ac biduo uitam solo melle sustinuisse, quum uox opem implorantis in ea syluarum solitudine, ad uiatorum aures penetrare nequiuisset: ad extremum uerò desperata salute, mirabili casu, ingētis ursæ beneficio inde extractum euasisse, quum fortè eius beluæ ad edēda mella more humano se demittentis, auersos renes manibus comprehendisset, & eam subito timore exterritam ad exiliendum tum tractatu ipso, tum multo clamore concitasset. Nobile quoq; linum, & cannabum in restes, multaq; item boum tergora, & massas ceræ ingentes, Moschouitę in omnem Europæ partem mittūt. Nulla auri argenti'ue, uel ignobilioris metalli, ferro excepto, apud eos uena, sectura'ue reperitur: nullumq; est tota regione, uel gemmarum uel precioſi lapilli uestigium. ea omnia ab externis populis petunt. naturæ tamen iniuria, quæ tot bona prorsus inuiderit, uno pellium nobilissimarum mercimonio resarcitur, quarum precium increbili hominū cupiditate & luxu adeò creuit, ut in singulas uestes suffulturæ, millenis aureis nūmis ueneant. Fuit aūt tēpus, quo hæc uilius emebantur:

bãtur: quum remotíſsimæ Septentrionis nationes politioris cultus, no- A
ſtræq; adeò anhelantis luxuriæ penitus ignaræ, ſumma ſimplicitate, eas
uilibus ac ridiculis ſæpe rebus permutarent: ita ut uulgò Permñ, atq; Pe
cerri, tantum pellium Zebellinarum pro ferrea ſecuri rependerẽt, quan-
tum earum ſimul cõnexarum ipſo ſecuris foramine, quo manubrium in-
duitur, Moſchouitæ mercatores extrahere poterant. Ante quingentos
annos Moſchouitæ gentilium deos coluere, Iouem ſcilicet, Martem &
Saturnum, & pleroſq; alios, quos ſibi inſano errore hominibus ex indu-
ſtrijs, aut regibus antiquitas finxit. Tũc uerò primùm Chriſtianis ſacris
initiati, quum Græci antiſtites haud ſatis cõſtantibus ingenijs à Latino-
rum eccleſia diſſentire cœperunt: factumq; eſt, ut Moſcouitæ eos religi-
onis ritus, quos à Græcis doctoribus accepiſſent, ñiſdem ſenſibus, & ſin-
ceriſsima quidem fide ſequerẽtur. Spiritum enim ſanctũ, tertiam in diui-
na Trinitate perſonam, à patre Deo ſolum produci perſuaſum habent:
quũ rectiſsima ueritate à patre ſimul Chriſtoq; filio proficiſci credẽdum
ſit, uerùm ea controuerſia apud conuentum Florentinũ, præſidente Eu B
genio quarto Põtifice, magna partiũ cõtentione agitata, eũ exitũ habuit,
ut pertinacia Græcorum in ſermone potius quàm in ſenſu caſtigãda ui-
deretur: quũ Græci antiſtites euidentiſsimis conuicti rationib. ſpiritum
ſanctum à patre per filium produci faterentur. Sacramentũ quoq; nõ ex
azymo, uti iure debemus, ſed ex fermentato pane conficiunt: idq; ſub u-
traq; ſpecie, ſicuti ſoli apud nos ſacerdotes, panis ſcilicet, diuiniq; ſangui
nis, ab eorũ presbyteris uniuerſo populo cõmunicatur: quo maximo er-
rore imbuti Bohemi, paulo ante patrũ noſtrorũ memoriã à Latinorum
eccleſia deſciuerunt. Cæterùm quod ualde alienum à Chriſtiana religio-
ne eſſe uidemus, nullis ſacerdotum ſuffragijs, nullaq; propinquorũ, aut
amicorum pietate iuuari mortuorum manes arbitrantur: fabuloſumq;
eſſe purgatorij locum putant, è quo tandem piorum animæ, cùm diutur
na ignis pœna, tum multis parẽtationibus, indulgentiaq; ſummorũ pon
tificum expiatæ, immortalium fœlicitatem beata in cœli ſede conſequan
tur. Cæteris in rebus eaſdem ferè ceremonias tenent, quæ à Græcis uſur C
patæ ſunt, Romanamq; eccleſiam cæterarum omnium principatum ob-
tinere, ſuperbè & peruicaciter negãt. ſed ante alia, Iudæorum genus, uel
memoria quidem horrẽt, nec eos intra fines admittunt, ueluti peſsimos
atq; maleficos homines: qui etiam nouiſsimè Turcas ęnea tormenta con
flare docuerint. Chriſti uitæ miraculorumq; omnium hiſtoria ab Euan
geliſtis quatuor conſcripta, itemq; Pauli epiſtolæ, dum ſacra fiunt, è ſug
geſtu clariore uoce recitantur, probataq; uitæ ſacerdotes homelias Ec-
cleſiæ doctorum publicè legunt, etiã ijs horis, quibus ſacra minimè con
ficiũtur. non enim Oratores cucullatos, qui aduocato populo concionа-
ri, & ambitioſè nimis atq; ſubtiliter de diuinis diſſerere ſoliti ſunt, admit
tere fas putãt: q̃niã rudes imperitorum animos ſimplici potius doctrina,
quàm altiſsimis arcanorũ interpretationib. ad ſanctiorẽ morũ frugem e-
uadere, uiri ſolidę religionis arbitrant. Hos, quos modò diximus, ſacros
libros, itẽq; noui ac ueteris inſtrumenti enarratores, præterea Ambro-
ſium, Au-

A sium, Augustinũ, Hieronymũ atq; Gregoriũ, in linguã Illyricã traductos habent, religioseq; custodiunt. Antistites, Principesq; minorum sacerdotũ singulis urbibus pagisq; prefecti sacra curant, controuersias dirimunt, & moribus deprauatos summa quadã uindicãdi potestate persequũtur. Regem sacrorum, quem ipsi Metropolitã uocant, à Cõstantinopolitano Patriarcha petunt: Archimandritę autem & Episcopi, coniectis in urnam meliorum nominibus, sorte ducunt. Eorum uerò hominum qui humanis cupiditatibus ultro renunciarunt, diuinarumq; rerũ contemplationi & sacrorum ministerio sese dedicarunt, duplex est genus. utrunq; cœnobia incolit: sed alterũ est uagũ, & paulo solutioris uitæ, sicuti apud nos diuorũ Franciſci atq; Dominici sectã profitẽtes: alterũ constat ex sanctioribus monachis, quorũ ordinẽ diuus Basilius instituit: ijs ne limine quidem uel in suprema uitæ necessitate, pedẽ efferre fas est. Procul em̃ ab oculis profanorũ singulari duritie uitã in occultioribus adytis degunt, summamq; subactę carnis & cõfirmati in religione animi opinionẽ prębent. Vniuer-

B sus populus quater in anno, & pluribus semper diebus ieiunare cõsueuit, abstinetq; ab esu carniũ, ouorum, & lactis. In uere primùm, more Latino, post diem Cinerũ: mox adulta æstate, in honorem diuorũ Petri & Pauli: & initio autumni demũ, cũ assumptæ in cœlũ Marię uirginis memoriã celebramus: postremò sub ipsam hyemẽ, cũ aduentus Domini pronunciat. Per hebdomadã uerò, diem Mercurij sine carnibus, diem autem Veneris sine ouis lacteq; traducunt: sed Saturni dies mensa omnibus obsonijs opi parè referta, hilariter excolit. Cæterũ secus ac nos solemus, nullas festorũ dierũ uigilias obseruãt. Religiosissimè tẽpla uenerantur, adeò ut ea neq; uiros neq; fœminas uenereis pollutos cõplexibus intrare fas sit, nisi prius priuatis balneis abluãtur. Sæpeq; accidit, ut complures utriusq; sexus sacra audientes, extra limen cõsistant, & propterea à petulcis iuuenibus recentis incontinentię notati, facietis aliquando nutibus salutentur. In ipso natali die Ioannis Baptistę, & in Paschate, trium Magorum, presbyteri sacratos panes paruos toti populo largiuntur, quorum esu febribus conflictatos alleuari existimant. Alia quoque sacra, certo anni tempore apud

C flumina gelu concreta celebrantur. In ripa tabernaculum constituunt, & aduocata nobilitate hymnos numeroso cõcentu pronũciant, sacręq; lymphę multa aspergine profluentẽ purificant, & solenni ceremonia stratum & consecratum circũcisa & reuulsa glacie protinus aperiũt. Iis rebus ritè confectis, si qui adsunt languentes uel morbosi, in flumen desiliunt, & sacris aquis abluuntur, quum ob id elui morborum sordes persuasum habeant. Defuncti, uti apud nos, mediocri funeris pompa comitantib. presbyteris efferuntur, capite mappa uelato: cæterũ non in templis, uti apud nos impia propè, uel abominabili certè corruptela usurpatum est, sed in septis ac exterioribus templorũ uestibulis sepulturę tradũtur, ijsq; more nostro quadragenis diebus parentant: quod certè mirũ uidetur, quum in purgatorio loco expiari animas, & criminũ pœnam ullis amicorũ supplicijs, ulloq; pietatis officio mitigari penitus negent. In cæteris, eadem quæ à nobis de religione sentiuntur, cõstantissimè credunt. Moschouitę

Illyrica lingua, Illyricisq; literis utunt, sicuti & Sclaui, Dalmatæ, Bohemi, A
Poloni, & Lituani. Ea lingua omniũ longè latissima esse perhibetur. nam Constantinopoli Ottomanorum in aula familiaris est, & nuper in Aegypto apud Memphiticum Sulthanũ & equites Mamaluchos haud ingratis auribus audiebatur. In hanc linguam ingens multitudo sacrorũ librorum, industria maximè diui Hieronymi & Cyrilli, translata est. Præterquoq; patrios annales, Alexandri etiam Magni, Romanorũq; Cæsarum, itemq; M. Antonij & Cleopatræ memoriam ijsdem literis commendatam tenent. Philosophiam uerò, & sideralem scientiam, cæterasq; disciplinas & rationalem medicinã nunquam attigêre, ijq; pro medicis se gerunt, qui alicuius paulo ignotioris herbæ uires, se pluries obseruasse profitentur. Anni apud eos nõ à natali Christi, sed ab ipso mundi initio numerantur, qui non à mense Ianuario, sed à Septembri incipiunt. Leges toto regno habent simplices, summa Principum & iustissimorũ hominum æquitate conditas: & propterea populis ualde salutares, quoniã eas ullis causidicorum cauillationibus interpretari atq; peruertere non licet. De furi- B
bus, sicarijs & latronibus suppliciũ sumunt. Quum de maleficijs quęstionem habent, reos multa gelida aqua supernè demissa perfundunt, quod intolerandũ tormenti genus esse perhibent. Nonnunquam obduratis & contumacibus, ut confessio criminis exprimatur, ligneis cuneolis digitorum ungues conuelluntur. Iuuentus omnis uarijs ludis, sed militiæ proximis sese exercet: in stadio cursu contendit, in palæstra colluctatur, pernicitati equorũ studet: omnibusq; præmia, & pręsertim sagittariorũ peritiss. proponunt. In uniuersum Moschouitę statura sunt mediocri, sed quadrata, & ualde torosa: cęsij omnibus oculi, prolixę barbę, crura breuia, & uentres extenti. equitant cõtractis admodũ cruribus: et peritissimè, uel auersi & fugientes, sagittas emittunt. Domi opiparè potius quàm lautè uiuunt. nanq; omnium fermè cibariorũ quæ uel à luxuriosissimis desiderari possunt, mensæ eorum, & paruo quidem precio passim instruuntur. Gallinę siquidẽ, & anates, singulis sępe argẽteolis tenuib. nummis ueneunt. maioris minorisq; pecoris incredibilis est copia: & occisę media hyeme iuuen- C
cę, cõcretis gelu carnibus duorũ ferè mensiũ spacio nõ putrescunt. Venatione & aucupio, uti apud nos, nobiliora obsonia parantur. nam uenaticis canibus, & plagis omnis generis feras capiunt: & asturibus, atq; falconibus, quos mirificos regio Pecerra præbet, non modò phasianos, & anates, sed cycnos & grues consectantur. Astures ex genere infimo aquilarum, uel miluorum, falcones uerò accipitrum nobile genus antiquis fuisse putamus. Capit quoq; auis subnigra, puniceis supercilijs, magnitudine anseris, quę pulparũ sapore phasianorũ superat dignitatẽ: Moschouitica lingua Tether nuncupata, quæ Plinio Erythratao uocatur, Alpinis populis cognita, & maximè Rhetis, qui saltus ad Abduæ amnis fontes incolunt. Ingentes etiã sapidissimosq; pisces, & ante alios Sturiones, quos Siluros antiquitùs fuisse putamus, Volga præbet: & ij quidẽ hyeme multa inclusi glacie, recentes pluribus diebus asseruantur. Aliorum uerò piscium multitudinẽ fermè incredibilẽ, ex candidis, quos diximus, lacub. ex

piscantur.

A piſcãtur. Vino natiuo quũ penitus careant, aduecticio uti ſolent: ſed in feſtis cõuiuijs tantũ, & ſacrificijs. Ante alia Creticũ ſubdulce maximo in honore habetur, ſed in uſum medicinę tantũ, uel principalis luxurię oſtẽtationem: quũ miraculi loco ſit, eductũ Creta per Gaditanas fauces, & tantis cõcluſi maris Oceaníq; fluctibus agitatum, incorrupta ſuauitatis ac odoris dignitate, inter Scythicas niues, ebibiſſe. Populus uerò medonẽ bibit, ex meile lupuliſq; decoctũ, quod picatis in cadis ueteraſcit, & ex antiquitate nobilitatẽ adſequit. In uſu quoq; ſunt birra atq; ceruiſia, ſicuti apud Germanos Polonoſq; uidemus, quæ ex tritico, zeaq; uel ordeo decoctis, omni cõuiuio circũferuntur. Hanc quadã cognata cũ uino poteſtate, largius cõpotantibus ebrietatem inducere adfirmant. Medonem ac birram per æſtatẽ infrigidare, infuſa poculis glacie, uoluptatis gratia ſolent. nam ingentia glaciei fruſta nobiliũ in cellis ſubterraneis ſingulari ſtudio reconduntur. Sunt &, qui in delicijs habeant, ſuccum ex ſubauſteris ceraſis expreſſum, qui perſpicui & purpuriſſantis uini colorem & ſaporem iucun-
B diſſimum refert. Vxores & fœminæ, non in eo honore ſunt apud eos, ut apud cæteras gentes. nam propè ancillarum loco habentur. Viri inſignes earum ueſtigia mirum in modum obſeruant, & pudicitiæ diligentiſſimè cauent. nõ enim adhibent conuiuijs, neq; ſacrorum cauſa remotiora templa petere, aut temerè in publicum egredi permittuntur. Cęterùm uel ab externis hominibus, & exiguo quidẽ precio, ad Venerem omne uulgus fœminarum facile pellicit, adeò ut parum earum amoribus ſtudere uiri nobiles exiſtimẽtur. Baſilius ante uiginti annos Ioãnem patrem amiſit. Is Sophiam, Thomæ Palęologi, qui latè in Peloponneſo imperabat, Conſtãtinopolitaníq; Imperatoris erat frater, uxorẽ duxit. ea tum Romę erat, Thoma patre Turcarum armis Græcia pulſo. ex hac quinq; liberi felici fœcũditate ſuſcepti, ipſe Baſilius, Georgius, Demetrius, Simeon, & Andreas. Demetrio & Simeone iampridem morbo abſumptis, Baſilius Salomoniam Georgij Soborouij, eximiæ fidei atq; prudentię cõſiliarij, filiã, in matrimoniũ ſibi collocauit: cuius fœminę ſingulares uirtutes una ſterili-
C tas obſcurat. Solent aũt Moſchouitæ, cũ de uxore ducẽda deliberant, omnium toto regno puellarum uirginũ delectum habere, ac forma uirtuteq; animi pręſtantiores ad ſe perduci iubere: quas demũ per idoneos homines, fidelesq; matronas inſpiciunt, ita diligenter, ut ſecretiora quoq; ab ijs cõtrectari exploraríq; fas ſit. Ex ijs uerò magna atq; ſolicita parentum expectatione, quę ad Principis animum reſponderit, regijs nuptijs digna pronunciatur. cæteræ uerò, quæ de formę pudicitięq; & morũ dignitate contenderãt, ſæpe eadem die in gratiã Principum, proceribus atq; militibus nubunt: ſic ut mediocri loco natæ plerunq;, dum Principes, regię ſtirpis clara ſtemmata contemnunt, ad ſummũ regalis thori faſtigium, uti & Turcas Ottomanos ſolitos eſſe uidemus, pulchritudinis auſpicijs euehantur. Baſilius quadrageſimũ ſeptimũ ætatis annũ non attingit, ſpecie corporis eximia, animi uirtute ſingulari, ſuorũq; ſtudio ac beneuolentia, & rebus geſtis, progenitoribus ſuis anteferendus. Nam, cũ per ſex annos cum Liuonijs, qui ſeptuaginta duas urbes fœderatas in eius belli cauſam tra-

hebant, armis contendisset, paucis legibus datis potius quàm acceptis, A
uictor discessit. Polonos quoq; initio statim ipsius Imperij, acie profliga-
uit: Cõstantinumq; Ruthenum copiarum ducem, captum & cathenis uin
ctum, Moschã perduxit. Sed ipse aliquanto pòst ad Borysthenem, supra
Orsam urbem, ab eodẽ Cõstantino, quem dimiserat, magno prælio est su
peratus: ita tamẽ, ut Smolenchũ oppidum, quod antea Moschouitę occu
parant, post tantam etiã uictoriam à Polonis partam, in ditione Basilij re-
linqueretur. Sed aduersus Tartaros, & maximè Europęos Præcopitas, sę
pius secundo prelio à Moschouitis est dimicatum, ulciscendis fortiter in-
iurijs, quas illi repentinis incursionibus intulissent. Supra enim centum
& quinquaginta milia equitũ Basilius ad bellũ ducere consueuit, distin-
ctis per uexilla turmis, quæ suos duces sequunt. Regiæ alæ uexillo inscri-
pta est Iosuæ Hebręi imago, illius qui, ut sacrę referũt historiæ, à Deo ma-
ximo longissimũ diẽ, retardato solis cursu, pijs precib. impetrauit. Pede-
stres copię nullo propè usui sunt in illis uastis solitudinibus, tũ ex ipsa ue-
ste quæ fluxa talarisq; est: tũ ex hostiũ consuetudine, qui cursu potius & B
equitandi celeritate, quàm ui statariæ pugnæ, uel ipso congressu militiam
exercẽt. Equi eorum statura infra mediam existũt, sed robusti & uelocis-
simi habentur. Equites præpilatis hastis, clauisq; ferreis & sagittis rẽ ge-
runt. paucis falcati sunt gladij. Corpora uerò clypeis rotundis, ut Asiatici
Turcæ: uel inflexis & angularibus parmis, more Græcorũ, itemq; lorica
& galea pyramidali protegunt. Basilius etiam Sclopettariorum equitum
manum instituit: multaq; ænea tormenta Italorum fabrorũ artificio con-
flata, suisq; imposita currib. in arce Moschæ uisunt. Ipse insigni apparatu
& singulari comitate, qua tamẽ Regia maiestas nulla ex parte corrũpitur,
publicè cum proceribus atq; legatis epulari solet, magnumq; inaurati ar-
genti pondus duobus abacis expositũ, eodẽ triclinio conspicit. Nullam
prætoriani militis cohortem, pręter ipsam familiã, corporis custodię cau
sa, circũ se habere, uel alibi alere consueuit. Ab urbana enim fideli multi-
tudine stationes habẽtur. nam unaquęq; urbis regio foribus, cancellisq; C
sepit: nec temerè per noctẽ, aut sine lumine, in urbe uagari licet. Aula om-
nis constat ex regulis, & ex ipso militũ delectu, qui per statos mensiũ cir-
cuitus, frequentandę, nobilitandę que regię causa per uices ad implenda
comitatus officia è singulis regionibus accersunt. Porrò exercitus omnis,
quum bellũ ingruit, uel hostibus indicitur, ex euocatis ueteranis, nouisq;
prouinciarũ delectibus cogitur. nam cunctis in urbibus prefecti militiæ
iuuentutem inspiciunt, idoneosq; in ordines militũ transcribunt: quibus
ex ęrario prouinciarũ, certa, pacis tempore, sed ea quidẽ exigua, stipendia
persoluuntur. Verùm qui militant, immunitate uectigalium gaudent, &
cæteris paganis præstant, regiaq; gratia omnibus in rebus potentes exi-
stunt. Patescit namq; ueræ uirtuti nobilis locus, quum bellum geritur: si-
quidem egregio & in omni rerum administratione salutari instituto, ad
suum quisq; spectatum facinus, uel perpetui præmij, uel
ignominiæ sempiternæ fortunam assequitur.

FINIS.

IOANNES LVDOVICVS BRASSICA-nus Georgio Vuernhero.

NE quis uana putet, quæ ſcribis mira Georgi,
De Præfecturæ fontibus ipſe tuæ:
Is ſciat effectus oculis nos teſtibus uſos
Luſtraſſe, & certam nunc adhibere fidem.
Nam ferrum Cyprio indutum conſpeximus ære,
Et uitrei tacta eſt ſtiria longa olei.
Si quis de cauſis dubitat, fonteſq́ requirit,
Naturæ inficians omniparentis opus:
Carpatias adeat per nos licet impiger oras,
Inueniet dictis conſona facta tuis.
Suſpectæ fidei plerunq́ incognita res eſt,
Quamuis hoc tardi eſt indicium ingenij.
Sed quid diſſimulare iuuat? nos credere par eſt
Teſti, qui proprio plena fauore refert.
Et tu mirificas nimirum abſtemius undas,
Et cauſam tractas iuſtius ipſe tuam.

ILLVSTRI VIRTVTE ET SAPIENTIA VIRO, D. SIGISMVNDO, LIBERO BARONI in Herberſtain, Neiperg, & Guttenhag, Regio Conſiliario, & ſummo in Auſtriæ prouincijs Quæſtori, Sigiſmundus Torda Gelous Pannonius S. D.



VPER ut Auſonia ueni tellure relicta,
Hoſpes ad Auſtriacas fatis ducentibus oras,
De te prolixè ſum percontatus, an eſſes
Incolumis? quas res gereres? an in urbe maneres?
Sed tum tu Regi tuleras mandata Polono.
Quod cùm forte mihi dixiſſent unus & alter,
Continùo mœſtum concœpi corde dolorem,
Quòd tua pro uoto non eſt licitum ora uidere,
Nec tecum, ut uolui, coram data copia fandi.
Cur uerò expeterem congreſſus optime tantum
Sigiſmunde tuos, planè fuit unica cauſa:
Vt mihi noticiæ tecum eſſent iura perennis.
Rurſus ut hoc cuperem, magni uis ſuaſit amoris,
Quo me deuinctum fateor tibi tempus in omne.
Nec nouus hic animo ſenſus mihi ſedit in imo,
Peruetus, & multis eſt confirmatus ab annis.
Iam tum mirari te cœpi, & ducere magni,
Fama meas de te cùm primùm uenit ad aures:
Non hæc obſcuris uulgi ſermonibus orta,
Verùm à laudatis illuſtri prodita uoce.
Es uerò multos inter digniſsimus unus,
A' me prorſus & ingenuè qui ſemper amêre,
Atque fide ſemper ſumma, officioq; colare:
Vel quòd te natura parens formarit ad unguem,
Vel quòd tanta tua uigeat ſapientia mente,
Vel quòd dicendi nulli ſis arte ſecundus,
Vel quòd Cecropia clarus celebrêre matheſi.
Virtutem grauitas uitæ, conſtantia rara,
Integritas, mores placidi, moderatio, candor,
Et manſuetudo teſtatur, ſobrietasq;.
Quid dicam ſtirpem generis notã, atq; uetuſtam,
Maioresq; tuos: quorum uirtusq; fidesq;
Egregia eſt ſemper belli ſpectata, domiq;?
Quid reliqua ornamenta domus te uindice parta
Perpetuò à tota quæ poſteritate ferentur?
Iam quid iuſticiam memorem? quid fortia facta?
Quid bene de multis ſtudium, curamq; merendi?
Non leuis ambitio cæco te corripit æſtu,

Non

Non æris male ſollicitat furioſa cupido.
Vt taceam, quòd te longa experientia fecit
Conſultum, prauo ut rectum dignoſcere poſſis,
Vtile damnoſo, pulchro ſecernere turpe.
Quis neſcit, cultæ quæ ſit facundia linguæ,
Mandata in cauſa ſimul expectata reſoluis
Ora, uirûm dictis animos & pectora mulcens?
Hinc te in conſilium legit, ſanctumq; Senatum,
Adiunctumq; ſibi uoluit Rex inclytus eſſe,
Imperij quoties ingentia pondera poſcunt.
Ad populos Oratorem, ſummosq; Monarchas
Vnum te mittit toties, præq; omnibus unum:
Vnde tibi celebri quæſita eſt gloria laude,
Euaſura rogum ſupremum, atque inuida fata.
Qua tellus habitata patet ſub Cæſare magno,
Illa tu pridem tota es bene cognitus ora.
Tu Byzantini ſubiſti caſtra tyranni,
Ancipiti in rerum ſtatu, tibi ſæuus atrocem
Sponte ſerenauit media inter claſſica uultum.
Te norunt, & amant, ſeptem quicunque trionis
Gentibus imperitant Reges: tua nomina ſeruat
Terra Boryſthenidum, rebus cumulata ſecundis,
Dum pacem paci ſocias, & fœdera pangis.
Iam diſciplinas te perdidiciſſe operoſas,
Quæ ſpacia, & moles, numeroſq; & ſidera monſtrant,
Quæque docent rerum ſolerti indagine cauſas,
Cur ita quidque ſit affectum, cur nil ſibi conſtet
Quin fluat, & pronas ſemper mutetur in horas,
Edita de Moſchis à te monumenta loquuntur.
In quibus & mores hominum, legesq; notaſti:
Ocia quo ſtudio ducant, pacemq; togatam,
Quàm ualidi, celeresq; ruant in Martia bella.
Quæ cultura uiris ſuperûm, quæ cura ſacrorum,
Quantas poſſideant fortunas, quo ſibi quæſtu
Rem faciant, cum qua iungant commercia gente,
Quo ſint conſueti uitam producere uictu,
Quàm latè Scythia Moſchus dominetur in ampla.
Inq; breui deſcripſiſti, nitidaq; tabella,
Dimenſus regnum pollens armisq;, uirisq;,
Mollibus & radij ſignaſti flexibus oras:
Quà uolucrem Boream, quà ſolem ſpectet Eoum,
Quæ latera obtendat Zephyris, Auſtroq; furenti,
Quoq; gradu Arctoum ſe denique tollat ad axem.

Prætereà ne quid lector deſideret, aptè
Perpetuam regum ſeriem uſque ad tempora noſtra
Digeris, & prima repetens ab origine ducis.
His ego uirtutiſq; tuæ, laudumq; tuarum
Illecebris captus, te, dum mea uita manebit,
Qua mihi cumque licet, ſtatui ratione colendum.
Poſtulat hoc etiam cultor tuus, & meus idem,
Addubito ſocerum dicam' ne, patrem' ne, profectò
Obſeruandus pro meritis pater, & pietate
Uuernherus: qui non ſtudio commotus inani,
Sed uotum ſenſumq; tuum, & tua iuſſa ſecutus,
Comprendit docti grata breuitate libelli,
Pannonij noſtris quicquid miramur in undis.
Hic igitur cum te ſummo ueneretur honore,
Atque ſibi ducat te nil antiquius uno,
Tanto te faciam maioris & ipſe neceſſe eſt:
Fœderis inter nos iuncti hoc quia uincla requirunt.
Tu ſi ſuſcipies me, & complectêre uiciſſim,
Te penes arbitrium cogendi erit, atque iubendi,
Quæq; uelis de me ſtatuendi ſumma poteſtas.

SIGISMVNDVS LIBER BARO IN HERberſtain, Neyperg & Guttenhag, &c. GEORGIO VVERNHERO, Regio Conſiliario, & apud Saros Præfecto, S. D.

A



TSI iam olim, & à multis quidē multa de admirandis in Zepuſio aquis audierā, tamen ijſdē de rebus, quę pleriſq; incredibiles uidebantur, à te in primis certior fieri, & tuū iudicium audire deſiderabam. Quia uerò non dubitaſti, quæ comperta de his haberes, ad me ſcribere, facilè effeciſti, ut nō modò, quid ipſe poſthac de his ſentire debeam, certò ſcirem: ſed etiam multi alij excellentes uiri, teſtimonio tuo, cui plurima apud omnes eſt autoritas, confirmati, addubitare deſinerent. Sed cùm etiam in reliquis Hungariæ partibus multæ non minus admirabiles aquæ eſſe dicantur, rem ualde gratā mihi, & multis alijs harū rerum cupidis, tuiq; ſtudioſis facturus es, ſi eas quoq; deſcribēdas ſuſceperis. Scio quidē, & uidi ipſemet apud Sereniſs. quondam Ludouicum Hungariæ regem, Diui Imperatoris Maximiliani legatione fungens, ad Budam ſedem regiam, thermas eſſe, quarum calorē immiſſa manu ferre nequeas. quod ei utiq;, qui antè non uidit, mirabile uidetur. Sed quod in his etiā uiui piſces ſunt, id nō pauci pro re incredibili habent. Talia quoq; uidentur eſſe, quę dicuntur de alijs thermis in ripa fluuij Vagi, nō longè ab oppido Galgocz, quod Germani & Slaui uulgò Freiſtat uocant: quas locū, prout creſcit aut decreſcit fluuius, in æquali ſemper diſtantia mutare aiunt. Legi nuper apud Arrianum libro tertio, deſcriptum fontem, qui ſub lucem tepentibus aquis manat, in meridie frigidus, ueſperi calet, ac
B ſub exortum diei rurſum tepidus oritur, atq; ita per ſingulos dies ac noctes æſtus ac frigoris uices uariat. Saxo Grammaticus in Islandia fontē eſſe teſtatur, qui fumigantis aquæ uitio natiuā rei cuiuslibet originem demolitur. Nam quicquid humido eius uapore afflatur, in lapideæ naturæ duriciem, forma tantū ſuperſtite, ſubita conuerſione tranſmutari. Hęc & his ſimilia, qui deinceps legent, minus mirabuntur, ubi animaduertent, ſummum opificem in his etiam noſtris, & alijs uicinis regionibus non pauca mirabilium operum ſuorum monimenta poſuiſſe, quæ tamen indigenæ pro miraculis non habent: ac quandoq; etiam, ſi interrogentur, ignorant, quemadmodum in Moſcouia ſæpenumerò ſum expertus. Nam cum nonnulla eiuſmodi, quæ mihi narrarant alij, quærerem ab incolis, adeò nihil habebant quod reſponderent, ut mirari ſe dicerent, unde ea homo peregrinus accepiſſem. Non dubium eſt autem, niſi pleraq; diuerſis in locis obſeruaſſent, et literis mandaſſent homines externi, quin ea indigenarū negligentia nunc luce, ſuiq; memoria & admiratione carerent. Non poteſt igitur mihi, Vuernhere ornatiſsime, non ualde probari ſtudium tuum, quod hoc genus Hungariæ tuæ rebus eruendis & illuſtrandis impendis: nec facere poſſum, quin te ad id continuandum cohorter. Nam eo nō tantum mihi fueris gratificatus, ſed etiam tibi apud omnes magnæ laudi eſt futurum. Bene uale.

DE

DE ADMIRANDIS HVNGARIAE AQVIS, HYPOMNEMATION: GEORGIO Vuernhero authore.

SIGISMVNDO IN HERBERSTAIN, Neiperg & Guttenhag Baroni, &c. GEORGIVS VVERNHERVS.



ANNOTARAM iussu tuo nõnulla, SIGISMVNDE BARO uerè magnifice, de mirabilibus aquarum naturis, quæ finibus Zepusij nostri continentur: ut me ceu oculato teste confirmares ea, quæ quidam audita ab alijs, pro fabulosis habuerunt. Quia uerò non modò fides habita est narrationi meę, sed etiam quibusdam incensa cupiditas, plura hoc genus cognoscendi: minimè inuitus, ut debui, suscepi, quod mihi denuò mandandum duxisti, ut alia quoque aquarum miracula, quæ in Pannonia nostra uisuntur, non minus penè prodigiosa, scripto complecterer. A

Pannoniæ autem appellatione non eam tantũ comprehendo Danubij ripam, cum qua ea, quæ dicta est secunda Pannonia, ab Arabone fluuio, qui Ptolemęo est Narabo, nunc uulgò Raba, ad Saum excurrit: sed quicquid præterea Hungari in altera Danubij ripa tenent, quod quidẽ latissimè patet. Tenent enim totam Iazygum Metanastarum regionem, quam Ptolemæus fluminibus Danubio, Tibisco, ac montibus Sarmaticis finit. Sunt autem montes Sarmatici, qui Hungaros à Rutenis, Polonis, Moravis, Silesijs, & ea Austriæ parte quę citra Danubiũ est, dirimunt. ad quos pertinet Carpatus, ita iam uulgata appellatione, ut omnis tractus Sarmaticorum montium Carpatus uocetur. quanquam mihi Ptolemæi descriptionẽ intuẽti, Carpatus ijsdem, quibus Dacia, finibus uidetur terminari. B

Porrò extat nunc quoq; Iazygũ natio inter Hungaros, quos ipsi uoce decurtata Iaz uocant. ac retinent ijdẽ etiamnum linguam suam auitam & peculiarem, Hungaricæ dissimilimam: atq; eas sedes, quas Plinij descriptione quondã tenuerũt, nimirũ campos & plana, Dacis, ut idem ait, pulsis ad Patissum amnem, quem ego detracta prima syllaba Tissum, uel, ut nunc uulgò uocant, Tizam accipio. Is uerò Tibiscus est Ptolemæo, limes ueteris Daciæ, cuius cultissima pars est Transsyluania, prouincia multis habitatoribus frequens. Nam eam & Germani, quos appellant Saxonas, & Hungari, & Hungarorum antiquissimi Siculi dicti, qui lingua sua sunt Zekheli, & ad huius imitationem à quibusdã uocantur Ceculi, incolunt. ut omittam peruetustas Romanorum reliquias Valachos, qui frequentes ibidem uicos & pagos habent. Potiũtur tamen rerum Hungari, & penes eos imperium est: eoq; fit, ut Transsyluani quoq; Hungarorum nomine censeantur. Est uerò planè mirabilis diuersarũ, nec unius linguæ per uniuersam Hungariam gentium mistura: quemadmodum à me dicetur prolixius C

lixius

A lixius ea in cõmentatione, qua res Hungariæ, populorum in ea origines, appellationes, leges, mores, inſtituta conor explicare.

Cæterùm Iazygum regione, qua ſe Carpatus (ut hoc iam nomine omnem illorum, quos dixi, montium tractum complectamur) latiſsimè pandit, & in quoſdam quaſi ramos alibi eminentioribus, alibi mitioribus iugis diffundit, continentur oppida, à Germanis montana dicta, quòd inter montes metallorum omnis generis fœcũditate & præſtantia cum primis nobiles ſita ſunt, & populo metallicam faciente conſtant. Qua ratione & eos qui in metallo operantur, in monte eſſe, & in genere uniuerſam rem metallicam opus montanũ uulgò dicunt. Eadem regione continetur Zepuſium, & multi alij Comitatus.

Sunt autem Comitatus, ut hoc quoq; obiter explicem, regni partes, quas Prouincias, aut Præfecturas, aut Græca uoce, qua plerique Latinorũ uſi ſunt, monarchias dicere poſsis. Plinius & cõuentus, & iuriſdictiones, & cõuentus iuridicos in diſtributiõe Ciliciæ & Beticæ Hiſpaniæ appella
B re uidetur. Cicero uocat Diœceſes, quod nominis Epiſcopi in appellatione ſuarum iuriſdictionum, quanquam nunc uulgò corruptè, uſurpant. Earum uerò partium præfecti uocantur Hungaris Comites, quibus iuriſdictionis cura incumbit. Fuit autem Hungariæ regnũ, quo facilior & expeditior eſſet iuris dicẽdi ratio, in hoc genus Comitatus plures quinquaginta diuiſum, ex quibus uix dimidium hodie retinemus.

Sed hæc tanquam uſui futura ad cognitionem locorum, in quibus noſtra de aquis narratio uerſabitur, præfatus, dicam primùm de calidis, quarum pro Hungariæ portione, uix ulla regio plures aut ſalubriores habet. Vnde uerò potius ordiar, quàm ab ipſa urbe Buda, quã Hungariæ reges ob loci ſitum, opportunitatẽ & amœnitatem meritò pro regia habuerũt. Hic propter ipſam Danubij ripam calidæ ſunt multæ, inter quas differentia maior eſt, quàm pro loci diſcrimine. Quædã enim nõ modò tolerabili, ſed ita iucũdo ſunt calore, ut ad hominum lauacra naturæ benignitate ſingulari datæ eſſe uideãtur. Huius generis ſunt infra arcem regiam aliæ, Re-
C giæ uocatæ: uel propter uicinam regiam, uel quia regio opere ornatæ & concluſæ, uel quia in his reges lauare conſueuerunt. aliæ cõmunes, quibus ſaxum ceu natiua fornix impendet, quas Turcæ poſt occupatam Budam latius excauata rupe ampliores reddiderunt, cæteriſq; præferre dicũtur. At quæ ſupra Budam ſunt, quarum aliæ item regiæ, aliæ hoſpitales à uicino ptochodochio dictæ fuêre, balneis ſunt inutiles, niſi refrigerent. Sic enim quædam calent, uel feruent potius, ut in eas miſſum ouum non minus citò, quàm ad luculentum ignem elixetur. Temperantur autem in balneis frigida, cuius ibi fons calidis ita contiguus eſt, ut qui hauſtum ueniunt duabus urnis, eodem in ueſtigio altera calidam, altera frigidam haurire poſsint.

Ibidem eſt ſub dio fons calidarũ cæteris amplior, quem purgatorium uocauêre, ea nimirũ ratione, quòd, quemadmodũ proditũ eſt, in purgatorio pœnas nocentiũ pro noxarũ modo, alias acerbiores, alias mitiores eſſe, ita quædam inſunt aquæ hoc in fonte diſcrimina. Nam qua in eum à

Danubij

Danubij ripa aditus eſt, ſubfrigida primùm, mox tepida: & quo in eam A
penetraris altius, hoc magis calet. In receſſu uerò interiore tam eſt calida, ut ferri non poſsit. Eſt autem is calor haud dubiè aquæ huius proprius. Nam alia, quę dixi, temperamenta ueriſimile eſt à Danubio accedere, qui crepidinẽ huius fontis lambit, & cùm uel modicè excreſcit, totũ inundat, neq; tamen ita reſtinguit, quin caleat. Quin intra ipſam ripam, qua Danubio perennis curſus eſt, calidæ ebulliunt: ubi qui altius mergi uolunt, lauare conſueuerunt.

Porrò hæ ad Budam thermæ (liceat uerò mihi hac uoce in calidarum aquarum appellatione uti) quòd alteræ, ut dictum eſt, infrà, alteræ ſupra urbem eſſent, ex eo quoque inuenêre nomen, ut illæ inferiores, hæ ſuperiores uocarent. Vtraſque Turcæ, quibus tamen omnia uaſtare libido eſt, non modò non corruperunt, ſed etiam cultiores, ac per ſpeciem religionis quaſi auguſtiores reddiderunt. Nam Baſſa Mahometh, quem tyrannus uictor Budæ captæ, ac reliquis Hungariæ à ſe debellatæ partibus gubernatorem impoſuit, apud utraſque Deruiſis domicilia, ceu cœnobia ex B
trui curauit. Sacello etiã apud ſuperiores in colle uicino, qui antè uitibus conſitus fuit, poſito, conſecrauit locum memoriæ cuiuſdam eius ordinis, quem, dum uiueret, ceu numen quoddam uenerati ſunt Turcæ: & nunc mortuum, illoq; in loco conditum, religioſè colunt.

Sunt autem Deruiſę Turcis, quod nobis monachi, qui mendicato uiuunt: quibus ex religionis, quam affectant, inſtituto uſitatũ eſt, ſæuire in corpus proprium, quod alij per inuſtionem ſtigmatum ferro candente, alij per inciſionem quæ fit nouacula acutiſsima, quidam utroque modo faciunt, hoc crebrius & crudelius, quo quiſque ſanctior & religioſior eſſe & haberi cupit. Eſt uerò & in ueſtitu quędã inter eos diuerſitas, & ſanctimonię affectatio. nam alij ueſte lanea alba ad talos uſque demiſſa amiciuntur, & calceati incedũt, capite operto. Alij nudis pedibus & capite, imò toto penè corpore, niſi quantũ pelles duę ouinæ aut caprinæ crudæ, quarũm altera à fronte, altera à tergo ex ſcapulis propendet, tegunt. Quidam etiam unica pelle pudendas tantum corporis partes uelant, cætera nudi. C
Gymnoſophiſtarũ dicas eſſe reliquias, quales India habuiſſe memoratur.

Sunt quidem hęc à narratione, quam de aquis inſtitui, aliena. Sed cùm huc delapſus ſim, quid obſtat, quo minus de Turcarũ lotionibus pluſculum addã? Cùm omnes aquas Turcæ, ceu præcipuum Dei munus, ſummo honore dignant: tum uiuas potiſsimum, & fluentes: idq; propter frequentes lauationes, quibus etiam crebrius per diem, nõ modò ad ſordes corporis abluendas, ſed ad ſcelerũ quoq; expiationes uti conſueuerunt, quod proculdubio ab aliarũ gentiũ ritibus habent, quibus etiã ſola aquę aſperſio inter Februa fuit. Sic Romæ olim ad portã Capenam, poſtea Appiam uocatã, aqua Mercurij dicta, alij alios aſpergebant, inuocantes Mercuriũ: ut aſperſi flagitia, & præſertim periuria diluerent. Sic traditur Peleus abſoluiſſe Patroclum, & Acaſtus expiaſſe Peleum à cæde fratris ſui Phoci, cùm antea Aegeus Medæam aquæ aſperſione luſtraſſet. Sic Oreſtem à ſanguine matris expiatũ eſſe, memorat Pauſanias in Corinthiacis,

cùm

A cum illum nemo lare ſuo & hoſpitio dignaretur. Cuius loci hoc libẽtius memini, quòd continet exemplum ritus uetuſtiſsimi, accepti à patribus, quo rei atrocium criminum à cõſuetudine omniũ & colloquio arcebantur. Sic Æneas quoq; apud Poetam noſtrum:

—Ter ſocios pura circumluit unda
Spargens rore leui.—

Et idem, ceu multa cæde pollutus, inquit:

Tu genitor cape ſacra manu, patriosq; penates:
Me bello è tanto digreſſum, & cæde madentem,
Attrectare nefas, donec me flumine uiuo
Abluero.—

Quin in atrijs templorum ſuorum poſitam habent aquam Turcæ eundem in uſum, neq; cuiquam niſi loto in ea ingredi fas eſſe arbitrantur.

Sed delectantur in uniuerſum plurimùm lotionibus & balneis Turcæ. eoq; præcipuum apud eos pietatis opus eſt, inſtituere & cõdere bal-
B nea publica: nec id tantum uiuentibus glorioſum eſſe, ſed etiam uita functis ſalutare putãt. Hac ratione is qui nunc rerum potitur, Solimannus, tum alibi, tum Budæ, in ædibus quę quondam fuerunt archiepiſcopi Colocenſis, ampliſsimum balneum pro ſua, ſuorumq; ſalute fieri curauit, in quod è Danubio per cànales ſubterraneos aqua in multam altitudinem, ut eſt Budę ad Danubium ſitus, ducitur. Ipſum balneum intus incruſtatũ & ſtratũ eſt monumẽtis marmoreis, quæ antea in tẽplis fuere poſita, imaginib. tamẽ, ſi quę inſculptæ fuerũt, reſectis, & toto opere perpolito.

Eadem gloria quęſita eſt ei, quem diximus, Baſſę Mahumeth, qui thermas Budenſes exædificatis illis Deruiſarum cœnobijs, cõditorioq; eius de quo diximus, illuſtriores reddere ſtuduit. Hic uerò uidere eſt mirabilem rerum commutationem. Nam quæ loca Hungaris incolumi & florente Buda uoluptatis domicilia fuerunt, ea religioſè ornarunt Turcæ: flagitioſè contrà prophanantes, quæ antea habita ſunt pro ſacroſanctis.

In thermis ſuperioribus, ſupra eos fontes quibus ad lauacra uſus eſt,
C ſunt piſcinæ calidæ, in quibus naſcũtur & uiuunt piſces, qui in frigidam translati emoriũtur. Sunt etiam calidæ in oppoſita Danubij ripa ſupra Peſthum, ſed minus celebres: propterea quòd ita coniunctæ ſunt alueo fluminis, ut ad quæuis eius incrementa corrumpantur.

Solẽt ferè thermæ locis, in quibus ſunt, aliquod nomẽ, & quaſi lumen afferre. Ita nobilitatus eſt quondam ſinus Baianus in Campania. Ita nũc quoq; in Italia, Germania, & in quauis penè terrarum orbis parte clara ſunt hoc nomine loca. Nonnulla etiam appellationem à calidis ſunt ſortita: ut in Theſſalia Thermopylæ, & in Germania oppida quæ uocantur Badæ, hoc eſt balnea. Sed fuerũt quaſi in obſcuro Budẽſes, nec aliqua ei loco celebritas acceſsit, à tanta calidarũ copia & uarietate: quod proculdubio eò euenit, quòd reliquę eius urbis fortunæ atq; opes hoc non exiguum alioqui clementis naturæ munus obſcurarũt. Nam quis fuit in tota Europa locus, qui ſe Budæ cõparare potuerit, ſiue ſitus amœnitatem, ſiue cœli ſalubritatem, ſiue ſoli fœcunditatem, ſiue aliarum quarumcũq;

rerum ad quoslibet usus, ad splendorem, denicp ad luxum pertinẽtium A
ubertatem & affluẽtiam spectes? ut ne quid dicam de opportunitate, in
qua non Hungarorũ tantum, sed etiam multorũ aliorũ populorũ defen
sionem & salutẽ sitam fuisse, quotidianis damnis & periculis experimur
Quo grauior & acerbior est iactura, quam erepto nobis per Turcas hoc
loco fecimus. Sed facessant querelę, quę suum alibi locum sunt habiturę.

Nisi uerò autoritate Chronicorũ nostrorũ, magno consensu urbẽ Bu
dam à rege Buda Attilæ fratre cõditam & nominatam esse tradentiũ, im
pedirer, ego, si qua alia cõiectura de eius nominis ratione facienda esset,
ob insignem calidarum eo in loco celebritatẽ & copiã, pro eo quòd Ger
manis quondã fuerit Bada, unius literæ inuersione Budã ab Hũgaris di-
ctam esse suspicarer. Nam ea secũdorum Pannoniorum loca, antecp huc
Hunni immigrarent, Germanos seu Teutonas tenuisse, minimè ambigu
um est. Nec ita multũ dissimili mutatione uocarunt Hũgari Vuesprimi-
um, quod Germanis fuit Vueisprun, hoc est, fons albus, qui loco nomẽ
dedit: & etiamnum ibi sub arce, quæ sedes est Episcopi, ostenditur. B

Sed redeo nunc ad calidas: ac Danubij ripam legens Istrogranum, uel,
ut nunc appellant, Strigonium peruenio, qui locus secundum Budam in
Hũgaria semp celeberrimus fuit, sede Archiepiscopi, qui idẽ primas Hũ
gariæ dictus est, insignis. Hic ad radices montis, cui imposita arx est ma-
gnificentissimè extructa, qua labitur Danubius, fons est tepidarũ, inclu-
sus turri, in quam ex arce ductis eò per præceps muris descẽsus patet. Ex
eo tanta manat aquæ copia, ut quondam molam frumentariam uersarit:
nunc machinam haustoriam similem tympano impellat, qua aqua è Da-
nubio per subterraneũ cuniculum in eam, quã dixi, turrim admissa hauri
tur, & in arcem trãsfunditur. Hoc largior est fons alter haud magno in-
de interuallo: qui in piscinulam quandam influẽs, in qua etiam media hy-
eme coaxãtes ranas audias, aquæ tantum, quantũ uersandis tribus qua-
tuor ue rotis molaribus satis est, fundit.

Supra Istrogranum (quod ex Istro & Grano mixtum est nomẽ, quòd
ibi fluuius Granus Istro miscetur) nõ longè ab arce Comaronensi, quæ C
tenet orã cognominis insulæ, quã Danubius prope Posoniũ in duos di-
uisus alueos facit, à Septentrione ueniens influit Vagus: cuius ripa supra
Galgocium, quæ arx est familiæ Thurzonũ, nunc maximè nobilitata est
calidis, non propter uim earum salubrem tantũ, qua omnes alias in Hun
garia calidas superare existimãtur, sed etiam propter uarium, planécp mi
rabilem eorum ortum. Non enim ullum certũ fontẽ habent, sed alueum
fluuij sequũtur: & ut is excrescit & decrescit, ita aut recedũt aut accedũt.
Solent autem, quo magis exundant, hoc lõgius recedere. eocp qui lauare
uolunt, subinde alias atcp alias scrobes fodere. & quasi puteos aperire co
gũtur. Id, cũ intra alueũ est fluuius, fit in glarea, quod ipsius solũ est: cum
uerò exit, in terra solida, & argillosa, in qua alioqui nõ restagnãte fluuio,
nihil penè humoris existit. Necp tamen in ripa tantũ eruntur calidæ, sed
etiã intra amnem, si fundũ eius pedibus suffodias. Calẽt autẽ immodicè:
nec sunt idoneæ balneis, nisi temperentur, quod admistione frigidæ de

proximo

A proximo hauſtæ in procliui eſt. ſed quia magis ſalutares eſſe credũtur ſine miſtura, qui medicinam inde petunt, deferuere eas ſinunt: quod pro temporis ratione aliàs ſerius, aliàs citius fit. Nunquam tamen ſic deferuent, quin, qui in eas deſcendunt, tegete, ceſpite ue, aut ramis in fundum ſcrobis iniectis, imas corporis partes aduerſus ebulliẽtis caloris uim munire cogantur. Eſſe autem eas aduerſus diuturnos, ac penè deſperatos morbos efficaciſsimas, multis experimentis cognitum eſt, & adhuc indies magis ac magis cognoſcitur.

Sunt calidæ aliæ non lõgè à caſtro Trincinio, quod ad eiuſdem fluuij Vagi ripam eſt, ſupra Galgocium. Illæ ſuauiter calent, & ſunt limpidiſsimæ: atq; ideo iucundiſsimi ſeceſſus loco fuerunt Comitibus Zepuſienſibus, qui paulo ſuperiore ætate Trincinij ſedem habuerunt.

Nec multum recedũt à Vago calidæ ad arcem Baimocium, quę itẽ eſt Thurzonũ: quibus hoc honoris habuit Alexius Thurzo, qui in ea familia nomen illuſtre, & ſecũdum regiam aliquamdiu ſummam poteſtatem
B apud Hungaros obtinuit, ut eas quadam quaſi ciſterna ex quadratis ſacta lapidibus, qui etiam deſcendentibus ſcalarum & ſedilium uſum prębent, includẽdas curauerit. Etſi uerò minus ſpacioſæ ſint, tamen manifeſtum in ipſis eſt diſcrimen caloris: eoq; diremptæ ſunt muro. & quæ moderatius calẽt, delicatioribus tantũ patent: alię uulgi uſibus ſunt relictæ.

In Comitatu Thurocio, qui eodẽ in tractu eſt, ſunt pari penè interuallo à Vago diſtantes calidę ad Stubnã uicũ, qui eſt ciuiũ Cremnicẽſiũ. Hę inſtar inſulæ ſunt. claudũt enim riuo, qui ex propinquis mõtib. delabẽs, aquã uehit gratã lauãtibus, cùm ſitiunt. Nam ad tẽperandũ calidas nunquam, niſi quis recentibus aquis admiſsis cõtinuò lauare uelit, adhibentur: idq; etiam tum fit modicè, quòd per ſe minus intemperatè caleant.

Non diſsimiles ſunt his calidę alię inter Cremniciam & Semniciã, quę ſunt duo præcipua oppida inter montana: de quibus ſuprà dixi. Manãt ex rupe, ſic nata, ut lauantibus tectum & umbram præbeat.

Nec tantũ ipſę in rebus ſalubribus habẽtur, ſed etiã cœnũ earũ (quod
C Plinius quoq; inter calidarũ utilitates retulit) medicã uim creditur obtinere. Itaq; in eo quidã, ulceroſi pręſertim, ibi, ppè quà fluũt, uolutari ſolẽt.

Sunt etiam Semniciæ calidæ, quæ uocantur Roſelinæ: in quibus canales, per quos fluunt, & ſedilia ex lignis facta, ſic ſunt accreto lapide ceu cortice tecta, ut prorſus lapidea uideantur.

In Comitatu Liptouienſi, ad pagum qui uocatur Diui Ioãnis, fons eſt tepidarum: ad quem pleruncq; confugiunt, quibus ſcabie, aut ſoris fœdata eſt cutis. Exilit uerò is, & magno impetu eiaculatur potius, quàm emittit aquas, qua Vago ortus & curſus eſt ex propinquis montibus, qui Carpati caput eſſe exiſtimantur. Nuſquam enim altius ſeſe attollũt, nuſquã pluribus & horridioribus iugis aſſurgunt hi mõtes, ad quos Carpatũ pertinere dixi. Altitudinis indiciũ eſt, nix in his perpetua, unde accolis Germanis montes niuis uocantur: aſperitatis, quòd ijdẽ montes ſunt imperuij. Slauorum lingua appellantur Tatri, hoc eſt, Tatari, quòd in regionẽ Tatarorum, qui ueteribus ſunt Getæ, uulgi opinione protẽdan

tur. Hungari uocant Tarczal, quod nominis lingua eorum à nudo, seu A
derasо uertice ductum esse uidetur. Nihil enim aliud quàm eminentissimi, & prorsus nudi scopuli sunt, hi montes. Ego rupes Sarmatię esse crediderim, quarũ mentio fit apud Solinum, quo loco Germaniã inter Hercynium saltum & rupes Sarmatarũ extendi ait. Nam ex Sarmaticis montibus, neq; ita lõgè ab his rupibus Vistula, quem Plinius alio nomine Vistillum, alij Istulam uocãt, ortum ducit: quo amne, pręter Solinũ, pleriq; alij Germaniam finiunt. His uerò rupibus subiectum est Zepusium, ubi aquæ sunt, quæ & ferrum erodunt, & lapidescunt, & animantes potæ enecant: de quibus, quæ alio ad te scripto complexus sum, attexam.

Et ut ab ea, cui consumendi ferri uis ineſt, ordiar: hæc est ad Smolniciam, quod oppidũ ad arcẽ Zepusiẽsem pertinet, intra mõtes, unde quondam metalla eruta sunt. Extrahitur autẽ hausſtro, quale Istrograni esse diximus, quod ab aqua supernè illabente impulsum circũactu & raptu funis, cui implicati sunt crebri nodi coriacei, implet fistulas, per quas funi meatus est: quib. adiuncti canales, effusam aquã excipiũt, & emittũt sub B
dium in alueos in terrã defossos, quibus ferrũ, siue uetus, siue nouum, impotitur. Quæ minora sunt ferramẽta, citius adedũtur. Solea ferrea equi cõsumitur intra horas uigintiquatuor. Quæ uerò sunt crassiora, cuiusmodi sunt quæ in uicini montis ferrarijs hunc in usum fiunt, postq; per aliquot dies aquæ immersa iacuerint, ceu limo quodã obducũtur adesa: eoq; statis tẽporib. abluũtur, & purgãtur, ut in id quod supereſt ferrũ, aquæ uis efficacius penetret. Quod peresо ferro manet, luto simile, cuprũ est (ipsi uulgò cementũ uocãt.) Id in fornace cõflatur in massam, & deinde per aliã fornacẽ eliquatũ fit purius, & purgatius, & ad oẽs usus nõ minus utile, quàm q̃d fit ex metallo: cuius multæ sunt fodinæ eodẽ in loco.

Non dubium est autẽ, quin aqua hanc uim à uenis metalli trahat, præsertim à pyrite æris (uulgus Marchesitam appellat) cui ibi uim ineſſe acerrimam, uel ex eo satis apparet, quòd aqua pluuia, aut alio quo humore terram subeũte, ex ipso id quod uocant uitriolum, quod Græcis chalcanthum, Latinis atramẽtum sutorium est, destillat, pyramidatim cõcre C
scẽs stiriæ in modum. Hoc uitriolum natiuum dicitur. Est enim aliud factitium, quod quidem eodem in loco in hunc fit modum.

Solent sectores metalli ligna intra fodinas transuersim posita, in quibus itur & statur, pyrite minutius cæso conspergere, & eo quasi uiam ad firmanda uestigia sternere. Ei, simulatq; penetrantibus in terram aquis permaduerit, innascitur uitriolum: idemq; ubi madere desierit, ita consolidatur, & adhæresсit lignis, ut non possit nisi ferro resecari. Resecantur autẽ sic concreta, & è fodinis per utres extracta mittuntur in alueos. Hic aqua feruente superfusa uitriolum omne, quod pyriti innatum est, resoluitur, fitq; aqua tota uiridis, quę deinde in alia uasa transfunditur, ut depuretur: depurata autem, transfertur in caldarium plumbeum, in quo suppoſito magno igne bullit ad horas octo, aut nouem: donec per euaporationem, quã uocant, densetur: influẽte tamen semper eodẽ liquore, ut eadẽ caldaria plena maneãt. Pòst infunditur in cados ligneos, quibus

inſertæ

A inſertę uirgæ ſunt, quibus accreſcit. Atq; hoc eſt, quod uitriolũ coctum ſeu facticiũ uocãt. Ac tantũ quidẽ de aquæ ferrũ rodentis ui & efficacia.

Nunc de lapideſcente dicã, cuius generis multæ ſunt in Zepuſio, inter quas etiã nõnullæ nõ aliter quàm calidæ, aut alię ſalubres frequẽtantur. Et ineſt his quoq; caloris, uel potius teporis aliquid, quod cùm aliis temporibus, tũ per hyemẽ manifeſtius ſentitur. Eſt uerò inter eos fons eximius unus ad pagũ, cui apud Zepuſiẽſes Germanos à riui murmure nomen eſt, qui inſtar piſcinæ ſtagnat, & plurimã aquam reddit, in quã item ligna iniecta, lapide ceu cortice obducuntur. Alter ad pagũ, qui uocatur Ioannis. Nã qui anguſtius ſcatẽt, ſtatim atq; paululũ profluxerint, lapideſcũt, & ita in tumulos exurgũt. cuiuſmodi uidetur unus ad pagũ Diui Andreæ nomine: alter cæteris inſignior, prope arcẽ Zepuſienſem, ad ædem diui Martini, quæ ſacrarũ ędium in Zepuſio princeps eſt. Hic ſcaturit, uel erumpit potius, aqua bulliẽti ſimilis, cum magno intus murmure & ſtrepitu, qui admota aure non ſine admiratione auditur. Erumpit aũt

B non foràs tãtum, & ſub diũ: ſed etiam meatus ſub terra quærit, & quacũq; uadit, lapis fit. quanq; qui ſubterranei ſunt eius generis lapides, pluuiis aquis irrigata humo, & eo madore diutius manẽte, diſſoluuntur. Solent autem accolę his ſic diſſolutis & effoſsis, ad opera cemẽtaria uice calcis uti. Qui uerò ſub dio naſcũtur, ipſiſsimi ſunt lapides, tofi dicti, leuitate & raritate non diſsimiles pumicibus. Et quia ueriſimile eſt, iis aliquid glutinis ineſſe, qui in propinquo ędificãt, libẽter his ad muros faciendos utuntur. eoq; quidam illic dictitant, ſe domos ex aqua factas inhabitare.

Cęterùm non minus miraculi uidetur habere quibuſdã, quod in monte arci contiguo, intra ſpecum quendam aqua per hyemem fluida, æſtate ita congelat, ut refrigerandis poculis glacies inde peti ſoleat.

Porrò quod ad fontes bibẽtibus ex eo animantibus letales attinet, eorum unus eſt ad radices rupium Sarmaticarũ, quæ, ut dictũ eſt, Zepuſio imminent. alij duo hoc famoſiores ſunt in Comitatu Saros, quaſi in conſpectu arcis cognominis, cuius ipſe prefecturã teneo. Nã qui eſt ſub rupi

C bus, aues tantũ ex eo guſtantes necare dicitur. At alios duos non tãtum auibus, ſed etiam aliis animãtibus noxios eſſe ferunt. Quã ob cauſam, ne cui pecori ad eos aditus ſit, diligentiſsimè caueri ſolet. Naſcitur aũt ad alterũ eorũ, qui propemodum intra Eperienſium noſtrorũ fines eſt, plurimũ aconiti, cui herbæ uenenum ineſſe uel unicus Ouidij uerſus arguit: *Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ.*

Atq; hinc quidem uideri poteſt fons hic uirus trahere. Tales enim, ait Plinius, ſunt aquæ, qualis terra per quam fluunt: quales'que herbarum, quas lauant, ſucci. Sed eſt reuera ſingularis huius fontis natura, ut qui & creſcente luna augeri, & deficiẽte minui, atq; adeò in interlunio prorſus deficere dicitur: tanto omnium conſenſu, ut mihi ne libuerit quidem, an hæc aliter ſeſe haberent, explorare.

Fontes acidos, & quas acidulas uocant, conſultò prætereundos putabam, quòd minimè rari ſunt in Hungaria. Ne nõ tamen ex his quoq; aliquid delibem, celebres ſunt in primis, alter in comitatu Zolienſi, ad ar-

cem eiuſdem nominis, cui oppida, quæ dixi uocari montana, ſubiecta A
ſunt: alter ad oppidum, cui Mons regius nomen eſt: uterque ſpleneticis
manifeſto ſenſu mederi dicitur.

Ad oppidum Biſtriciam, Germani Neuſolam uocãt, ubi fodinæ ſunt
æris opulentiſsimæ, quæ nunc appellantur regiæ, quòd in ijs impendio
Regis opera fiunt, cuniculus quidam reddit aquam uiridem: ex qua, ubi
ſubſedit, chryſocolla colligitur.

Quia uerò in Comitatum Zolienſem, dum aquas perſequimur, uen-
tum eſt, non poſſum præterire hiatum terræ ijſdem in locis famoſum ob
peſtilentes expirationes, quibus aues ſuperuolantes, & quæuis alia ani-
mantia extingui conſtat: manifeſto eorum experimento, qui eius rei pe-
riculum facturi, gallum, gallinam ue, aut felem, aut canẽ longo haſtili al-
ligatum, ſupra eum hiatum, qui ſepto ad arcendas inde animãtes circun-
datus eſt, protrudere & efferre conſueuerunt: quibus non aliter uita ſu-
bitò eripitur, quàm ſi ſtrangularentur.

Eſt item ad eum fontem, qui potus aues, ut dictum eſt, enecat, ſub Sar B
maticis fontibus acidula: quę etſi candem cum eo ipſo fonte originem ha
bere creditur, tamẽ pleriſq; ita grata eſt, ut etiã ægroti inde potũ petant.

Alia eſt non longè ab arce Leua in Comitatu Barſiẽſi, quæ niſi ab hau
riẽtibus pleno uaſe perferatur domum, ſaporem amittit. Itaq; qui occur
ſantibus, ut fit, potum ex ea prębent, uel modicè exinanito uaſe, quod re-
liquum eſt, effundunt, & ad hauriendum denuò recurrunt. Addũt qui-
dam aliud hoc prodigioſius, ſed minus ſimile uero. Nẽpe, ſi pura ſit, dum
hauritur, & pura permaneat, donec offeratur ægrotis, qui eã mirificè ap-
petere ſolẽt, quòd hoc certiſsimum ad ſalutem ſignũ ſit. Sin turbida red-
datur, planè pro deplorato haberi ægrotum. Itaq; eos qui potũ tantum
infirmis, non omen petunt, antequam hauriant aquam, turbare ſolere.
Sed hoc ſuperſtitioſorum credulitati relinquamus.

Ab hac quoque rurſus acida alia haud magnis diſtat ſpacijs: ad quam
etiam propè eſt fons, qui tumuli in ſpeciem aſſurgit, & ſubinde mutat flu
xum, lapideſcente nimirum ſtatim aqua, quam effundit, & ideo ſic excre C
ſcente ea parte, qua aliquandiu manarit, ut ſeſe aliam in partem, quæ hu-
milior eſt, effundere cogatur: quod quidem quaſi circuitu quodam fit
per omnem fontis oram.

Ad arcem Fileg, quæ inde in Boream euntibus occurrit, in Comitatu
Neograd, ſpecus eſt, in quo ſupernè deſtillans aqua, continuò dureſcit.
Ibi uerò uideas ceu ſtatuas hominum conſiſtere ſaxa, ex hac deſtillatione
concreta. Albus his color eſt: nec per ſe tantum ſunt alba, ſed etiam colo
ris albicantis uſum trita pictoribus præbent.

Sunt præterea ad fines Eperienſiũ fontes ſalſi, tãtæ acrimoniæ & ſalſu
ginis, ut inde ſal excoquatur, qui ad omnis generis condituras, & in pri-
mis ad coctură piſciũ, cæteris utilior eſſe exiſtimat. Habetq; locus nomẽ
ab his fontibus: Hũgaris enim Sovuar, hoc eſt, Salisburgũ dicitur. Nam
& arx eius nominis ſupra eum locũ fuit, meæ itẽ præfecturę ſubiecta, an-
tequam dirueretur. Eſſe autem ſalis uim magnam in aliqua eorum mõti-

um par-

A um parte, in quibus promõtorij instar arx extat, uel hoc magno est argumento, quòd in aduersa quoq; eorum parte salsi fontes sunt, qui item sua appellatione insigniunt locum. Sed quod in eo inquirendo aut eruendo minus elaboratum est, id non negligentia hominũ, sed proculdubio Regum prouisione euenit, ne immodica copia salem uilescere contingeret.

Abundat enim Hungaria sale natiuo, qui lapidicinarum modo cæditur in Maromarusio. Item in Transsyluania, ubi etiam piscinæ salsæ stagnant: à quibus omne pecus arceri necesse est. compertũ est enim, earum immodico haustu, qui salsugine incitatur, enecari. Insunt tamen in his alicubi pisces. quod minus mirum uideri posset, cum ipsum quoq; mare piscium parẽs salsum sit: nisi hic non in aqua salsa, sed in ipso penè sale uiuere uiderentur. Sunt autem sapidissimi, carne duriuscula: & ita impatientes aquæ dulcis, ut in eam missi, exanimentur.

Quia uerò in salis mentionem incidimus, etsi de eius, qui cẽditur, ortu diuersæ sint sententiæ, alijs nimirum eum cum ipsa conditione rerum ab
B initio extitisse, alijs postea natum esse affirmantibus: tamen ut uero propius sit, ex humore aut succo salso concretum esse, & adhuc concrescere, ea potissimum ratione ostẽdi posse iudico, quòd in ipsis lapidicinis salis, ubi solidissimus fuit, inuenta sunt uaria instrumenta ad humanos usus facta. Quodam etiam in loco Transsyluaniæ, gallina incubans cum ipsis ouis incorrupta. Quin nunc quoq; plerũq; magna carbonum uis eruitur cum sale. In Desiensi fodina, qua nulla est in Transsyluania altior, paucis antè annis excisum est de medio sale ingens robur trabi simile, tanta duricie, ut ne ferro quidem facilè cederet. Sed idem extra fodinã extractum sic computruit intra quatuor dies, ut primis digitis concerpi & conteri posset. Idem solet carbonibus, dum excidũtur, durissimis, simulatq; sub dium prolati fuerint, euenire. Hæc uerò uulgus in illa cõfusione rerum, quę Noæ temporibus in cataclysmo fuit, ibi oppressa, aut alio quopiam casu eò abrepta esse interpretatur.

Flos salis alibi copiosior, alibi raro in reliquo sale reperitur: Gẽmam
C uocant, quòd gemmarum quarũdam in morẽ pelluceat. Faciunt aũt hoc reperto iudicium salicidæ docti experientia, salẽ qui sequetur, aut impurum futurum, aut citò desiturũ: neq; temerè ipsos in eo falli cõpertũ est.

Abundat & uicina Polonia huius generis natiuo sale saxeo, sed hic minus sincerus & solidus est Hungarico. non enim fibris tãtum, aut uenis, sed etiam ingenti mole terræ plurimis in locis distinguitur, ac præterea longius abest à superficie terræ. At in Hũgaria putei, in quibus cæditur, minus alti sunt usq; ad salem. Quin in Transsyluania etiam scopuli instar extat supra terrã ad ripam Marisi fluuij, cuius itẽ alueus sal est, non lõgè ab oppido Thorda salinis celebri. Fitq; sæpenumero, ut arãtes etiam uomerem in salem impingant. Sed eum nemini cædere licet, ne quid uectigalibus regijs decedat. Liberum est tamen Siculis, qui, ut dictũ est, nõnullam Transsyluanię partem tenent, suo in solo, quãtum domesticis eorum usibus satis est, sumere. Sed hæc de salsis obiter dixisse sufficiat.

Restant inter calidas, quibus quidem aliquod in Hungaria nomen

eſt,unę prope Vuaradinum,quæ uocantur diui Ladislai,ſiue quia hic di A
uus Ladislaus lauerit:ſiue quia ad ędem ei ſacram,& ſepulchro ipſius cla
ram,ac tum ipſius, tum Sigiſmundi Imperatoris,qui hic quoq; condi uo
luit,munificentia opulentam pertinet. His plericq; inter omnes Hunga-
riæ calidas,primas tribuunt: in quo tamen amœnitatem potius earum,
quàm ſalubritatem ſpectare uidentur. Sunt enim calore periucundo,&
temperato: præterea tam purę & perſpicuę,ut ſpeciem rerum,ſi quæ in-
ijciantur,ampliorem quàm ſunt ipſæ res,reddere uideantur.

Sunt tamen præter calidas multæ aliæ ſalutares frigidæ in Hungaria:
cuiuſmodi dixi eſſe in Zepuſio geminas,quæ lapideſcũt. Sed hoc tẽpore
maximè prædicatur, & à multis frequentatur,fons ad Miſlã, qui locus à
Caſſouia haud magno diſtat interuallo. Huius aqua lapidib. qui prope
fontẽ ſunt,feruefactis calefit,& ita balneis idonea redditur.Nõ deſunt ta
men,qui uim medicam,quæ aquæ ineſſe creditur,ipſis potius lapidibus,
quàm aquę, tribuendã eſſe cenſeãt:quòd ipſa per ſe pura ſit,& bibẽtibus
gratiſsima:& contrà,quam ſolent aliæ ſalutares,nullã miſturam reſipiat. B

Verùm unde medẽdi uis inſit aquis, & cur aliæ alijs atq; alijs morbis,
nec una ratione eædem omnibus medeãtur,præterea unde ipſis tot,tan-
tæq; in calore,ſapore,odore differentiæ: denicq; cur aliæ concreſcãt, aliæ
ferrũ rodant,id ſpeculatoribus & uenatoribus naturæ phyſicis explican
dũ relinquo. Georgius Agricola (cuius in hoc genus rebus inquirendis
& excutiẽdis ſtudiũ atq; iudicium exquiſitiſsimũ eſſe,libri ab eo doctiſsi
mè ſcripti arguunt) multa de his egregia prodidit eo in Opere, quod de
natura eorũ quæ de terra effluunt,inſcripſit:& idẽ plura ſe traditurũ pol
liceť in ijs libris,quos ſe de Medicatis fontibus inſtituiſſe ait: ad quorũ le
ctionem ſeſe referent,qui de his uolent plenius erudiri.Nã mihi hęc ſcri-
pturo propoſitũ nõ fuit,ut dõcerẽ quenq;:ſed ut uolũtati tuæ,Sigiſmun
de Baronum optime,quę mihi ſemper imperij uice eſt,morem gererem.

Quantum aũt tuum quoq; ſemper fuerit ſtudiũ in his eruẽdis, quæ in
cognitione naturę rerum atq; locorum uel obſcura ſunt, uel aliquã admi
rationem habent, cùm omnes qui te norunt, ſciunt: tum ſcriptus à te,& C
nuper editus de Moſchicis rebus liber,abundè oſtẽdit. Nã quid eſt in to
ta nobis ante paucos annos minus nota regione, aut in moribus gentis
Moſchicæ, aut in eius religione, quod non ſcitiſsimè explicaris? Quid?
quòd Hũgaris noſtris penè ignotę eſſent origines ſuę,niſi tu cõfirmaſſes
Moſchis cõfinẽ eſſe,& ad imperiũ eorũ pertinere Iuhrã, uel ut alij dicere
malũt,Iugariã,unde & initio profecti ſunt Hungari,& nomẽ traxerunt?
Ex Scythia quidem ueniſſe eos nemini erat dubium,ſed de nomine diſce
ptabatur: cum alij ab Hunnis & Auaris uoce cõpoſita dictos eſſe aſſere-
rent,alij aliud comminiſcerentur. At uerò propius eſt ab Iuhra manaſſe
Hungarorũ nomen:cum nunc quoq; Slauorũ lingua, qua nulla per uni-
uerſam Europam latius patet,Iuhri,uel prima ſyllaba nõnihil, ut fit,leui-
gata Vhri uocẽtur. Mitto, quod te quoq; cõfirmante credibilius uiſum
eſt,mõtes,quos uocãt Riphęos,nõ extare his in locis,unde tãto ueterum
ſcriptorum conſenſu Tanais decurrere dicitur. Sed hæc qui magis per-

ſpecta

A ſpecta habere uolẽt, ex cõmẽtarijs tuis, et his addita chorographia petẽt.

Mihi hic narrationem de aquis, quę in Hungaria aliquo miraculo, aut nouitate quapiam inſignes ſunt, finire libet, uel relinquere potius. Nam ſi omnes, quæ aliquid admirationis habent, conſectari uelim, perſequendum eſſet mihi quicquid eſt in Hungaria amnium: quorum quidem tantum eſt, ut non facilè dare poſsis æqualem regionem, quæ pluribus & maioribus abundet. ut non immeritò ueteres Hungari in regni ſui inſignibus quatuor ductus, totidem præcipuorum fluminum, Danubij, Sauí, Drauí, & Tibiſci imaginem repræſentantes, uſurparint. Sed ne nihil tamen de his dicam:

Eſt laus amnium pręcipua, eſſe nauibus ferendis idoneos, & piſco ſos. Quo in laudis genere quotuſquiſq; eſt extra Hũgariam fluuius, qui illis, quos dixi, quatuor conferri queat: ut ne quid commemorẽ de alijs Hungaricis amnibus, qui etſi magnitudine illis minimè pares ſunt, tamẽ non minus ferè ſunt admirandi. Nam prẽter hoc, quod optimorũ & ſaluberB rimorũ piſcium copia affluunt, feraces auri plerique habẽtur: in ea præſertim ueteris Daciæ parte, quã Hungariæ attribui, & Tranſſyluaniã uocari diximus, quorum etiam nonnullis ab auro nomẽ eſt. Cuiuſmodi ſunt tres cognomines, Chryſi dicti: & qui Hũgaris uocatur Aranyas, hoc eſt, aureus: ne quis Hungariã ea, quę Thracię, Hiſpaniæ, Lydiæ, Indię amnibus gloria eſt, carere exiſtimet. Rapiunt autẽ non ramenta tantũ auri perẽni curſu, ſed etiã plerunq; maſſulas, alias piſi, alias nucis auellanæ, caſtaneæ ue, aut iuglandis magnitudine: quoties uidelicet inundant, imbribus ue, aut alia quapiã eluuie, aut arte inducta corriuatione aucti, ripas, & ea per quæ currunt loca, ſubruunt. Nec cõmẽticium eſt, ijs in locis effodi quãdoq; maſſas, aliàs puri auri, aliàs concreti ſaxi aliquid habentes, quę aliquot uncias uſq; ad ſelibram, & libram, & hoc amplius appendunt. Quin liceat mihi dicere, cuius certos autores notæ fidei homines habeo, effoſſas eſſe, quæ quingentorum, imò quæ mille florenorum non modò pondus, ſed etiam precium eleuarint.

C Sed ut ad illos príncipes Hũgariæ fluuios redeã, Danubiũ, Drauum, Sauum norunt uicini Germani, Norici, Carni: apud quos eorum fontes ſunt, & prima incremẽta. quæ etſi prẽclara ſint, nequaquã tamen tantum laudis addunt amnibus, quantũ hi mox, atq; ſolum Hungaricum attigerint, conſequũtur. Hic enim cõtinuò & plenius & ſpaciolius fluunt, eoq; nauigationi magis habiles ſunt, piſcibusq; & maioribus & melioribus magis abundant: ut omittam, quòd diuerſi generis piſcibus, quibus ferè prima eſt gloria, extra Hungariam carent. Quapropter de his, quorum origines magis notæ & celebres ſunt, plura referre ſuperſedebo: dicamq; de Tibiſco tantum, quem Hungaria ſola totum ſibi uendicat.

Oritur in Maromaruſio, ſub altiſsimis Carpati iugis, fonte quidẽ exiguo, ſed tantis ſubitò incrementis, ut intra tertiũ milliarium pro tẽporis tamen, quod incremẽta moderatur, ratione, patiẽs ſit nauigiorũ, quibus ſales euehuntur. Eſt autẽ ferè iuſtũ unius nauigij onus, quater mille fruſta ſalis, (uulgò lapides uocãt) ſingula uiginti plus minus pondo librarum.

Fertur

Fertur autẽ intra Maromarusiũ cursu citatiore, ut inter montes, qui plu A
rimos in eos torrẽtes & riuos effundunt: estq; ibidem limpidissimus, so-
lo glareoso. sed idem ex illis Maromarusij angustijs eluctatus, simulatq;
campestria attigit, incedit lentius, & fluit impurius, admisso præsertim
amne Zamos, qui ex Transsyluania ruens, uiam præbet nauibus, quibus
sales Transsyluanici exportantur: uideturq; tum sanè prorsus alius esse,
non ob augmenti tãtum, aut cursus sui modum, sed quòd etiã piscium in
eo ratio est diuersa. nam intra Maromarusiũ non habet ferè alios, quàm
quos aquę puriores alunt, & eorum quidẽ omnis generis copiam ingen
tem: at foris quem facilè dabis piscem, cui quidem in profluente uita est,
quẽ non suppeditet Tibiscus? quiq; & sapore, & magnitudine non præ-
stet sui generis piscibus, qui alijs in fluuijs capiuntur?

Porrò de copia quid dicam? habet quidem Hũgaria multos amnes pi
scosissimos: inter quos etiã eos numero, qui ex uicinis terris immittũtur.
Sed neq; inter hos, neq; inter alios, quorũ fontes apud Hũgaros sunt, ul-
lus prouentu piscium superat Tibiscum: ut eum, quod de Pado Italię dixit B
Poeta, meritò fluuiorum regem in Hungaria dicere possis. Etsi uerò i-
dem contingit fluuijs, quod terræ: nempe quòd ut hæc fruges, sic & illi
pisces, nunc uberius, nunc malignius producãt: tamen nullum est tẽpus
Tibisco, quo piscibus non magis, quàm cęteri amnes, abũdet. Quin, qui
propius ad eius ripã in æstiuis præsertim caloribus accedunt, manifesto
sensu experiuntur, eum pisculentiam quandam, ut sic dicã, redolere. Nec
desunt uulgò, qui dicãt, duas eius partes aquam, tertiam pisces esse: non
eo quidem sensu, quòd ita sese res habeat: sed quòd planè admirãdam, pe
neq; maiorem fide multitudinem piscium significatam uolunt.

Vidimus ipsi autumno superiore, cum illustrem Comitem Nicolaum
à Salmis, exercituum regiorum summum in Pannonijs imperatorem, ul
tra Tibiscum sequeremur, apud arcem Thokai, quo loco Bodrogus, i-
dem ualde piscosus amnis, Tibisco miscetur, millenos carpiones, quos
nonnulli Cyprinos dicere malunt, citra delectũ tamen, sicut eos capi con
tigit, uenire centũ numis Hungaricis: hoc est, floreno, ut uocant, usitato: C
quem pro præsentis rei monetarię illis in locis ratione, aureus unus supe
rat similibus numis quinquaginta. Eadem est plerũq; luciorũ uilitas, sub
hyemis ferè initium. Vtor autem lucij appellatione, in designando pisce
notissimo, quem quidam lupum dicendum esse contendunt.

Sed quanto lõgius profluit Tibiscus, quãtoq; propius accedit ad Da-
nubium, in quẽ sese exonerat è regione Sirmij, hoc minus est precij pisci-
bus, propter uim eorũ infinitam, præsertim cum exundat. Nã tum in pla
na effusus, omnia latè loca non tam aquis quàm piscibus cõplet: & quæ-
dã quasi stagna facit, quæ agrestes antè, quàm decrescit, & in alueũ redit,
claustris quibusdam obsepiunt, ne refluẽtibus aquis unà recedãt pisces.
Hic itaq; non aliter atq; in piscinas concluſi tenentur: neque tamen rarò
cõtingit, ut impetu facto, qualis est acie congredientium, effractis septis
perrumpãt, spemq; & laborem agrestium frustrentur. Quo fit, ut hi pro
magno negocio habeant, inuitare populares uicinos, ut pisces emptum
ueniant.

A ueniant. Sed quod prouerbio dicitur, ultroneas putêre merces, uix unquam magis quàm hic habet locum. Nam sępe aut nulli ueniũt: aut si qui ueniũt, tantillo licentur, ut nihil penè interſit, gratuito ne eis des, an uendas. Quin fit quandoq; ut ne gratis quidem dati, aut quaſi relicti ad prędam, auferantur: ſed porcorum gregibus, qui ſubſidentibus aquis immitti ſolent, lętam paſtionẽ & quaſi piſcationẽ præbeant: ipſa tamẽ piſcium multitudine nihilominus ſic plerunq; ſuperãte, ut magna eorũ pars emoriatur, & computreſcat. unde tam tetri naſcũtur halitus, ut qui iter faciunt, ea loca non aliter, quàm quæ peſte infecta ſunt, uitare conſueuerint. Nec hoc foris tãtum, ſed etiam in oppidis euenire ſolet, dum nimirũ tãta uis piſcium in forum curribus & equis infertur, ut qui eos importarunt, deſtituti ab emptoribus, ſeſe clãculum relictis piſcibus inde ſubducant. Quò fit, ut plerunq; edicto cum pœna propoſito, caueri ſoleat, ne quis illinc, niſi ablatis unà piſcibus, diſcedere audeat.

Sed lõgius quàm inſtituerã, progreſſus ſum, illuſtris Baro Sigiſmũde,
B non tam admiratione harũ rerũ, quę mihi iam maxima uitę meę parte in Hungaria exacta admirabiles eſſe deſierunt, quàm ſtudio efficiũdi imperata tua incitatus. Nõ inficior tamẽ, pleraq; à me minus explicatè tradita, neq; nõ multa præterita eſſe, quæ cum hac narratione cõgruebãt. Verùm id ceu data opera à me factum eſt, quòd his & aptius & uberius explicandis locum alibi ſum habiturus.

Porrò quod in epiſtola ad me tua duorũ admirandę naturę fontium, alterius quidem ex Arriani, alterius uerò ex Saxonis Grãmatici hiſtoria mentionem facis, equidem dubitaui aliquãdiu, an nõ hoc conſilio à te factum eſſet, ut quæ dẽ ſimilibus miraculis aliorum autorũ ſcriptis prodita ſunt, ea mihi cum his noſtris coniungẽda, ac cõponenda eſſe innueres. Etſi uerò huc inclinabat animus, tamẽ cum uiderem mihi nihil relictum eſſe præter colligendi laborem, quẽ ſibi quiſq; legẽdis libris præſtare poteſt: ſatis eſſe putaui, breuiter, unde hæc potiſsimũ peti poſsint, indicare.

Miratur Plinius, ab Homero nõ eſſe factam calidorum fontium men
C tionem: neque hoc ſanè iniuria. Quem enim mihi facilè dabis autorem, qui non quàm accuratiſsimè in rerum, locorum ue deſcriptionibus recenſere ſoleat, ſi quid fortè occurrit, quod uſitatum naturæ curſum excedit, aut aliqua nouitate eſt inſigne? Imò quem dabis, in quo non aliquid eiuſmodi reperias?

Sed inter eos, qui cæteris diligentius, quaſiq; ex profeſſo de his latinè ſcripſerũt, primas obtinet Plinius: qui non cõtentus aquarũ, fontium, & fluminũ miracula capite elegantiſsimo in ſecundo Naturalis hiſtorię ſuę libro complecti, rurſus ijſdem aquis & aquatilibus deſcribendis etiã peculiarẽ dedit librum, qui eiuſdẽ operis eſt triceſimus primus. Secũdum Pliniũ multa de his inuenias prodita à Seneca, in Naturaliũ quęſtionum libris. Nec pauciora penè à Vitruuio, de architectura lib. octauo. Quædã etiã à Strabone, Põponio Mela, Solino referũtur: ut alios pręteream recẽtiores. Sed omniũ inſtar haberi poteſt unus Georgius Agricola, qui quæcunq; eiuſmodi ſunt uel in Græcis Latiniſq; ſcriptoribus à ſe lecta,

uel do-

uel domi foriſq; obſeruata, uel accurata indagatione comperta, non mo A
dò in illos, quos ſuprà dixi, libros retulit, ſed etiam cauſas eorum quàm
ſcitiſsimè ſtuduit explicare: quanquam quotam quæſo hæc factura eſ-
ſent partem, ſi cætera quoq;, quę adhuc ignota latent, proferrentur? qua
in re neſcio profectò, ſocordia ne magis, an ingratitudo hominũ accuſan
da ueniat, qui dum iſta pro neglectis habent, non ſatis æterni illius archi-
tecti Dei potentiam & magnitudinem admirari, & eius beneficia agno-
ſcere uidentur.

Memini te mihi aliquando de quodam in Carnis lacu, cui à pago uici-
no Zirknitz nomen eſt, non minus penè miranda dicere, quàm à me de
Hungariæ aquis ſunt memorata: ut is uidelicet quotãnis ferè ſub autum-
ni finem, aquis derepentè ex abdito uenientibus, magnam q; piſcium co
piam ſecum trahentibus inundetur: appetente uerò æſtate, aquis rurſus
abdita petentibus exareſcat, hac quaſi perpetua uiciſsitudine, ut quo in
loco paulo antè piſcatus fueris, in eo meſſem & ſementem facere, ſimul q;
ſi libeat uenari, ac rurſus uertente anno piſcari poſsis. B

Sed quid obſtat, quo minus loci faciem, ut eam ab alijs delineatam ac-
cepiſti, de tuo ſermone deſcribã. Claudi aiebas eum circumquaq; mon
tibus, è quibus riui quidam ignobiles ſuo quiſq; alueolo procurrant, ab
orientali quidem plaga tres, ab auſtrali quatuor: ſingulos quo lõgius flu
ant, hoc minus ſcatere aquis, terra nimirum ipſas combibente, donec po
ſtremò abſorbeantur ſcrobibus ſaxeis, ita natis, ut humano opere exciſæ
uideri poſsint. Hic aquis ita redundantibus, ut recipi non poſsint, fieri,
ut regurgitent ſcrobes: neq; ſolum nihil aquæ admittant, ſed etiam quic-
quid receperint, effundant tanta rapiditate, ut refluxus impetum ac cur-
ſum equiti quamuis expedito & fugienti, ægrè effugere liceat. Itaq; qua-
cunq; pateat locus (patêre autem eum ad ſeſquimilliarium minus laxa la
titudine) diffundi aquas, & lacum efficere, qui pleriſq; in locis decem &
octo cubitos altus ſit, & ubi minimum profundus eſt, æquet iuſtam hu-
mani corporis menſuram.

Hæc fortè minus mirabitur, cui conſtabit eſſe eadẽ in regione amnes, C
qui terras ſubeant, & ubi per longa ſpacia mearint, rurſus effluant: quoſ-
dam, etiam ubi ſemel ſeſe abdiderint, amplius nõ comparere. Nam hinc
occultis quibuſdam canalibus illas in lacum manare aquas ratiocinabi-
tur, preſertim ſi cognorit, ibidem aliquot in locis eſſe caua montium am
pliſsima, in quibus aquarum ruentium fremitus exaudiantur, & earum
quaſi ſtagna ſint: unde illos uenire riuos hoc minus dubiũ uideri poteſt,
quòd cõſtat ijſdem anates uiuas euehi: quas nemo neſcit in locis ſubter-
raneis, in quæ aurę aditus non ſit, degere nõ poſſe. Sed quia pro cõperto
habetur, illã aquarũ acceſsionem non duci è mõtibus per riuos, aut alios
occultos meatus, ſed uenire ab illa ſcrobium regurgitatione, & quaſi uo
mitu, rurſus q; eodem redire, & reſorberi, id q; ſtatis tẽporibus fieri, quis
hæc miraculo carere negabit?

Auget uerò hoc quoq; rei nouitatem, quòd ferè non minus celeriter
recedunt aquæ, quàm acceſſerunt, non per ſcrobes illas tantum, ſed uni-
uerſa pe-

A uerſa penè terra eas non aliter recipiente, quàm ſi per cribrũ diffunderen
tur. Quod cùm fieri ſentiunt accolæ, continuò grandioribus eius meatí-
bus, quoad fieri poteſt, obſtructis, agminatim aduolãt ad piſcationẽ, quæ
ipſis non modò iucunda, ſed etiam perfructuoſa eſt. Nam & piſcium uis
ingens facilè capitur, aqua nimirum eos deſtituente: & apud uicinos pre-
cium habent, ad quos conditi ſale exportantur. Inuenias aũt ibi plerũq;,
quod iurè mireris, lucios (nam his magis quàm alijs piſcibus abundat hic
lacus) qui duos cubitos excedant: quæ res ſatis magno eſt argumẽto, eos
intra illas uoragines naſci, aut ſaltẽ augeri oportere: cum fieri non poſsit,
ut dum foris ſtagnant aquæ, ad tantam magnitudinem perueniant.

Porrò ſiccato lacu fit meſsis, qua parte ſolum conſitum: & idem rurſus
conſeritur, antè quàm inundet. Solum ipſum firmum, lętum, & in primis
ita ferax graminis, ut poſt uigeſimum diem ſecari ſoleat. Non eſt tamen
eadem ubiq; fœcũditas. Nam magna eius pars, prętер iuncũ, nihil gignit.
Quo uerò magis cognobilis fiat lacus, libet addere, quod tu ceu inſignem
B notam adieciſti: nempe diſtare eum ad unius miliarij ſpacium ab arce Car
nis, pariter & Italis dicta Poſtonia, quam Venetos aiebas Maximiliano
Imperatori, dum percuteretur fœdus, quod inter eos poſtremum fuit,
ademiſſe: & dum pacta cõuenta præſtari oporteret, reddidiſſe: in illuſtri
eius loco tanquam pro trophæo relictis his uerſibus, quos ibi tũ legeris,

Poſtonia uicta rediens poſt omnia uictor
Leuiades, affert pulchra trophæa domum.

Quia uerò id quod dictũ eſt de aquarũ ad ſtatũ tempus acceſsione, me
quorundam fontiũ, quib. idem accidere dicit, admonet: etſi mihi externa
minimè perſequenda duxi, facere tamen non poſſum, quin de duobus di-
cam: ut tibi illud quaſi penſem, quod ex Arriano & Saxone Grammatico
de totidem fontibus annotaſti.

Alter eſt calidarum laudatiſsimarũ, in alpeſtri Rhetia apud Fauarias,
inter rupes eminentiſsimas: qui cum ferè deficiat menſe Octobri, redit
menſe Maio: ſicq; rurſus uſq; in autumnũ exuberat, ut ſaluberrimis eius
C aquis mola frumentaria impelli poſsit.

Alter hoc magis mirabilis eſt in Heluetijs, quem recens Helueticorum
Chronicorũ ſcriptor tradit ſiccari menſe Auguſto, quo tẽpore nouis ibi
niuibus cadentib. pecus inde mitiora in loca depellit: neq; poſtea manare,
niſi mẽſe Iunio, cùm nudatus niuibus mons, rurſus paſtioni pecoris patet.
Manare autem eum è petra in foſſam propinquam, ad aquandum pecus
comparatam: per interualla tamen, & bis tantum quotidie, manè uideli-
cet & ueſperi: rurſumq; toties occultari. & has quotannis retinere ac con
tinuare uices, donec rurſus, ut dictum eſt, Auguſto menſe ſiccetur. Dicas
aquationi pecoris, ſingulari Dei munere, in illa horrida ſolitudine datum
hũc fontem eſſe: idq; bruta ipſa agnoſcere, ut quæ eum ferè ultrò, quoad
ibi in paſcuis ſunt, ad id tempus, quo fundit aquam, petere ſoleant. Quin
additur, experimento cognitũ eſſe, quod idem fons tam impatiens ſit ſor
dium, ut ſi quid impuri in eum miſſum, merſumue fuerit, per aliquot de-
inde dies nõ compareat, nec aut manè aut ueſperi aquæ quicquã reddat.

Montem, in quo is fons eſt, Heluetiſ ſua lingua appellant Engſtle: ea in re A
gione, cui ab amne Arula, Argevu fecêre nomen.

Prudenter Plinius, ad confirmanda exempla potentiæ aquarum, à ſe in illo præclaro opere prodita: Si quis, inquit, fide carere ex his aliqua arbitratur, diſcat, in nulla parte naturę maiora eſſe miracula. Hoc quanquã ipſe quoq; uſurpare aduerſus eos poſſem, quib. fortè in hac mea de aquis narratione quædam fide maiora eſſe uidebuntur: tamen monebo potius, non temerè quicquam eorum quę de admirandis naturę operibus feruntur, pro incredibili haberi oportere, ne quid infinitæ Autoris ſapientię & potentiæ temerè derogetur.

Habes Baro clariſsime, pro epiſtola libellũ, magis ieiunũ quidem illum, quàm uel ipſe fortè expectabas, uel materia, quã mihi tractandã dederas, exigebat. Sed cùm non ignores, me minimè abundare ocio, tuæ erit ęquitatis, non tam quid aſſecutus ſim, quàm quid aſſequi uoluerim, æſtimare. Hoc unum quidem certè, ut tibi gratum facerem, ſedulò ſum conatus.

FINIS.

MAGNIFICO DOMINO, D. SIGISMVNDO Libero Baroni in Herberſtain, Guttenhag, ac Neiperg, Conſiliario, Camerario, ac Aerarij Auſtriaci Præfecto Regio, &c.

Cui mittam breue muneri poema,
Ab incude recens mea profectum,
Sigiſmunde? tibi, qui ineptiarum
Admirator es unicus mearum.
Delectant alios ioci procaces,
Infamis placet aleæ quibuſdam
Ludus, & ſua tædij leuandi
Cuiuis eſt ratio: at tibi omne tempus
Quod eſt publica ab occupatione
Relictum, teritur uenuſtiorum
Scriptorum, aut, Baro, lectione uatum.
Ergo dum uacat à tuis negotijs,
Et uoles malè collocare tempus,
Aut uitare meridiationem,
Iſtud perlegito meum poema,
Atq; æqui facias, boniq;, quæſo.

Ioan. Ludouicus Braſsicanus I. V. Conſultus.

PHOENIX,
SIVE
LVCTVS AVSTRIAE, OB MORTEM INCOMPARABILIS HEROINAE, D. ANNAE, Quiritium, Pannonum ac Bohemorum Reginæ, &c.

Prima cicatricem uix duxit plaga ſupremam,
Vulnere cum ferior ſanguinolenta nouo.
Nec defleta modis ſatis eſt mihi filia dignis,
Cum mater lachrymas poſtulat ipſa nouas.
Non ita conſternata fui, nec territa damno,
Seu mihi quod peſtis, ſeu mihi Turca dedit:
Quàm modò Reginæ me mors perculſit acerba,
Mors mihi flebilibus teſtificanda modis.
Indulgere iuuat lachrymis, nec turpe putabo
Plangere fœminea triſtia corda manu.
Hoc fatale mihi eſt, uexari fluctibus atris,
Nec tamen aduerſis ſuccubuiſſe malis.
Sic tolerata mihi uix eſt tolerabilis hoſtis
Omnia graſſantis per mea membra manus.
Sic tolerata lues uix eſt tolerabilis, atq;
Sæua peregrini militis ira mihi.
Sicq; locuſtarum uis ingluuiesq; nocentum
Vix toleranda, tamen diſſimulata mihi.
Nec tamen ad lachrymas conuerſa, leuesq; querelas
Officijs egi non aliena meis.
Nunc animi eſt erepta mihi ſententia conſtans,
Vix tueor partes nunc malè firma meas.
Quosq; animo gemitus compreſſi mœſta uirili,
Principis expreſſit mors mihi ſæua meæ.
Heu quid ago infœlix, fatisq; exercita diris,
Acceſſit noſtris uis cumulusq; malis.
Ad Scythicum conuerſa polum, ſeptemq; Triones,
Cur inhibes ſæuas mors uiolenta manus?
Collimanda tibi ſunt iſthuc ſpicula: namq;
Vxor erat Stygio dignior illa Ioue.
Ecquid in inuiſas non ſumis dira nouercas
Tela, quid inuiſas non rapis ipſa ſocrus?
Vixerit Aonio ſic illaudatus Homero
Therſites, uiuat ſic ſibi quiſq; malus.
Omne capax rapit urna caput diſcrimine nullo,
Nec refert fuerit albus an ater homo.
Omnia diſſimili ſimilis Proſerpina fato
Eripit, humanum nil miſerata genus.

Nec, mihi crede, aliquid mortalibus immortale,
Hac sumus in sola conditione pares.
Cætera Dij meliora tibi Regina dedere,
Quæ sermone libet commemorare breui.
Interrea lachrymæ cessate, grauesq; querelæ,
Et uacet à gemitu fœmina uirq; pio.
Arce ssenda procul mihi sunt exordia rerum,
Et series regum longa petenda procul.
Hinc abauos, atauosq; placet, clarosq; parentes,
Et placet à matris ducere stirpe genus.
Gedemine antiquo deducta Megistane proles,
Una fuit Olgird, altera Kestud erat.
Olgirdæ soboles est masculina Iagello,
Qui sacro ablutus postea rore fuit.
Atq; Uladlislaus mutato nomine dictus,
Sarmatiæ tenuit ditia Regna diu.
Filius huic Casimirus erat rex impiger armis,
Qui latè patriam rexit, & auxit humum.
Cui plures natæ, cui sextus masculus hæres,
Sarmatiæ summam qui tenuere diu.
Mentio digna suo de natis tempore fiet,
Natarum series sed referenda prius:
Per quas affini coniuncta Alemania uinclo,
Quam lambit tumidis Rhenus & Ister aquis.
Anna Boguslai est Pomerani principis uxor,
Barbara Saxoniæ nupta puella duci.
Regulus Heduigin Boiorum magnus habebat,
Unde Palatinæ lumina multa domus.
Legnitio Elisabetha duci deducta marito,
Huic genti lumen contulit atq; decus.
Uni nomen erat Sophiæ, quæ nupta dynastæ
Brandenburgensi prole beata fuit.
Cæsaris optandi cui cura est credita genti,
Plena hæc principibus præsulibusq; domus.
Ad fratres redeo, clarissima lumina mundi,
Præcipuè ad patrem Pannonis Anna tuum.
Pannoniæ huic ultro regnum dotale Beatrix
(Grande Beatricis nomen & omen habes)
Obtulit & regni procerum officiosa uoluntas,
Ah quantum est illo regnum habuisse modo?
Rursus Alexandra est Olgirdæ filia nupta
Masouiæ quondam dux Semouite tibi.
Ex quibus Ernesti Cimburgis edita coniunx
Fridricum Imperij protulit alma caput.

Hinc ſocer, hinc proſocer, leuir, hinc charusq; maritus:
Plurimaq; hinc ſoboles, quod bene uertat, adeſt.
Nec tibi Moſcouiæ gens inficianda niualis,
Ex hoc nobilitas eſt quoq; clara loco.
Keſtudes etenim Olgirdæ germanus, in illam
Inſertus gentem multa trophæa tulit.
Hoc patre Vitoldus dux eſt procreatus, & illo
Lituaniæ princeps tempore magnus erat.
Vnica, ni fallor, cui filia tradita Moſco,
Et deſponſa duci uixit Anaſtaſia,
Hinc ambo Baſilij diuerſo tempore, & inde
Ioannes uario tempore uterq; fuit.
Sarmaticum affini non ſolum limite, uerùm
Sanguinis attingis proximitate genus.
Nec uitio frater dabitur, qui dulce putauit
Pro patria, in patria, cum patriaq; mori.
Triſte rudimentum belli, Rex induit arma,
Arma tryocinio non ſatis apta ſuo.
Cedite nunc Decij, procul inde faceſſito Curti:
Rex horum laudes clarus, & huius habet.
Nec laus Eliſabethæ auiæ reticenda paternæ,
Qua non nobilior fœmina nata fuit.
Illi Cæſar auus, proauusq;, abauusq;, atauusq;,
Pannoniæ frater rex fuit, atq; parens.
Sarmatiæ coniunx rector, ſex ordine nati
Succedunt, tenet hæc nunc quoq; regna nepos.
Coniuge quid potius dicam, uel fratre mariti?
Sarcina uix humeris hæc ſatis apta meis.
De quibus eſt dixiſſe mihil, quàm dicere pauca,
Forſitan & ſatius conticuiſſe fuit.
Alter ad occaſum populos regit, alter ad ortum,
Et fermè ambobus paret uterq; Polus.
Hoc ſatis eſt dixiſſe mihi: ſed dicere plura,
Alterius fuerit grande laboris opus.
Nec capit hos ſuccincta breuisq; anguſtia chartæ,
Quorum regifica uix capit orbis opes.
Immemor incœpti, triſtisq; oblita decori,
Ad natos uenio Sarmatis Anna tuos:
Hic mihi lætitiæ ueniam da Diua licentem,
Erumpunt toto gaudia corde mihi.
Non poſſum gemitus ſimulare, graueſq; querelas,
Sit licet incœpto res aliena meo.
Tollite feralis lugubria ſigna cupreſſus,
Atq; parentales exequiæ ite procul.

Nectite uictrices circum mea tempora laurus,
Vix memini, ſi quid flebile paſſa fui.
Vſq; adèo generis ſpes inclyta, maſcula proles
Auſtriacæ columen me fouet atq; domus.
Vos patrui auſpicijs uictricia ſigna ſequuti
Inuiſum Chriſto tollite quæſo genus.
Vos patris auſpicijs uictricia ſigna ſequuti
Aſſerite afflictam gnauiter Hungariam.
Conatus equidem nihil hos remorabitur unquam,
Interno impendet nullus ab hoſte timor.
Suppoſitas cineri prunas, flammasq; doloſo,
Extinxit ueſter patruus atq; pater.
Fallor? an à læuâ fœlici lapſa uolatu
Confirmat uolucris uota preceſq; meas?
E' diuerticulo repetendus ſermo, nec extra
Propoſiti metas ire ſinendus erit.
Quid referam natas & fœmineum comitatum,
Atq; puellares, numina uera, choros.
Vix totidem ancillæ Reginis ſæpe fuere,
Aluo Reginæ quot prodiere tua.
Atq; alias agitat regnandi dira libido,
Nota ſed exemplis res odioſa datis.
Sollicitat belli nonnullas cura gerendi,
Præcipuè regnum quo muliebre loci eſt.
Fauſtinas aliæ referunt, matremq; Neronis:
Eſt quoq; cui placeat trux Cleopatra nimis.
At tibi nulla fuit regnandi, nulla minandi,
Nulla extorquendi ſæua libido fuit.
Quamuis dotalis ſublatæ ad culmina regni
Conditione fuit mens moderata pari.
Tu telas, non tela, nec arma cruenta, nec arces,
Non profecturis ictibus oppoſitas:
Sed bona tranquillæ curaſti commoda pacis,
Irarum fugitans, atq; quietis amans.
Regibus uxores, tot reginisq; maritos,
Atq; orbi dominos te genera ſſe ſat eſt.
Imperitent aliæ præter muliebre decorum,
Te penſis famulas non onera ſſe patet.
Adde ſupradictis maternæ ſtemmata ſtirpis,
Addeq; Gandalidos clara trophæa domus.
Principe Gandalio tua prodita Vaſcone mater,
Complures habuit uirgo pudica procos.
Illa Vuladiſlao tandem deſponſa marito,
Tranſegit uitæ tempora læta ſuæ.

Tertius exierat seſqui & milleſimus annus,
Bisq; decem, Iunij tresq; fuere dies:
Quando ope Lucinæ Genetyllidos implorata,
Anna parens natu eſt exhilarata tuo.
Impoſita eſt capiti matris, de more, corona,
Bis denis uitam menſibus ante tuam.
Buda fuit natale ſolum, ſed Rhetia nutrix,
Qua fremit alpinis turgidus Oenus aquis.
Cæſaris hic ſtudio eſt educta ſororia tecum,
Nubilis eſt donec utraq; facta uiro.
Iam me uirtutum uix enumerabilis ordo,
Atq; urget meriti gratia multa tui.
Quid primum mediúm ue loquar? quæ in fine locabo
Ornamenta tuæ rara pudicitiæ?
Ambiguam faciunt & copia & optio mentem,
Nunc placet hæc uirtus, nunc placet illa magis.
Ac ueluti in prato conſidens uirgo uirenti,
Quà fons muſcoſo proſilit è lapide.
Nunc uarios molli decerpit pollice flores,
Aut Narciſſe tuos, aut Hyacinthe tuos.
Candida luteolis nunc iungit lilia calthis,
Lilia puniceis miſta papaueribus.
Nunc uiolas, cythiſos, thyma nunc fragrantia carpit,
Purpureas tenero nunc ſecat ungue roſas.
Attamen in dubio eſt, non illud, nec magis illud
Eligit, & numero copia maior adeſt.
Nec quod præponat, nec quod poſtponat, in arcto
Hæret, & optatis ambigit ipſa ſuis.
Interea aut dulci ſertum mittatur amico
Efficit, ut folio uerſicolore ſiet.
Sic mihi per medias & euntires & ituro
Corporis, aut animi, fortuitiq; boni:
Anna tuæ nullo dotes ſunt ordine dictæ,
Attamen hæc unus ſingula faſcis habet.
Non bene principium poſito reperitur in orbe,
Nec finem ductus circulus ullus habet.
Sic tua continuo uirtus ſtat in ordine certa,
Quæ nullum finem principiumq; tenet.
Digna tamen ſpecies regno fuit iſta tenendo,
Rege fuit dignus corporis iſte decor.
Multus in ore lepos, in corpore multa uenuſtas,
Maieſtas oculis & reuerenda tuis.
Matronale decus, fuco procul atq; colore,
Qualia mentitus inficit ora color.

Multiferi uites laudantur palmitis, & qui
Despositum multo fœnore reddit ager.
Et sterilis ueteri culpata est fœmina lege,
Fertilitas summo semper honore fuit.
Pappia priuatis fuit, & Poppæa timori,
Dicta maritandis lex fuit ordinibus.
Omniparens natura suum de germine nomen
Ducit, & à fœtu dicitur ipsa suo.
Et tu Cæsaridum mater, Regumq; Ducumq;
Egregiam laudem fertilitatis habes.
Nam tua ter quina lætata est regia prole,
Immo ego ter quina prole beata feror.
Atq; utinam sterilis, quàm sic fœcunda, fuisses,
Iam fueras parta prole beata satis.
Nec moriens Regina mihi damnosa fuisses,
Interitu tantum quod foret absq; tuo.
Namq; aliam pro te moriens Regina dedisti,
Nata tuam interea uixerit illa uicem.
Ac ueluti phœnix de morte renascitur ipsa,
Atq; ipsam sese dum parit, ipsa perit:
Sic tu, cum uiuam sobolem moritura relinquis,
Immortalis eris morte renata tua.
Pertinet ad laudes pietas tua cognita diuis,
Notaq; pro populo sunt pia uota tuo.
Te ueniente die, te decedente precantem,
Certa fides sacris inuigilasse libris.
Acceptam precibus refero, uotisq; salutem:
Quicquid id est quod sum, sum pietate tua.
Ah quoties stricto molitus acinace plagam
Turca, tua nocuit nil mihi abactus ope?
Ah quoties dubij euasi discrimina Martis,
Ploratu ad superos Anna sequestre tuo?
Sic tuus insidias coniunx dominusq; latentes,
Atq; hoc uitauit certa pericla modo:
Imperij rebus dum consulit, & uagus illac,
Nunc hac suspectis itq; reditq; uijs.
Vel dum uectus equo salebras, perq; inuia tesqua,
Obuius horribili non timet ire feræ.
Dij superi nostrum seruate ante omnia Regem,
Vitaq; principibus, gloria sitq; meis.
Non superos tantum, sed flectere docta fuisti
Humanos etiam supplice uoce loues.
Ah quoties meritæ fecisti ignoscere culpæ
Commotum iusta cum ratione uirum?

Pro miseris nullas oratrix passa repulsas,
Nec pro supplicibus ambitiosa reis.
Regia sic fratrem, sic placat Iuno maritum,
Iam iam missurum tela trisulca Iouem.
Sic complexa trucem mollit Venus alma Gradiuum,
Atq; iras reprimit delicioſa graues
Carceris atq; aliquis tetro squalore, situq;,
Et preſsus manicis compedibusq; diu,
Quærit opem Regina tuam defuncta, precesq;,
Atq; operam expectat nunc quoq; diua tuam.
Dotibus ingenij fueras quoq; prædita multis,
Quas ingens fuerit enumeraſſe labor.
Nec ſocialis amor mihi, commemoranda fideſq;,
Non erga dominum mutua cura tuum.
Frigora, nec glacies, non æstus ſolſtitiales,
Non nix, non pluuiæ, non lutulenta uia,
Non grauis autumnus, non nimbi, non grauis Auſter,
Quæq; æstas oculis pluuerulenta nocet,
Te domino auulſere, nec auulſere marito,
Abſtraxere uiro fata ſed atra tuo.
Non mihi Penelopes ſtudium, non iactet amorem,
In laudes ſemper Græcia prona ſuas:
Nec tibi præſtiterit regi deſponſa Pheræo,
Uiua maritali quæ tumulata rogo eſt.
Hactenus eſt ſeries rerum libata tuarum,
Qua pote luce fuit, qua breuitate pote.
Sed breuius dicam Reginæ Epicedion Annæ:
Uirtutum eſt iſto ſub tumulo cumulus.
Vos autem extinctæ poſtremos reddite honores,
Gratáq; legitimis ſoluite iuſta modis.

LEGATIONES D. SIGISMVNDI LIBERI Baronis in Herberſtain, &c.

Occaſus, mediusq; dies, ſeptentrio, & ortus,
Sunt peragrata ſolo, ſunt peragrata ſalo.
Principibus mandata fero dum maxima regum,
Uectus equo, rheda, ſiue rota, atq; rate.
Luduicum ad regem miſſo, Solymumq; tyrannum
Perluſtrata rota eſt Pannonia, atq; rate.
Cæſaris orator ad regem Maximiliani
In Daniam celeri ſum quoq; uectus equo.
Auſtriacæ miſſu regionis per mare ſæuum
Heſperiæ mihi ſunt regna petita rate.
Sauromatas eadem uexit me rheda ad utroſq;,
Per niue conſperſas inuiolata uias.

I. L. Braſlicanus.

COLLOQVIVM SIGISMVNDI & Mortis.

MORS. 

Tulta hominum mentes, & famæ finis & æui
Oblitæ, longamq; ausæ expectare salutem:
Vos quid olympiadas, quid plurima lustra, quid annos
Innumeros, seramq; iuuat sperare senectam?
Si uitam fata impediunt, cursumq; recusant,
Arbitrioq; meo semper mortalibus ægra
Parcarumq; dies, & uis suprema propinquat.
Quæ uobis tandem uiuendi tanta uoluptas?
Quæ cura, & nebulam & uentos obtendere inanes
Fortunæ, imperioq; meo? uirtutis imago
Quæ uos, quæ miseri, subijt? si uestra labores
Per uarios, uariasq; uices, per tela, per hostes,
Tam citò in æternam clauduntur lumina noctem:
Desinite heu miseri his animis præsumere uitam,
Cum nec fatorum leges, nec tempora nostis,
Nostis at incerti ad mœstos concedere Manes.

SIGIS. *Alta tua hæc mens Mors, iam me alta silentia cogit*
Rumpere, & acceptum uerbis uulgare dolorem:
Victus enim dictisq; tuis, animoq; superbo,
Hoc unum quæro: quæ nunc te insania uertit,
Quò mentem q; oculosq; refers? mortalibus ista
Quæ causa obijcere (oro) fuit, non antè rogatam,
Non antè admissam humanos expendere casus?
Si te uita breuis, nostra atq; incommoda tangunt,
Quid tibi nobiscum commune est? Tu Dea forsan,
Nos homines sumus, & te negligimus, tuaq; omnia:
Ergo quid adfectas, frustra & cunctaris? inanem
Aut si hanc fortè geris nostri, Dea perfida, curam,
Cur, cum fata tuo arbitrio stant atq; reguntur,
(Prout toties dicis, uerbisq; frequentibus effers)
Cur, inquam, grauia ista pati mala nos sinis? æquum
Certè esset, nobis te tanto impensius omni
Consulere auxilio, quanto uiolentius atris
Expositi fatis, aduersa opera atq; labores
Condimus, & partes toties cunctamur in omnes.
Sed uideo te posse parum, tua numina posse
Contra alia aut nihil: aut tantum, quantum ipsa uoluntas
Imperiumq; Iouis concedit: cuius honorem,
Cuius fortunam comitamur, ut omnibus idem
Aut æquus fieret, ferretq; nouissima uitæ
Præmia, & optatas sineret contingere sedes.
Imò etiam debes, tu Mors sæuissima, grates

Non

Non paruas certè nobis mortalibus, in nos
Ius quòd habes. nam te nihil immortalia curant
Numina, rideris sed cœlo expulsa sereno:
Unde nisi has terras, quas nunc crudelis oberras,
Venisses, Stygios habitares spreta paludes.
MORS. *Cui uoci laxata uia est? quis inania uerba*
Dat? me huc atq; illuc circumfero, neminem at usquam
Conspicio: dictu mirabile, Iuppiter audi,
Non impunè feret quisquis mea numina spernit.
Fluctuat ira mihi in toto iam pectore, uinci
Nec digna hoc telo, his donec satiabitur armis.
SIGIS. *Huc conuerte oculos, aciem conuerte ferocem:*
Hic maneo immotus, tua nec metuo obuia corda
His furijs, nihil hæc me uisq; minæq; mouebunt:
Expedias quæcunque cupis, certare paratus
Sum tecum, & dubiam uitæ tentare palæstram.
MORS. *Tu'ne hic Sigismunde manes? Sismunde lacessis*
Me tú n' impauidus? quæ obsecro causa coëgit
Te in tantam temerè mecum descendere arenam?
Magnum aliquid fortasse aliquis tibi dixit, & esse
Vim uerbo hanc credis, teq; inter nubila condis:
Caniciemq; tibi, longos promittis & annos.
Ventum ad supremum est, nunc nunc tua fata nisi obstent,
Ni mora præsentis tibi producatur honoris,
Utúe æques atauos, uel auos: patris úe senectam,
Et fera æterno commendes nomina mundo.
SIGIS. *Causa fuit, tua non toleranda superbia, mensq;*
Alta mea æthereum qua possum scandere olympum,
Atque immortali superos contingere mente:
Depositis nempe exuuijs mortalibus, in quas
Soli est imperium tibi: nec quod tu improba posthac
Objcias mihi erit (quæ me finxisse senectam
Nugaris) cum supra homines, supra ire uidebis
Me uirtute mea & pietate Deos: mihi certa
Nec quoq; longæuæ prætendes tempora uitæ:
Nam non solum atauos, & auos, patrisq; senectam
Æquabo, sed uel Pylios superabimus annos.
MORS. *Tu ulterius modò noli auidos extendere cursus:*
Si potes, in facies tu te Sismunde uel omnes
Verte, & finge quod arte potes, uirtute quod ipsa,
Alto animoq; potes: te credas æthera pennis
Posse sequi, clausumq; solo te condere posse:
Non tamen effugies mea tela, measq; sagittas:
Nec quod nunc quassas caput, amplius inde mouebis:

Nec miseram huc illuc uocem, & tua lumina flectes:
Scilicet egregia prostratus falce iacebis,
Egregius certè tantis uirtutibus heros.

SIGIS. *Oro meæ noli uirtuti illudere, turpis*
O Dea: non tu me, sed Diuûm numina terrent,
Dextraq; magna Iouis: quæ me tamen ipsa relictis
Defensum exuuijs dabit, & me in gaudia ducet:
Ut sic nec iaceam, nec tu quid iuris haberes
In me, animumq; meum, quamuis inuita repugnes.

MORS. *Nunc me fata tuæ mandare silentia linguæ*
Fata uetant: sed tempus erit, quo hæc sponte subibis,
Atq; animum uocemq; tuam intra nubila coges,
Prostratusq; meo prostratus iure iacebis.

SIGIS. *O Mors, incœptum frustra submitte furorem:*
Non ego, non per uim, non per tua iura iacebo,
Verùm istæ exuuiæ nostræ, corpusq; caducum.

MORS. *Hoc igitur non est, ô Sigismunde, iacere?*
Non est hoc, tristes comitari Manibus umbras?
Dic age, quo pacto hoc supremum munus obibis?

SIGIS. *Non alio, quàm quo Diuos insana fateris,*
In tua concludi crudelia funera nunquam
Posse, nec imponi in crates & triste pheretrum.

MORS. *Cur, si te Diuum sublimi nomine ponis,*
Corporis exuuias deponas, maximus æuo
Sic fies, sic ad superos præstantior ibis.

SIGIS. *Non ego me Diuum facio, quid perfida captas?*
Sed facio, Diuos etiam quòd laudibus æquem,
Cum post fata meæ uiuet mens inclyta uitæ.

MORS. *Quam suprema putas quæso post funera mentem?*
Quam uitam, laudesq; facis? si cuncta peribunt
Tecum, & nulla tui pars iam restabit in orbe.

SIGIS. *Funera quid sanctæ mentiris inania mentis,*
Stulta? quid æternam fingis cum corpore uitam
Occidere, & nullos famæ superesse triumphos?

MORS. *Blandiris, Sismunde, tibi. uerissima sed sint*
Quæ asseris: & quid te post fata extrema iuuabunt?
Nullus apud Manes est sensus, nulla uoluptas.

SIGIS. *Viuam ego apud superos, nec me uirtutibus auctum*
Auferet atra dies. Manes transibit ad imos
Fama etiam mea, fama amplum uulgata per orbem.

MORS. *Famæ huius toties omnes effundis habenas,*
Et te obtentu eius nullo discrimine inumbras:
Dic ergo, dignum quid fama & laude relinques?

SIGIS. *Ne qua meis esset dictis mora, suspice mentem*

DEBRECENI EGYETEMI KÖNYVTÁR
1647 III/17 magyarázó nyilvántartás

Inge-